R. 4
6/110

Este libro tenia el pe. Esteuan de oxeda q se tiene sospecha q es ageno y lo tenia para corregir.

Por comission de los ss.res inquisidores corregido conforme al expurgatorio del año de 1632

C. 28
Regoguelinel

C. 4

~~N. 66~~

N 198


~~MEDICO-~~
~~RVM ET PHILOSO-~~
~~PHORVM SVMMI~~; AVREOLI.
Theophrasti Paracelsi, Eremitæ, de Tartaro libri septem ~~perquam vtiles.~~

autoris damnat.

OPERA ET INDVSTRIA NOBILIS VIRI ADAMI A BODENSTEIN, in lucem propter commune commodum microcosmi primè editi, nunc verò auctiores & castigatiores denuò excusi.

B.


* Ἀνέχου καὶ ἀπέχου. *



BASILEAE,

Per Petrum Pernam.

1570.



ILLVSTRISSIMO INVICTISSIMOQVE PRINCIPI ac Domino, Domino Cosmo Medici, duci Florentinorum ac Senensium, ordinis sancti Stephani magistro primario maximoq́ꝫ, Adam à Bodenstein philosophiæ & medicinæ Doctor, diuturnam & prosperam precatur uitam.



RIA ESSE in hac uniuersitate bonorum genera, animi, corporis & fortunę, illustrißime Princeps, omnes prudentes magna concordia semper post hominum memoriam docuerũt, & experientia optimo veritatis speculo & magistro comprobarunt. Animi quidem bona omnium esse prętantissima communis hominum ratione vtentium consensus verè testatur: Cæterùm ea sola ad beatam vitã constituendam sufficere Stoici perperã iudicarũt: quia homo duabus partibus, anima & corpore cu m cõstet, nullo modò alteris solis beatus esse potest. Quis enim paupertate fame, siti, vel morbis diris confectũ, magnis & grauibus periculis oppressum, diceret esse beatum? &c. Omnis enim homo, siue priuatus, siue publicus magistratus, vel sub-

ditus, omnisque respublica & domus, his tribus felix existit si adsint: sin verò absint, contrarijsque locũ dent, miseria aliqua premitur. Animi bona quomodo sint cõparanda, philosophi mediocriter, Theologi autẽ accuratissimè docent.

Sed fortunas quæ animo & valetudini inseruiunt, vbique locorum tanta diligentia & industria mortales inquirunt, vt prorsus videãtur esse persuasi, omni conatu esse corradẽdas, cunctisque rebus longè præponendas, solasque diuitias efficere felicissimos, cum tamen omnium reuera infimum occupent locum, ac referri debeant ad animum & corpus, nec nostræ adeò sint atque inconstantis fortunæ.

Corporum bonis, quæ medio loco iure ponuntur, medicus tanquam magnus & sacer in hoc mundo sacerdos præest, qui aptis medijs morbos, peccatorum affectus, à sanis corporibus, quo mens sit sana in corpore sano, arcet, & ab infectis eosdem abigit ac depellit, quo in verum felicitatis redeant statum. Hisce sacris postquam & ego iam ante complures annos initiatus essem, ac publicè in Italia doctissimorum virorum testimonijs comprobatus, me per rectam viã ambulare, didici exercitatione in arte Chymica, medicorum in libris multa vtilissima & necessaria artis medicæ adhuc deesse: Nam ad interiores & obstrusas partes sæpiusculè grauissimè laborantes, nullam hactenus vsitatam medicinam

dicinam peruenire, ipso effectu didici, quòd medici tales morbos non tollerent, sed vocarent incurabiles. Hæc quamuis cernerem, nunquam tamen voti factus sum compos, priusquam excellentis doctoris Aureoli Theophrasti libros legerem, lectosque exercitatione in vsum deducerem. Hoc vt facerem, non parum Germaniæ quispiam magnus princeps me incitauit, qui non paucos Theophrasti Libros tanquam thesauros custodiebat. Fuit hic Aureolus Theophrastus Paracelsus, natione Heluetius, & Eremita, ex familia antiquissima Paracelsorum, (conueniunt vatis nomina sæpe suis) patris auxilio primo, deinde propria industria doctissimos viros in Germania, Italia, Gallia, Hispania, alijsque omnibus regionibus, totius Europæ nactus est præceptores, quorum liberali doctrina, & potissimum propria inquisitione cum esset ingenio acutissimo ac diuino, tantum profecit, vt multi eruditissimi libris editis testati sint, neminem mortaliũ in vniuersa philosophia tam ardua, arcana & abdita sciuisse ac docuisse. Libros in omnibus simul philosophiæ partibus quamplurimos cõscripsit Latina, Germanica, alijsque linguis: Ostendit enim ipsam veritatem posse quauis lingua tradi ractè si ntelligamus. Peregrinando vt præstantissima quæque didicit, ita etiam multos hinc inde homines grauissimis desperatisque morbis om-

nium admiratione naturaliter per ſuam medicinam liberauit. floruit antè triginta annos. Capita nunc aliquot doctrinæ in quibus cum medicis alijs non conuenit, paucisſimis ordine referam: ac rogo tuam Celſitudinem in primis, omnesque deinde lectores, vt velitis hæc in iudicando examinare per ſummos philoſophos, hoc eſt, qui naturæ immitatione callent corpora componere & reſoluere Spagyrica arte in prima ſua principia, quorum tria inuenit verisſima, videlicet, ſulphur, ſalem & mercurium ſiue liquorem. quæ non ſtulta imaginatione aut fallaci oratione narrantur, ac animis infirmis obtruduntur contra naturæ ordinem, verùm vſu & experientia oculis ſubijciuntur, verisque mentibus demonſtrantur compoſitione & reſolutione corporum per ignẽ: Siquidem omnia corpora ex hiſce tribus cõponuntur, in eademq; reſoluuntur, nec quicquã præter hæc tria in vllo corpore inuenitur. Non tamen velim ſibi quemquam perſuadere noſtrum ſulphur totum, aut noſtrum commune ſal, vel totum mercurium ſiue argentum viuũ principium appellari, cum ſingula ex tribus conſtent primis, ſed in vnoquoque ſui generis principium prȩualere ac oſtẽdere pricipij copiã adeſſe. Sic noſtrũ ſulphur plus habet de principio ſulphuris, quàm ſalis vel mercurij. quòd ſi eius fiat reſolutio, tria euidenter inueniuntur, ac quantò magis ac diligentius

ligentius separantur, tantò manifestius principia apparent vsque ad syncerissima vereque prima: propterea sæpius purgando per ignem, sulphur fit purissimum, ac igni minimè deinceps comsumitur, quod est Balsamus humani corporis præstātissimus, qui sua subtilitate ac immortali essentia corpora hominum penetrat, condit, sulphur malum in ijs atque infectum purgat & corrigit, correctumque conseruat: (veluti alibi in libris de vita Longa manifestatur) quia sulphur sui principij natura putrefactiones arcet, & similia per similia iuuantur. Sulphur est omne pingue quod incēdi potest, ac in tenuissimam conuerti substātiam sulphuream. Mercurius omnis liquor est qui ascēdit ac in fumum transit. Sal omne est durum ac solidum, quod reliquis duobus etiam soliditatem præstat Naturam quoque ipsorum, mixtiones & mutationes in compositis, quomodo colores, odores, figuras, morbos & sanitatem efficiant, manifestissimè oculis subijcit, parique diligētia & perspicuitate ostendit corporum malè affectorum curas siue restitutiones. Sed medicus diligentissimè cogitur laborare in materijs præparandis quòd ipse sit naturæ peritus, & vsum singulorum nouerit, nec alij reperiantur, qui istiusmodi adaptent in optimos fines. Elementa omnium rerū matrices & receptacula, ex his tribus sunt composita, & in eadem resoluūtur: suntque

prima corpora composita ac suis gradibus distincta, quorũ vnum quodque suæ naturæ fructus producit: Sic terra gignit terrena ac omnia in primo gradu non solùm frigida quæ sunt simul & humida, verùm etiam calida, quæ simul existunt sicca: Aeris cuncta sunt secundi gradus, nec magis humida quàm frigida, calida aut sicca: licet sua natura sit siccus. Tertij gradus sunt aquea in omnibus qualitatibus. Quarti gradus ignea, etiam in quatuor qualitatibus, vt nix & grando frigidæ, fulmen autem calidum in quarto gradu ex natura ignis. Medicinã probat argumẽtis necessarijs quatuor suffultam esse columnis, quarum prima est philosophia siue physica, quæ est scientia terræ & aquæ ac omnium quæ ex ipsis gignuntur. Secunda Astronomia, quę existit certissima cognitio reliquorum duorum elementorum & omnium cælestium. Tertia Alchymia, quæ demonstrat omniũ corporum compositiones & dissolutiones laborando sedulo naturæ imitationem. Vltima est Virtus, quæ ipsum medicũ requirit pium in Deum & homines, iustum, constantem, fidum omnisque boni amantissimum. Priores duæ columnę sunt Theoricę. Et posteriores sunt examinantes & iudicantes priores: in operatione consistunt: Artem nihilominus totam esse merum Dei donum, exercendo confirmari ac in lucem produci, non stabiliri humanam, sed Dei ac naturæ institu-

institutione confirmat. Hominem esse minorem mundum, nec ex ipso veram naturam eius cognosci, sed ex maiori mundo vnde cōpositus est: quia omnis scientia omnisque cognitio per media habetur: ergo oportet medicū, qui nascitur ex deo & natura, rectè callere physicam & astronomiá, quæ docent totius mundi constitutioné. Vt enim totus homo respōdet toti mundo, ita quoque singulæ partes singulis partibus. Maioris verò mundi mēbra nostris præparãtur chymica arte, ac virtus ea simul in vnū cum Deo coniungit, hinc anatomia materialis longè maior nobiliorque existit, atque localis: hæc enim ostendit solùm locos, partiū situs & numerum, illa verò naturas, curationes, proportiones & cognationes hominis, eiusque partim cum amplissimo, & ferè immortali mundo qui ipsum genuit & nutrit. Ita nostrum hepar, stomachus & cætera membra nutriũtur ex hepate, stomacho alijsq; mundi mēbris, quod intelligendum est de externo nostro corpore: Nam duplex statuit copus, alterum cæleste & spiritale, quod non ex tribus primis principijs quatuórue elementis ortum est, quapropter nec sub sensum cadit: Alterum est crassum & physicum huius mundi, quod dicit esse corpus misericordiæ: quia nutrimēto diuinitus ex mundo dato sustētatur. Qua de causa iubemur omnes cælestem Patrē rogare, vt nobis largiatur panem quotidianum: Nam

ſi hunc non habemus, naturaliter diſſoluuntur, id eſt,corpora ſeparantur, & vnumquodq; redit ad ſua: Vnde vita longa homini ſi opera externa fuerit comparanda, fiet per ea,quæ conſentiunt cum corpore cœleſti,quo illud melius alteri cõiungatur ac imbecillius ſuſtentet. Debent verò omnia illa rectè ſeparari ab omni immundicie, ne quid adſit quòd corpori noceat, vel digeſtioni reſiſtat.Reliqui verò mediusfidius præter Alchymiſtas parum parum intelligunt. Nec Deus admodum multos ob fœda peccata iudicat tantis rebus dignos, quæ hominem ab omnibus aduerſis defendunt,malè affectum in integrum reſtituunt, ac reſtituuntur: mirabiliter in vigore plurimos annos conſeruant. Syncera enim ac fixa, corpus humanum tingunt ac figũt non aliter atque philoſophi ſcribere ſolent,lapidem philoſophorum abſolutum tingere ac figere metalla. Huius generis multa cõficiuntur ex plãtis varijs, ex animalibus,mineralibus & metallis,imò ex homine (in quo vniuerſus mũdus exiſtit) omnium præſtantiſsima paratur medicina: Siquidem ex ſani beneq́ue conſtituti hominis carne,& ſubitò morientis dũ nullus mœror diſſolutionẽ iuuat vel præcurrit (non equidem ex damnati cadauere vt perperã quiſpiam Germanus ſcribit) præparatur mumia viuo corpori omnibus partibus ſaluberrima, ita etiã ex gemmis & metallis adeò precioſa ſpagirus conficit,

conficit, vt homo ea fumens videatur immortalitate donari. quòd istarum rerum sint formę immortales ac transeant in humanam naturã. Hac ratione parantur ex venenosissimis optima & præstantissima medicamina, nutrimentaque dum separantur noxia venena à saluberrimis cibis, qui latitant in omnibus rebus, multis tecti sordibus. Amplius nanque quàm decuplo in communibus cibis excrementa excedunt verum nutrimentum. Cõplures laudarunt aquam vitæ, quæ per Herculem dum est purissimum ac tenuissimũ oleum siue sulphur, humanæ naturæ aptissimum existit, sed longè excellentior spiritus eius. Cæterùm lõgè meliora sunt ex mineralibus & metallis, vt oleum, spiritusq; vitrioli, mercurij, antimonij, auri, ac reliquorum eiusdem generis, quæ sunt, veluti aliquoties diximꝰ ipsæ verè formę, ac informant hominem, nec sinunt morbos corpus inuadere dũ sunt efficacissimæ. Ego certè vnico præcipitato ex auro, & auro diaphoretico edoctus ab hoc Aureolo, tanta hactenus præstiti, vt nemo verbis exequi possit. Exigua enim eius portione laborantes morbo Gallico breuissimo temporis spacio liberaui, etiam hos, qui prius ab stultis medicis per argentum viuũ siue præcipitatum, siue alioquin sophisticè paratũ, & per fomentationẽ, fumigium, aut alia ratione adhibitum ad summos dolores, summamque contracturam miserrimè de


ducti erant. Hæc dum parantur (non quidem absque sumptibus & laboribus) semper occurrunt tria principia ac distinctè cernuntur. Qua de causa maximoperè ego miror, hãc artẽ neminẽ hactenus docuisse, aut professum esse se eam scire. Multi quidem aliqua somniarũt, quorum nonnulli re ipsa conati sunt aliquid pręstare, sed voti rarò sunt compotes facti. Ita nunc aliquot spurij in medicina & Alchymia conantur argento viuo præcipitato homines grauibus & difficilibus morbis laborantes curare: non animaduertentes medicum esse à deo, qui vult morbos verè tolli à medico, vt ipse nostra peccata, non discuti ac supprimi ad tempus, aliosque longè peiores morbos gigni: Nam mercurius præcipitatus sua naturali frigiditate & mordacissimo spiritu qui adhæret adhuc in ipso ex aqua forti, neruos rodit ac dissoluit, & contracturas efficit: Sed si essent veri philosophi, non inficior ipsos etiam mercurio & singulis metallis, etiam ferro, præclarissima præstare posse, separando videlicet venana à saluberrimis, &c.

Nunc autem Theophrastus inuenit, & nos pro nostris viribus publicamus medicinam omnibus partibus absolutissimam, quæ propter veritatem diuinamque gratiam nunquam interibit: Quamuis plurimi dabunt operam vt obscuretur, ne cogantur labores magnos suscipere, aut quicquam discere: quia plurimis in locis do-

ctissimi, veritatisq; studiosissimi viri, incipiunt maxima diligentia, nec exiguis impensis arcana naturæ inquirere, videntque vsu adeò esse certa, vt nullis argumentis nec imposturis queant à proposito diuelli: Quoniam bona & mala in summum gradum rectà tendunt, prospiciat quisq; sibi meliora vt eligat: misericordia enim supremi medici & gubernatoris à crescentibus malis non sinit bona sibi conuenientia prorsus supprimi, verùm in æquali gradu vult ea consistere, quo extremi morbi habeant extrema remedia: nam morbi sunt viuæ imagines fructusq; peccatorũ, &c. In hoc verò opere quod nunc tuæ Celsitudini offerimus, breuissimè ac euidentissimè morborum internorum origines, causas, signa & curationes docet. inscripsitq; illud, DE TARTARO, quòd omnium ægritudinum quę in corpore existunt tartarus sit causa, qui est omne genitum ex dissoluto frigido, & induratũ per calidum, species eius multas ordine refert: Nam totum opus diuidit in septem libros, quorũ in primo generatim declarat omnem morbum internũ oriri ex tartaro. quid & quotuplex tartarus sit, quibus causis fiat, corporis quas regiones occupet, quomodo morbũ efficiat tantosq; dolores moueat, & qua ratione suo ex statu adeò degeneret. Deinde, quî fiat separatio & digestio, & quod existat istarum discrimen: Separationem præcedere digestionem,

Cuius plurimæ quamuis ſint formæ, quòd ſingula membra ſuas peculiares habeant digeſtiones, tres tamen generales quæ ſpectant ad vniuerſi corporis conſeruationem demonſtrat, vtpote primam in ſtomacho, vbi ſulphurea ſeparantur à ſalſis & mercurialibus & expelluntur in inteſtina, reliqua duo tranſmittuntur iecori, Secũdum in hepate, vnde mercurialia tranſmittuntur in totum corpus ad illud nutriendum: Salſa verò mittuntur renibus in quibus tertia digeſtio abſoluitur. In ſecundo libro morborũ in ſtomacho eiusque regionibus naſcentiũ cauſas, ſigna & curas doctiſsimè deſcribit. Tertius & quartus eadem methodo ægritudines iecoris & renum, ipſorumq; regionum declarant, quorum ille hepatis, hic renum apertiſsimè non ſolùm morbos eorumque curas, ſed etiam omnia accidentia ob oculos ponit. Vltimus docet morbos ſimplices & compoſitos, qui ſparguntur totum per corpus. Hæc omnia quantos fructus naturalis philoſophiæ veræ medicinę ſtudioſis, tartareo cruciatu afflictis, totiq; reipublicę Chriſtianæ hoc tempore ſint allatura, ſingularis tua Celſitudo, eximiaque prudentia optimè iudicabit, qui non ſolùm terra mariq́ue iam diu declaraſti maximis rebus geſtis tuas admirandas ac diuinas animi excelſi dotes, verùm etiam ſyncerisſimo & acerrimo iudicio de artibus humanioribus iudicium ferre ſoles, quod & veſtrę pręclariſsimę

rifsimę familiæ videtur eſſe proprium: cuius tot tantique extiterunt excellentiſsimi viri in omni genere virtutum, quibus tua præeminentia non abſque diuini numinis beneficio, pręluces, quöd nulla vnquã familia à dijs immortalibus auſa fuit optare. Itaque princeps illuſtriſsimè, nos medicinam perpetuam, puram & ſyncerã, quæ potiſsimum verſatur in quinta Eſſentia, arcanis & tincturis, edituri in lucem, non potuimus, ſi etiam voluiſſemus, hoc tempore dominum & patronum commodiorem inuenire, cui hæc dedicaremus. Excelſa enim & ſumma, præeminentibus ac ſupremis conueniunt. Veſtram nunc Celſitudinem rogatam velim, vt me ſemper habeat commendatum, agnoſcatque meum promptum animum. Ex muſęo noſtro die ipſa 7. Martij anno ſalutis 1563.



AVREOLVS THEOPHRASTVS PARACELSVS MEDICINAE VTRIVSque Doctor, Honorifico ac nobili viro Domino Ioanni à Brandt I.V. Doctori, & parrocho in Eferdigen: amico suo summo S.P.D.

EGo semper in omni vita mea, singulariter affectus fui erga artem illam nobilissimam, quam Philosophiam adeptam vulgo vocant: semperque istius homines peritos per varia loca, varijsque susceptis peregrinationibus, diligenter quæsiui: & dum nonnunquam quòd quærebam, inueniebam, animo meo sæpe egregiè satisfeci, quæ voluptas cũ adempta mihi iam sit, meritò deplorandum ac lugendum, cùm seculum hoc, tùm vita etiam videtur. Eò etiam, proh dolor, hoc tempore res rediyt, vt de qua dico Philosophia adepta, planè à iuuentute negligatur: & quos dico veteres huius artis cultores, iam diu penè omnes mortalia reliquerunt, pauci admodum supersunt, quorum te vir doctißime vnum scio antistitem & lumen, qui & scintia & experientia ita perfectus es, vt tũ à natura natus ad eam artem, cùm vsu & Vul-

cani ac Apollinis arte planè absolutus videaris. Molestè certè, vt ingenuè fatear, fero, ac vitæ penè iam tædet: dū video hāc Philosophiam adeò decreuisse, & adeò conteptui, risuiq; obiectam esse: vt in illius locū sectæ, nescio quæ irrumpant, ex quibus homicidæ nobis prodeunt verius, quàm saluatores ac Medici. quid autem? Si seculo nostro hoc placuit, & corrigi vix potest. Credo etiam hoc redemptorem nostrum Christum in prophetia ex diuina prouidentia proueniente, considerasse: dum inquit: Erit gens contra gentem, erunt discordiæ, & contentiones: vt sic fortasis necesse sit: etiam inter Medicum & ægrotū: Item inter medicum & medicum, philosophum, & philosophum contentiones exitiales reperiri: adeò certè, id quod videmus ætas hæc nostra obcæcata est, vt contemptis rebus, garrulitate saltem inani contenta sit: & ea, quæ quis vaniloquētia sua forsan profert, ac defendit, pro istis facilè amplectatur. Ego libellum hunc conscripsi de Tartaro, eius scilecet morbi causas, originem, essentiam, ac proprietatem simul & curam: quo pacto abigi ac depelli queat, indicans: quem (quia propter locorum distantiam seiunctus, aliter non poteram animum erga te meum declarare) tuæ præstantiæ pro summo in te amore, ac beneuolentia

tia mea dico, ſcribo, ac dono: ſummè rogans, vt hoc exiguum munuſculum pro humanitate tua, & neceßitudine noſtra, ex ſtudiorum atque adeò animorum coniunctione nata, æquo ac hilari animo ſuſcipias: de quo etiam minimè diffido. Dabo ego operam, vt poſthac in pluribus tuæ præſtantiæ æquè diligenter, aut diligentius ſi poſſum, inſeruiam. Nec interim hoc te cælabo poſteaquam ab Eferdingen ad Bohemiæ Marſchalcum me contuli: ibi hunc librum aliquantulum auxi, ac dilataui: voluique eum ſtatim prælo ſubijcere: Sed à quibuſdã conditionis & facultatis meæ hominibus fui impeditus. Interim autem accidit quòd in Charintiam, fatis ſic volentibus, veni: & quia in ea, quemadmodum & alijs Auſtriacis regionibus hic morbus peculiaris admodũ eſt: in gratiã, laudẽ, ac commodũ Archiducatus Charinthiæ, vt melius intelligeretur, tertiò præ manibus ſumpſi, correxi, ac medicaminibus ſatis multis auxi: quẽ deinde vnà cùm alijs opuſculis Carinthiæ Præfectis excellentißimis viris obtuli: illorumque tutelæ commẽdaui: qui quoniam à natura propria Apollinis, ac cæteris artibus, quibus proximo inſeruitur, mirificè fauent & delectantur, in tutelã ſuã eum libenter acceperunt: nec ſe in hoc, verbis ſaltem, ſed re ipſa patronos ac Mæ-

cenates fore ostendunt: iamque animus illis est, ut absque longiori mora, statim ad Typographũ summa cum diligentia excudẽdum mittere velint: ut sic non suæ solummodo ditioni, non Carinthiæ, inquam, solùm poßint: sed vniuersæ etiã Europæ publicè inseruiant. Igitur, doctißime & excellens vir, quoniam animum T. E. cognoui, ac sæpius multis argumentis perspexi erga omnes Apollinis artes, eiusque homines studiosos, eorumque Mœcenates prõptum ac beneuolentißimum: obnixè rogo, ut huius Archiducatus Carinthiæ incolas, cuiuscunque status aut ditionis sint, in album tuorum amicorum ascribere in omnibus velis. Ego id spero, tempus breui fore, ut tibi præsens præsenti, pro veteri nostra consuetudine, ac certißima amicitia, de omnibus ad satietatem usque colloquar: interim adeo te philosophiæ Creator te, & nos omnes custodiat.

Bene vale.

LIBER DE TARTARO vel de Tartareis morbis.

Cur hũc morbum Tartareum appellet, qui vulgo Calculus, & arena apellatur.
Caput. I.



Via æquũ est in proposito nomen morbi, de quo tractatur, prius indicare: vt sic sciatur materiæ nomenclatura, priusquàm de ipsa materia agatur: volo ipsũ vocabulum morbi, & vocabuli quoque rationes, ac etymologiam primo explycare: deinde morbum aggrediendo, eius proprietates, causas, curandique modos ordine enarrare. Est etenim necessariũ valde hoc fieri, propterea, quia medicis veteribus cũ neotericis de nomine huius morbi contentio est. Nomen quo ipsi vtuntur, cum morbo non quadrat: nec cura quã ipsi putant, cum rebus cõuenit: quo pacto fit, vt schismata in medicina oriantur propter varios errores, & confusiones tã multiplices. Si qui autem quid agere, aut exercere velit, necesse sanè est, vt id iuxta normã rectam,

iuxta lineã,ac circulum agat: ita vt omnia sibi cõueniãt,nihil sinistrè,nihil perperam,nihil cõtra circuli metã inueniatur,sed singula recto ordine coniuncta sint,ac sibi constent. Quia igitur de tartaro tractandũ in hoc opere mihi propo sui,nomen hoc tartari ante omnia excutiendum diligenter existimo, præsertim cũ & in hoc à vulgo Medicorũ dissentiam.Non.n.nec de morbo ipso,nec de no mine in omnib.conuenimus:requiritur igitur,vt origo,fons ac deriuatio nominis ex vtraq; parte ostẽdatur: sic facilius de cęteris,de materia inquam morbi,disputatio patebit. Aduersarij nostri morbũ hunc calculũ, arenam, & nõnunquã lapidem vocant: sumpta æquiparatione à calculo externo, & arena: quam in aquis videmus:sic enim inquiunt,quia similis videtur, qui in homine calcul⁹ est, istis qui in ripis & agris inueniantur, vt quia talis apparet in homine arena,qualis in fluminibus,ideo sic meritò vocandus calculus & arena est.Sicq; metaphoricè loquendo falluntur. Nam iniustè id fit,& immeritò, quod morbus hic calculus vocatur: cũ longè alia, & diuersa

sit

ſit ratio calculi hominis, & riparũ:item arenę hominis, & riparum. Nimis enim longè hæc metaphora ducitur, & nimis liberè argumẽtatio fit. Habet quiddam hæc figura in dicendo nimiũ, & plus nitoris: & tũ adhibenda eſt, cũ proprium magis vocabulum non apparet, & dum ſignificantius aliud non inuenitur. In Medicina autẽ nullus locus huic tropo relinquitur. Debẽt enim omnia propriè iuxta virtutem, vim ac naturam ſuam appellari, cũ improprietas multum erroris facilè in hac arte pariat. In ſacris literis cum dicitur, Ego lux mundi ſum, itẽ ego ſum via, non vna aliqua vel ſeuacea, vel cerea candela, nec iſta via, quam pedibus calcamus intelligitur: ſed metaphoricè commodiſsimè aliã lucem, atque aliã viam intelligere licet: quod in medica arte ſic nõ eſt. Haud enim bene dicitur à medicis noſtris in ripis calculi iacẽtes duriores ſunt, ac creſcũt indies: item in ripis materia quædã eſt calculoſa, quę arena vocatur: in homine quoq; eſt tale quiddam duriuſculum, & calculoſum: ergo illud etiam calculum & arenã vocabimus. Alia enim vtrique ratio

est generationis, alia vis, & proprietas materiæ in homine atque ripis: quẽadmodum aliud est cãdela lucens, & aliud lux in scriptura, aliud via in scriptura, & aliud via qua pedibus itur. Quæ omnia ideo pluribus dico, vt admoneã medicinę studiosos absurditatis, ac incõueniẽtię ex tropo tali circa medicinam proueniẽtis, & erroris simul veteris medicinæ scribentium admoneã: qui ad hunc modũ calculi, & arenę hunc morbũ appellitant, quasi idem in homine calculus, & arena sit, quod externè calculus appellatur. Nã quia multum differentię, vt diximus, & adhuc dicemus, inter hæc est, & quia hic tropus vix ferendus tali loco erat; ideo in meis scriptis id indicare & corrigere, causasq; correctionis iustas afferre volui: quo talis error videtur, & magis ꝓpria voce morbus hic appelletur. Cõmodius itaque, & vt spero cõuenientius hunc morbũ Tartarum voco, id est, ęgritudinẽ aut morbũ tartareum; sumpto scilicet vocabulo à tartaro, quod sic ꝓprio ac genuino nomine vocatur, idq; ideo, quia oleum, aqua, tinctura, ac sal ex eo conficiuntur, quæ ęgrotantes nõ aliter, at-

ter atq; ignis tartareus incendit ac vrit (Tartarum enim cõmuniori vocabulo infernum dicitur)imo quia hic ipſe mor bus ſui naturam ex omnis generis tarta ro conficit,ac tartarum eſt. Tartarum autem,de quo nos morbi nomẽ deriuamus,præcipuam habet vim,virtutem ac naturam:talis etiam eſt eſſentiæ ac proprietatis:cùm lapides, calculi, ac arenæ nõ eundẽ effectum habeãt, neq; ad hũc modum incendunt,aut vrunt. Quia igitur nulla metaphora huc quadrat de cal culo & arena,Medicinæ conueniens:ab ſurdum eſt,ex forma ſaltem nomen indere,vt quia eandem formã habẽt in ho mine calculi,quam externè videmus ha bere lapides,ideo &nomen idem habeãt neceſſe ſit. Forma eſt eadem fateor, & quantũ oculis apparet,idem videtur cal culus in homine cũ alio calculo, & hoc propter coagulationem,non tamen eadẽ ratio generationis & coagulationis vtriuſq;,non eadẽ natura,&proprietas vtriuſq;:ſed quoad iſta quodlibet aliud ab alio,& quodlibet ab altero lõgiſſimè dif fert:quemadmodum Adamas & orizon differunt. Quia autem cum tartaro mor

bus hic conuenit,sic oritur,ex eadē materia fit,easdem causas, eādem naturam ac virtutem habet,& planè cum tartaro idem est : haud absurdum existimaui, si cōtempta metaphora soli materiæ inniterer, & eo nomine morbū appellarem cui conueniens est, quodq; secundū essentiam causasq; proprium nomē videri potest. Nam vt similitudine etiā vtar: non aliter isti hunc morbum arenam,& calculum vocant, quàm si quis simiam hominis nomine dignetur vocitare:propterea,quia gestus quosdā ac ludos humanos in eo perspicit:ex quo tamē non sequitur,vt homo simia verè sit, aut simia homo verè appelletur. Manet enim illi propriè & natura & nomen simiæ, simia vocatur,simia est & erit: sicut alter homo vocatur,homo est ac manet: idq; non propter hominis aut simię vocablū sed propter id ipsum, quia simia aut homo est. Quælibet enim res,ex eo ipso, quod per se est,& quod re præstat meritò nomē sortitur.Sic Anna nomē,mulieris personā mihi designat,Ioānis vocabulo virū significari intelligo. Et ideo hæc de nomine disputatio primo huius libri

loco

loco nequaquam negligēda videbatur, vt eò cōmodius posthac de cæteris cum aduersarijs meis disceptarem: postquam de nomine cōueniret, & de vocabulo lis finita esset. Videtur enim rusticum, ineptū, & minimè doctum, id lapidē, calculum, aut arenā dicere: quod calculus, lapis aut arena nō sit, id quod ex prima eius materia, ex operatione, & vltima quoque materia manifestè patet. Imò ridiculum quoq; visū est, & valde periculosum in ipsis medicis, dum morbū hunc calculum appellāt. cùm tamen sciant, calculū & lapides resolutionē non admittere: nihilominus tamē in morborum cura ita procedūt, vt istum calculum & arenam resoluere, dissoluere, ac puluerisare conētur. Verū hoc quidem si ita in cura tartari procedunt, vt corporalem processū in spiritualem conuertant, non multū à proposito aberrabunt fateor: cogitāt enim, quod lapidum coagulatio admodū coagulationis mucilaginis lapidum fiat: in hoc tamē errant, & in hoc vis cōsistit, quia tartari coagulatio ex ipsa mucilaginis coagulatione nō est. Metaphoricè igitur, sed longius ac ineptius facta allu-

fione calculus dici poteſt hic morbus ab ſurdum enim valde eſt,& minimè magiſtrale tam inconuenientibus,tamq́; pue rilibus ineptijs nobilem artem Medicã commaculare:cùm interim à rei proprietate & ſignificatione longè receditur. Nomen igitur hoc calculus & arena nõ rectè in Medica noſtra religione cõſiſtere poteſt:apud medicos dico, qui ſe doctores & peritos huius artis profitẽtur. Apud imperitos autẽ, ruſticos & rudes homines, quis negat, omnia fieri poſſe pro conſuetudine, & more? Ipſorum enim imperitia ac ſimplicitas veniã merentur,& hîc & vbiq;.Ruſtici enim,quia ſub tilioris diſtinctionis imperiti ſunt,omne id lapidem vocãt,quod lapidis formam habet,haud inter verum lapidem,& tartarum diſtinguentes.

Eſt enim vulgò apud omnes in vſu,vt cotes,quæ ex fagi ligno conficiuntur,lapides appellentur,cùm tamẽ lapides nõ ſint,formã tamen lapidis habeant.Quia autem morbum,de quo tractamus Tartarum appello,ęquum eſt indicare,quid tartarum iuxta germanam ſignificationem ſignificet.Et ſciendũ,quod quilibet hu-

humor terrestris continet & habet in se incorporatam quandam materiam coagulationi à natura sua aptam, vt in exemplis patet, & primo in vino. Est enim terrestris liquor ex terra proueniens, & talē materiam incorporatam secum adfert, de qua diximus, quæ materia apta coagulationi postquā peruenerit ad operationē vel actū coagulationis, tunc illud coagulatum separat, ac seiungit se à cætero, & ad extremas partes doliꝗ vel vasis depellit, vbi adhærescit: & illud ipsum, coagulata dico materia, vasi adhærens, vini tartarum dicitur. Sic in aqua eiusmodi quoq; materia inuenitur, quæ subtiliter se à reliqua aqua separat, & aquæ tartarum appellatur: Sic & in lacte lactis tartarum vocatur: Sic quoq; ex succo obsoniorum, & herbarum tartarum generatur, & nominatur tartarum succorum, herbarum &c. Sic demum in leguminibus, & omnib. istis quibus humor inest, quibus vescimur, aut in potu vtimur, euenire solet: & hoc est tartarum, non autem calculus, & talis est generatio tartari. Aliud autem est generatio tartari, & aliud materia tartari, quemadmodum a-

lud generatio lapidum,& aliud materiā lapidū. Quod ſic intelligēdum eſt: quod incorporata materia tartari non ex lapidibus oritur,ſed ex propria generatione, aliena à generatione lapidū: item quòd in tartaro reſoluto operatur, in lapidib. autem non ita:& propterea hic morbus tartarus vel tartareus appellandus eſt,& materia tartari, quod nomen deinceps ſpecificatur iuxta varias ſpecies humorū & liquorum:id eſt,quotquot externè genera ſunt tartari, tot in microcoſmo quoque genera inueniuntur.

Caput II.
De multiplici ſpecie Tartari,& quomodo cognoſcatur.

ANtequam ad reliqua capita tartarí accedamus,in quibus fons & origo tartari indicatur:& vbi materia eius conſiſtat,ac quib.modis in hominis corpus perueniat oſtēditur: neceſſarium duximus,ſpecies tartari prius enumerare & indcare, quomodo diuidantur corpora externa, & corporum deinde partes, vt ſic poſtea ab externis iſtis ſpeciebus ad internum in homine tarta

rum fiat collatio: quo facto, facilius quoque intelligetur corpus in quo tartarũ iacet, & quid illud corpus nobiſcũ agat, quidq; ex illo in nobis generet. In primis autem hoc præmittendũ & ſciendũ eſt, quòd hominis intellectꝰ, vel imaginatio interna de naturalibus generationibus, nihil certi inquirere ac ſcire poteſt: nemo enim, qui propria fantaſia ſolũmodo nititur, bonus in medicina theoricus erit: imo oculorũ & manuũ opus requiritur. Nam quod oculis videtur, manib. palpatur, id Theoricũ rectè & perfectè inſtruit ac docet. Hæc ideo dico qa hoc loco de tartaro dicendũ mihi eſt: vt ſciatur, quæ fundamenta, & quod tutamen propoſiti mei ſit, cùm æquè parum oculis proſpicio, quid in quoque corpore inſit atque alÿ ſcribẽtes perſpiciunt. Et vt clarius iſta dicã, qui ſpeculationib. ſuis nititur, ſimilis videtur illi, qui per omnẽ vitam in monaſterio educatus, nuſquã proſpicit, nihil aliud vel videt, vel diſcit niſi ritus monaſticos, quæque in monaſterio agi ſolent, ſcilicet ſolennitates, taciturnitatem, precatiunculas ſine mente dictas, crapulas, & ſi quid deinde eſt

arcanarum rerum ad monasterium pertinentium. In istis quia se exercet cotidie perfectus efficitur, & habitum sibi acquirit. Cæterùm si alias res tentet, si grauioribus se immisceat, si præter monasterij sui consuetudinem quid inchoat, haud felicius agit: quàm asinus si lyram tentet Quæ causa? quia alia nunquam didicit, in secularibus nunquam exercuit: ideo ad ea mutæ personæ similis est, & fungi vice fungitur. Talis igitur ille quoq; est medicus, qui speculationibus suis contentus, in illis se exercet, id studium vnũ & necessarium sibi putat, & in eo prorã & puppim ponit: nihil aliud agẽs, quàm de omnibus rebus phantasias quasdam inanes proferens, si in tartarum morbũ inciderit forte, quid aget quæso? Num statim eum agnoscet: non enim curam mox inueniet: minimè: quia quod in hac cura maximum, atq; omnium primum est, oculi ac manus eius non sunt instructæ. Non etenim oculis morbum vidit, non digito curam palpauit, & fantasia ex vagabundo ac incerto animo prouenniens rudior est, quàm vt ista posset. Sic igitur videmus duplices medicos esse, a-

lios

lios qui circa phãtaſticas ſpeculationes ſolum, circaque ſapientiam illam, quam ex libris hauriunt, more monachorum verſantur: alios qui vſu frequenti, experientia & ſequeſtratione, operationibus alchimiſtici ita rem viſibilem ac tãgibilem reddunt: vt ipſi eam introſpicere & palpare queãt. & ideo vehementer vereor, ne iſtis medicis libris ſic alligatis, idem accidat, quod in monaſterijs verſantibus: vt quemadmodũ hi aliud quàm tympanas tympanarumque ſonos neſciunt: ita illi quoque præter ſententias ex libris decerptas, quibus ſibi maximopere placent, nihil quicquam certi, aut firmi de medicina habeant: cum incerti de rebus certis, non videntes de rebus inuiſibilibus iudicant, ac loquuntur. & vt ſummatim dicam: iſta veterum ſcriptorum de tartaro ſentẽtia ac deſcriptio mihi diſplicet. Non enim poni debet ſcientia de tartaro ſpeculatiuè, ſed realiter potius, & materia huius morbi, ſicut per ſe eſt, iſtuc reduci debet, vt demonſtratiuè oſtendatur. Et talis theorica medicinę eſſe omnino debet: nam abſque tali demonſtratione

fieri non poteſt, vt medicus recta artis ſuæ fundamenta attingat. Quia autem ſpecies tartarorum in iſtis bibliothecis, in quibus cęteri de ficta, incertaq́; theorica libri ſunt, non reperiuntur: neceſſe eſt, aliam quæri bibliothecam, illam nẽpe, quò tales libros medicina habeat, ex quibus demonſtrationes de arte fiant, & vbi ſpecies tartarorum quaſi manibus apprehendantur. Iſti enim libri ſunt de arte hac medica abſoluti, & iſta bibliotheca omnino quærenda eſt. Iſta porrò de qua dico bibliotheca, vniuerſus mundus eſt, nõ ſolũ iſta pars in qua nos verſamur: ſed quidquid infra, & ſupra elemẽta eſt, & vbiq; adeò terrarum conſtituitur: quærẽdum igitur eſt vbiq;, vt non vna aliqua in parte huius morbi remedia inuenias: ſed vt vniuerſaliter medica theorica conſtituatur: quod tamen ipſum quàm difficile ſit, & quæ in hoc requirantur, animaduertite. Quę in his duobus elemẽtis ſupra terrã dico, & in aqua cõprehendũtur, ex iſtis cauſa & origo, deſcriptio, & tota theorica de tartaro conſiſtit: & quia vt ſuprà monuimus, ſpeculatiua theorica in chartis de-

ſcripta originem rectam nõ indicat, ſed terra & aqua, vti elementa, ac matrices ſunt: ex quibus fundamenti origo, ac demonſtrationes huius theoricæ fluut. Fateor certè me iſtum librum nondum perdidiciſſe, imò id quoque fator, vbi ego propter imperitiam deſino, quod ibi alter, item tertius, quartus, & ſic in infinitũ, vſq; donec finis actiui imponatur, incipient. Nam etſi Aſiam, atque Aphricã totã perueſtigauerim, & ſic iſta folia bene verſauerim perlegerimque, nõne. Europa quoq; reſtat, quę ad librũ pertinet? cuius, quamuis maiorem partem vidi: quis tamen omnes angulos rimare poteſt, aut quis vnus omnibus locis percurrendis ſatis erit? Igitur etiam ſingugulis nationibus medicina ſua, & medici ſui, qui eam in certam & decentem theoricam redigant adſunt: facile certè hoc conijcio mea recepta apud quoſdã homines longiſſimè hinc diſtantes, quibus medicina mea ignota eſt, & quorũ ingenia, natura, regioque mihi eſt ignota, inutilia, ac infrugifera fieri: ſimul & illorum recepta apud noſtrates, cum regionum aliarum longè alia ſit nutura,

& constitutio. Quæ pro Europa scribo, an Indis, Aphricis, ac Asiaticis quoque profutura sint, fortassis dubitãdum est. Illud certò scio: quæ apud illos medicina vocatur, apud nos minimè valere. Quemadmodũ enim quælibet dies suas afflictiones, & quælibet sciẽtia modum suum habet: ita cuilibet prouinciæ, nationi, ac climati suæ sunt proprietates, inclinationesq́ue ab aliarum nationum proprietatibus differentes & sciunctæ. & quoniam quilibet dies suas curas patitur: sic vna quęuis scientia, & quælibet regio suas molestias: item commoda alio atq; alio modo habet: ex quibus necessariò sequitur, vt quilibet medic⁹ bonus Cosmographus & Geographus fiet qui medicinæ folia pedibus euoluerit, ac oculis aspexerit: vt sciat quid cuilibet regioni proprium sit, & quid theorica nationum per se demonstratiuè medicum doceat. Adsit igitur oportet variarum terrarum peragratio: vt sic multis terris peragratis, visis, ac cognitis, deinde etiam quæ, & qualia in quaque terra tartarea corpora sint cognoscat: & sic omnis tartari species rectè perdiscũtur.

Consul-

Consultissimum itaque videbatur, vt ad hunc modum quilibet medicus patriæ, ac regionis suæ tartarea corpora penitus introspiceret, peruestigaret, ac disceret: & deinde, tartareas species, quas iam expertas haberet, describeret. quod si ab omnibus medicis in singulis regionibus fieret, tum demum futurum esset, vt iste liber medicinæ, qui terra, & aqua vocatur, verè, & cũ fructu in chartis describeretur: in quibus tamen non alius futurus adhuc esset, quàm in tabula homo depictus est. Vbi, etsi ipse homo non propriè adest, tamen imago adest, vt cognosci queat: & quenadmodũ in mappa mundus depictus est, ex qua aliqualiter terrarum regiones, ac differentiæ cognoscuntur: cognitione dico, etiam si peregrinatio non accesserit. Sic in medicina dico fieri oportebat, vt si vel propter vitę breuitatem, vel propter locorum nimiam distãtiam omnes omnia experiri, & singuli singulis regionibus adesse nequeunt: tamen in libris aliqualiter id experiantur, hoc quo dixi modo, vt à veris experimentarijs singularũ regionũ res naturæ & operationes

deſcribantur:& quaſi ad veram effigiem depingantur, ex qua deinde deſcriptione vel pictura cæteri medicinę ſtudioſi fundamenta ſua diligenter hauriāt.Iam bibliothecam medicæ religionis rectè perdidiciſtis:ſi ſic hunc librum ex certo, ac principali libro decerptum perlegatis:& probaueritis diligēter, & planè ita res ſe habet, vt qui theoricus medicus eſſe velit,is peregrinandū, & diſcurrendum ſibi paſſim proponat, arbitreturq́; varijs regionibus viſitandis librū medicinæ ſibi euoluēdū eſſe:nō domi deſidēdo,non ficus & nuces colligēdo:quemadmodū hactenus à doctoribus & ſcriptoribus medicis factitatum eſt: qui nō longiùs diſcendi cauſa peregrinari, ac abire conſueuerunt:quàm vt ſtatim focū laresq́; repetere liceat: id eſt in cœnaculis illorum experiētia eſt, cuius ibi quicquid phātaſiæ fortè incidit,id medicina, & egregia ars eſſe debet. Bibliothecam autē ſpecierum tartari ita intelligas velim,vt ſciātur ſpecies tartari, quæ in homine ſunt,ex tartari ſpeciebus externis cognoſci debere:Tartarus enim ex corporibus vtrorumq́; elemētorum in ho-

minem prouenit: ſcilicet ex elementis, tam externis extra hominem, quàm internis in homine conficitur, ac naſcitur tartarus. Ex quo ſequitur, quicquid tartareum elementa in ſe habent, quod id ſtatim tartari modo in hominē perueniat, & tartarum fiat. Et ſic tartarus externus cum tartaro interno bene conuenit in hoc, vt iuxta externum nomen ſortiatur internum. Vnū etenim genus eſt, vna materia, vnaq́; vtriuſq́; eſſentia, & hoc nomen quoq; ab eſſentia externa capit, non autem metaphoricè. Porrò autem nullus tartarus externus inuiſibilis eſt: videri enim poteſt in, & per examē corporū ſuorum, idq́; demōnſtratiuè, haud ſpeculatiuè. Hoc quemadmodū de externo, ita quoq; de interno ſentiendū eſt: eſt enim ęqua & iuſta ęquiparatio, & firma admodū cōnexio: & ideo perquā neceſſarium eſt, omnes ſpecies, quēadmodum, & quales ſint in mundo, cognoſcere, vt ſciāt, quot corpora, deinde quot tartarorū differentiæ ſint, vt de vino quā multiplices ſpecies tartarorū veniunt, de aqua, quot de herbis, de fructibus, de liquoribus: quot nā hæc ſunt

corpora, in quibus tartatus eſt, ex quibus etiam in hominem peruenit. Sunt multiplices herbæ, liquores, ac fructus: ac ſic quoq; multa & varia genera morbi huius in homine: præterea ex compoſitione quotiescũq; duo, aut plura corpora coniungantur, vt in cibis fieri ſolet, alius tartarus generatur, & alia ſpecies, quod maximopere notãdum eſt. In hoc enim mirabile myſterium eſt ſitum: & in hoc valdè erratur circa morbos tartareos: quod ideo dico, quia iuxta tã varia morborũ genera, etiã remedia varia quærenda ſint, & exhibẽda. Aliam enim medicinam requirit tartarus vini, aliam tartarus aquæ, aliam ciborum, lactis, fructuum: & ſic de cæteris: in quibus niſi talis diſcretio fiat, & niſi ſic cautè prouideque accedatur, haud facilè medicina certa & cõſtans adeſſe poterit. Hominis enim tartarus iuxta regionis tartarum, ac iuxta ea quæ naſcuntur in regione, cognoſcitur. Libri igitur chartacei ſcripti nũquam tartarorum bibliothecam perfectam efficient, ſed iſti libri pedibus calcandi, vt in hoc capite diximus, hoc poterunt, & ſolent. Nam ex his tar-

tari

tari theorica est;ex his tartari causæ cognoscuntur:ex his etiam recepta contra tartarum nobis promittuntur. In alijs autem libris tartari generatio nũquam rectè à veteribus medicinæ indagatoribus descripta est,nec in istis quærenda, quia nunquam inuenitur:peregrinando autem, varias nationes visendo, earum naturas inspiciẽdo,specierũ diuersitates cognoscendo:vt quemadmodũ in externo mundo tartara mutata videmus, ita in microcosmo ea variare sciamus: hæc recta bibliotheca est,hi recti ac omnibus lineis perfecti libri sunt, ad hunc modũ perdiscendum. Si quẽ igitur pudet peregrinationis, etsi quis laborẽ molestiamque illam abhorret,si demũ ibi quærere recusat vbi thesaurus certò inueniri potest,ille nunquã feliciter laborabit, nunquam in medicina finẽ rectum inueniet nunq̃ deniq; ad motũ terminũ & metã in hac scientia nobilissima propositã perueniet. Quid enim quæso obest id discere,quod ab oculis magistris facilimè discitur:aut quid nocebit experientiã magistrã sequi? Nõne oportet ac necesse est vt ista omnia primò apprehendãtur, ac

discantur mediantib. oculis? Oculi ergo deinceps, quia experiẽtia plurimũ delectãtur, testes tibi erũt & professores. Inanis enim tua phantasia, mihi crede, nunquã te eò ducet prudẽtiæ, vt te medici titulo iustè gloriari queas: quamuis huiusmodi sophistis intus alligatis moris est, vt sua sapientia putent se omnes omniũ terrarum, maris, elementorũq; fines peruidere ac cognoscere, nec ista tamen solum, imo etiã Dei ipsius œconomiam, mentemq; se in manu habere existimãt: quod tamen ipsum quàm absurdũ sit, & dictu turpe, quilibet secũ facilè iudicat.

Quæ materia tartari sit, & vnde originem habeat in his, in quibus vniformiter crescit.
Caput III.

VT autẽ plenius vos de materia tartari instruam, quomodo ea externè in mundo cognosci debeat, in quibus corporibus iaceat, & cum istis corporibus quomodo vniatur: sciẽdum est, materiam istam tartaream esse superfluitatem naturalem, & segregationem quandam ab omnibus corporibus coagulatis, quę iuxta quamlibet concordãtiam

tiam cũ ſpermatis parte miſcetur. Quã definitionem,& quomodo iſta terreſtris materia à coagulatis corporibus ſeparetur diſtinguaturq́;,ſic intelligite. Quodlibet corpus debebat per ſe eſſe ſimplex, ſine omni permixtione: vt aqua, nil niſi aqua puriſſima,abſque vllo addimento: ſic ſuccus herbarum non niſi ſuccus eſſe debebant puri & immaculati ab omni commixtione alia, quod tamen ipſum ita eſt:imò in omnibus ſic accidit,vt purum cum impuro mixtum ſit: quoniam cum aqua lutũ,cum vino feces ſunt mixtæ. Poſteaquam autem arte accedente purum ab impuro ſeparatur,tum demũ aqua non niſi aqua, vinum non niſi vinum merum remanet.Illud igitur impurum,quod ſeparari cõuenit, tartarum ipſum eſt,de quo hoc libro tractamus:ſic que clarã eſſe definitionẽ,ac bene intelligi poſſe ſpero. Verumtamen ſummopere aduertendum, vt etiã diſtinguatur hoc modo.Iſtius impuri triplex eſt materia ſeu proprietas,vna quidẽ quæ reſolutioni:altera, quæ coagulationi apta eſt. Quæ reſolutionis eſt, ad tartarũ noſtrũ nõ pertinet:quãuis & ea hoc libro com

prehenditur:tamen ita eam ponimus,vt lutum in sputo:altera autẽ impuritas coagulationi obnoxia,ea eſt, quæ tartarus dicitur,ipſe ſcilicet morbus de quo ſcribimus,vt infrà latius ordine videbimus. Præterea ſciendũ quoq; eſt,duo eſſe,quę iuxta tartari corpus intelligi debeant,vt mucilageã lapideã,& ſal gemmarũ, quæ duo ſunt impurior pars corporum, & inclinata aptaq; naturæ lapideæ coagulationis ac formationis. Porrò autẽ ex aqua ſunt lapides,ex terra tartara:vnde ſequitur duo genera tartarorum eſſe:Vnũ ex elemento aquæ, alterũ ex elemento terræ:quæ tamen ambo tartarum generant.Nã quęlibet humiditas,ex terra prouenięns, habet in ſe innatam quandam ſalſedinem, item tartareum quiddam, quaſi viſcoſitatem apparentem, & iſta à coagulatis corporibus reſoluit ſe in terreſtres humores.Quemadmodum enim cortex in arbore,item ſpongiæ,cæteraq; quæ circa arborẽ,& ex arbore naſcuntur in arbore quidẽ ſunt, arbor tamen non ſunt:ſic quoq; ex lapidibus prouenit materia quædam, quæ procedit in liquorẽ terræ:qui liquor ſuum ſequitur nutrimẽ

tum

tum:& in omnibus crescētibus rebus reperitur .Ista crescentia si talem liquorem attrahunt,& archęus impuritatem nō separat, idem tartarum à liquore puro non sciungit, sed permixtum in nutrimento esse patitur,fit vt sic perueniat in crescētia, ex crescentibus deinceps in hominē.& vt clariora ista fiant, crassiore Minerua dicēdo pergemus.Aqua omnis generis lapides gignit,bonos simul, malosq;,magnos paruosque. sicut enim ex terra arbores,ita ex aqua lapides proueniunt ac crescunt:iam autem inter aquā & lapidum generationem residuū quiddam & superfluum remanet,quod quasi caput mortuū fingi posit, cuius natura visq; non est vt lapis fieri queat. Illud igitur residuū matrici suæ, id est elemento suo inuestitur,& in illo elemento permanet, estque impurum, vel impurior pars istius elemēti.Iam igitur cum impuro ipso & impuro illo mixtura quędā est quæ in se simul indies crescit,& simul in dies ab alijs crescentibus appetitur & attrahitur:vt qui aquā bibit,ille appetit,ac bibit illam:cū illa autem id quoq; bibit, quod in aqua est impurius. Vinum qui

bibit, ille & cum vino impuriorem haurit partem: & sic quicquid demum est, quo vescimur aut vtimur, in eo semper impurum simul cum puro permixtum sumimus: sicq; semper hæc in omnibus potus & cibi partibus cõmiscentur. Tale igitur quoddam est etiam mucilago, quæ postea quam à suis partibus, id est lapidibus ségregata est, quemadmodũ de impuro aquæ modò dixi, nunc segregatum quiddã à puro manet. Est enim mucilago lapidea, & sal gemmarum lapideũ quiddam, separatum tantũ à lapidibus: Sicuti cortex & spongia ab arbore separatum quiddam sunt: item quãtum cortex arboris, & spongiæ ex arbore crescẽtes ab ipsa arbore sunt, & differunt, tantum inter se differunt herbarum tartarus vel lapis, & materia tartari in homine: & qualis ista materia lapidum & arenarum in sese est: taliter quoq; in homine iuxta illam tartarus cõfirmatur: & fit semper tamen subintellecta differentia spongiæ & arboris: & sicut cortex, & spõgiæ nunquã rectè arbor dici possunt, vel lignũ: ita quoq; tartarus in homine nunquam rectè appellabitur lapis vel arena: igitur

igitur mucilago,id est,illud superfluum, & residuum, ac sal gemmæ superfluum & residuum, vbi simul coniuncta in aliquo loco inueniuntur, & operationes suas habuerunt:tunc demum ex ipsis illud fit ac efficitur, quod virtute illi⁹ spermatis fieri poteſt, & ad quod iſtud sperma eſt aptũ. Quicquid enim generatur, virtute & vi spermatis generatur: & semẽ quodlibet,nisi suum sperma habeat, herbas nunquã progenerat:sic quoq; in proposito,& quemadmodũ in clauo fabricando fieri solet: faber accepto ferro ignẽ cũ eo coniungit, & sic cõiuncto cũ ferro igne,clauũ aut aliud quodlibet efficit. perfecto clauo,ignis iterum recedit, iam scilicet absoluto clauo,nec amplius circa illũ operatur.Sic quoq; cũ mucilagine & sal fieri dicimus:sal enim recedit aufugit,abit,mucilago remanet, consiſtitq;, & eſt ipse tartarus.Quod sic intelligitur,mucilago eſt ipsum corpus,sal autem eſt virtus, quæ coagulat & cõgelat. Sic igitur sal suã cõgelationem perficit, etiamsi subſtantialiter non adsit, mixtura tamẽ perfecta adeſt:tunc residuum sal iterum abit in excrementum:de mu-

cilagine autem tartarea nullum fit excre mentum, sed massa per se permanet. Sic igitur quædam permixtio reperitur, in qua sperma consistere cogitur perfectũ tum sale, tum mucilagine: requiritur deinde etiam archęus adesse, qui fabri vice est. Istorum igitur trium vbi alterum deest, aut minus perfectũ est, ibi tartari generatio esse nequit: & sic defectus vel mucilaginis, vel salis, vel archæi, optimum quiddam in hoc morbo est, quia tararũ non generat: fit tamen alia quædã inde putrefactio, quæ quoq; in morbum incidit. Sic igitur ista omnia quæ intelligẽda sunt, quod superfluũ sperma de coagula tis corporib. tartarus ipse est, à quo ipse paroxismus, & morbus tartari prouenit: vt suprà ad satietatẽ vsq; dixim⁹. sic quoque generatio lapidũ in aquæ elemẽto est, vt quod est residuũ, illud lapides quidem non conficit, sed tartarũ, idq; duobus modis: per resolutionẽ & per coagulationem. Sciendum præterea est & hoc, nõ solũ mare, lacus, flumina, fontes, riuulosq; aquæ elemẽtũ esse, aut aquæ appellatione cõtineri: quilibet liquor, & quodlibet humidũ quod attrahit, & quo sitis extin-

extinguitur,elementũ aquæ dici poteſt, & debet: quicquid deinceps appetitur & attrahitur ad depellendam famen, id terræ elementum eſt:quæ duo elementa nuſquam ab inuicem ſeparantur: ſed potius tanquam maritus & vxor incorporantur. Tartarus igitur hominis iuxta naturam,ac eſſentiam tartari mundi fit: & illud tartarum mundi ſcilicet iuxta proprietatem naturamq́; lapidum: eius ſpeciei,& ex qua fit,formatur: ſic deinceps cum arena & aliјs ſpeciebus, ſemper tamẽ obſeruata, vt ſuprà admonuimus,diſtinctione, quæ eſt inter fungum & lignum: inter corticem, & arborem. Vt enim fungus lignum non eſt,quamuis ex ligno natus: vt cortex arbor non eſt,nec dicitur,ſed cortex quamuis cum arbore naſcitur: ſic quoq; tartarus nullus lapis dici poteſt, cum idem ſit reſpectu lapidis, quod fungus reſpectu arboris. Sic quoque nihil refert, quin tartarus viſcus lapidum vocitetur, aut mucilago: hęc tamen nomina non aliter tartaro competunt,niſi in primis, antequã materia ipſa coagulata ſit. Nã quàmprimum coagulata fuerit: ſortitur & reti-

net sibi vnicum nomen tartari: quę coagulatio fit post spumationem & digestionem, id est, illud quod primò lapidũ viscus, vel mucilago dicitur: non propriè aut substantialiter tartarus est, sed liquor saltem nondum congelatus: & is deniq; liquor coagulatur post digestionem, separationem & decoctionem, id est, postquam nata iam, & ad iustũ modũ aucta à matre secernitur, tunc sequitur vt primùm propriis viribus, & ex propria naturalique virtute, impurius abs se abigat, propellatque: quę separatio, & purgatio si facta fuerit, tum tartarea materia essentialiter adesse incipit, non coagulat se à prima sua materia in vltimam, fitq; sic tartarus vini, aquæ, succorũ, lactis, leguminum, &c. Hocque diligenter cõsiderari, & à medico homine curiosissimè disci, & masticari debebat, vt sciat, quæ tartarorũ sit natura, ac proprietas: quando inter sese quoq; tartara diuersa reperiantur, vt quia alius est tartarus lactis, alius ordei, alius carnis, panis, vini, aquæ: & in his, quia non solùm tartara nascuntur, sed etiã feces, vt videmus feces vini: debebam⁹ animaduertere tales

quo-

quoq; in homine feces tartareas naſci, quę quoq;,vt diximus,morbos gignunt. Hos morbos imperiti quidã, ac ſimplices medici apoſtemata eſſe dicunt, putrefactiones, & reſolutiones ſpermatũ, & talia neſcio quæ indicant eſſe: tamen nihil aliud niſi feces tartareæ ſunt: germano ac vulgari vocabulo, heffen oder trůſen: & iſta genera vnum quiddam vidẽtur, & etiam ſub vna cura comprehendi: ĳs deniq; medicaminibus ſimul curari,tolliq́ue & poſſunt, & debent. Ex hoc igitur iam apparet, vbi medicus ſuam artẽ quęrere, & vnde fundamenta ſcientiæ ſuæ haurire, quo etiam pacto morbos cognoſcere queat. Nã quæ externè nobis cotidie apparent in rebus huiuſmodi tartareis, ea quoque in homine ita ſe habent. Hac theorica medicina,hæcq́ue bibliotheca medicinæ eſt: non autem libri puluere ſituq́; obducti, quos tineæ rodunt, quiq́ue catenis alligati ſunt:Imò elementa cum ſuis operationibus libri ſunt. Medicinæ igitur ſtudium requirit ſubtilem intellectũ,ſagax ingenium,hominem induſtrium, & ſenſibilem, & luce clariorẽ experientiã:

vt sic medicus sciat quid loquatur, quid agat, iudicetúe, & quæ dicit, aut agit, ea verè sciat: nec dubitet, non vacillet, non opinetur, non ex auditu, aut librorum fabulis suum scire habeat. Experiatur igitur ea quæ perfectè discere velit, librosque rectos terram, & aquam perlegat. Ibi namque inueniet, videbitque quo pacto ex lapidibus tartarus proueniat, lapideamque naturam, ac colorem aliquomodo retineat: id tamen non nisi hac distinctione, vt quemadmodũ cortex ad arborem: sic tartarus ad lapides referatur.

De quibusdam generibus tartari iam præteriti, & quæ tartarum non generant.

Caput. IIII.

HActenus & ea à principio enumeraui, ac recensui de tartari origine, quod scilicet crescat ex superfluo spermate generum lapidum & arenarum, & ideo superfluum, vel residuum dixi: quia id non de generatione, neque materia lapidum, vel arenæ est: nam & ideo id superfluum relinquitur separatum, ac seiungitur à massa lapidea, & arenosa: ac deinde in elementa peruenit, cum

cum quibus miſcetur, vt ſuprà dictũ eſt, & mediantibus ſic elementis in hominem denique defertur. Quo igitur pacto id ſpermatis deinde cibo & potui immiſceatur, & quo tartari genera in homine cognoſcãtur, quæ quidem multiplicia eſſe ſolent: id ita intelligendum eſt. Quàm multa & varia genera tartari ſunt, ſiue lapidum & arenarum externè in mundo, tam multa & varia reperiuntur, & eſſe ſolent internè in homine. Et quamuis lapides, & arena propriè non ſint, tartarus tamen iuxta ea cognoſcitur cuiusnam generis ſit, & à qua materia generatus, non aliter atque cortex & fungus arbor non ſunt, inditium tamen arboris ſunt, vt iuxta corticẽ, & ex cortice arbor cognoſcatur cuius cortex fuerat, & in qua arbore creuerat. In primis quidem omnes lapides, arenæq; vnum corpus fuerunt, à quo lapides diſceſſerunt, ac propriam ſibi formam ſumpſerunt per coagulationem: ſicque lapides accreuerunt. Quemadmodum enim in ranarũ ſpermate videri ſolet, vbi quotquot videntur nigra granula, tot ranulæ generãtur, ex quolibet ſcilicet grano

rana,quæ rana à paruo grano initiũ ſumit,à maſſa alia ſe ſeiungit, deinde creſcit:ſic quoq; ex arenæ granulis tam varijs multa genera lapidum dãtur:ex quibus,quaſi paruis initijs, ſinguli lapides creſcunt. Quorſum autem hoc,aut quomodo id accidit:quod cum altera parte ranarum ſpermatis fit,in qua granula nigra iacere videmus?animaduertendũ igitur in hoc quoque diligenter. Iſta autem reliqua pars ſpermatis,vbi granula, id eſt,ſemina ranarum inſunt, reſoluuntur,& in aquam rediguntur: & ſic deinde cum cætera aqua iterum commiſcetur,vt vna aqua appareat,cum forma ſit vna. Ex hoc igitur ſequitur,ſi quis iſtam mixturam aquæ,ac ſpermatis fortè imbiberit,vt in iſto homine ranæ creſcant, non tamen verę ranæ,ſed ſimile quiddã ranis, & tam agnatum ranis, quàm cognatus fungus,aut cortex arbori eſt: ſic igitur iam de lapidũ ſpermate vidẽdum erit:grana quidem iam generata ſunt in ſubſtãtiam,& vltimam materiam ſuam, altera autem pars eſt reſoluta in ſuum elemẽtum aquam,ſcilicet liquorem. Ex iſto igitur reliqua generantur, & fiunt

tartarea

tartarea genera: ista semper obseruata ac notata differentia, quamquam sępius iam addidimus de cortice arboris, ac ipsa arbore. Vltra prædicta autē de corruptione etiam harum rerum dicēdum erit. Generatio quidem lapidum in se & per se fixa est & perpetua: vt quia ipsi lapides nō rubigine, non tineis, non situ corrūpuntur, aut terūtur, sed substantia ipsorū perpetua est, nullis eiusmodi corruptionibus obnoxia: sic igitur & residuū ipsorum immortale est ac fixum, id est, quæ ex sese generāt, ea quoq; huiusmodi temporalem immortalitatem habēt, & sunt fixa & perpetua. Et hęc ideo indico, vt cū de tartaro loquimur, perpetuam, ac incorporalem tartareā materiam iuxta elemētorum perpetuitatem coniunctam, & vnitam intelligendam putetis. hoc enim ex hac causa accidere solet, vt quia infectio ipsa sine mora ac intermissione semper inficit, semperq; suum officium exercet: ideo & morbus ipse hoc repręsentat, ac per se clarè indicat, non tartarū solūmodo perpetuum esse, elemētari nempe perpetuitate: sed generationē quoq; primā talē fuisse, &

vltimam talem fore:& sic vnita & coniuncta inter se sunt generatio & generatum, fixa quadam fixatione. Quia enim necesse est hominem nutrimentis cotidianis ali, ac sustentari, tartarea autem materia in ipsis nutrimentis cibi & potus sita est:sequitur hominem ab initio ad finem vsq; sub, & in quatuor elementis esse & fore, simul & morbum. Item tali fixatione, & perpetuitate morbum semper fore:cum causa ipsius efficiens fixa ac perpetua est:vt in prima coniunctione crescentium aliqua ex parte, non tamen plenè videri potest.& hoc ipsum est, quod suprà monui, diligenter animaduertendum : corpora scilicet separare, ac purgare ab impuro suo sicuti vinum ad extrema vasis propellit, reijcitque tanquam impurius tartarum. Hoc fieri in vino videmus, non tamē in omnibus vinis:fieri etiā consueuit in aquis, non tamen in omnibus : item in fructibus, succis. Quia igitur vt diximus, homo cotidie cibis potuque nutrimentis ad corpus sustentandum necessarijs vtitur: sciendum est, quomodo ista corpora cibi & potus digeri, concoqui, & corrumpi

rumpi planè debeant, quoq; pacto operationes eorũ interrũpi & auerti queãt, ne ad coagulationem & effectum malũ perueniãt: idq; externè fieri debet, nõ in homine. vt ecce: Vinum quãdo peruenerit ad suam parfectam digestionem, tũc clarum, sincerũ & purum est: namq; à se se separauit tartarũ suũ, nec amplius tartarum efficit. Si autem ad istam digestionem perfectam nondũ peruenerit, id est nec sumptũ ab homine in hominis corpore id efficit: & sic quod extra hominẽ in vase fieri debuerat, id demum in homine fit: nisi quod in hoc multũ refert, qualis archęus in isto homine sit, quãfortis, & quàm bene separet. Is enim ipse est qui aurum purgat, & septies in igne probat, quiq; omnia per antimoniũ subtilissimè emendat. Hunc enim archęum omnipotens Deus his donis & magnalibus ornauit, hoc muneris ac officij ei tribuit sicq; οικόνομον agere in corpore hominis iussit, & adhuc iubet. Is igitur archæus, qui in seperãdo ac purgando non perpetuo perfectus est, nec diligens in suo officio, accidit quòd morbus hic perpetuò expectandus sit fixus, ac diuturnus: non

vt alij quidam temporalis. Quia enim aliàs perfectus est hic archæus, aliàs imperfectus: fit vt ipsa perfectio & imperfectio in digestione appareat, quæ quoque nunc perfecta nũc imperfecta est. Maior igitur in medico diligentia, cura & industria requiritur in cognoscendo morbo, quẽ si semel bene & penitus cognouerit si semel de eo certior factus sit, tũc perfectus statim erit ipse morbus in sua cura, vt scilicet facilè à medico, qualiscunque etiam sit, species tartari curetur. Si enim morbus perfectus fuerit, id est, bene cognitus, tũc curã quoq; habebit perfectã: sin imperfectus, cura quoq; eius imperfecta existet. Quia autẽ suprà indicauimus tartarorum genera varia, mentionẽq; fecimus de eorum fecibus, ex quibus morbus quoque alteratus ac nouus apparet. Igitur iam iterũ diligẽter obseruandũ ac sciendũ est, vltra prędicta genera lapidis & arenæ, vti vocant, alia quoq; esse, vt massam boli, massã luti, massam Tubelech, quæ, & alia his similia, quoq; hunc morbum tartareum, vt diximus, pariũt. Quãuis enim lapides propriè monstrẽt, attamen terna coagulata sunt, quemadmodum

modum bolus Armenus,Hęmatites,Rotila,Ochrum,& Epirita:cùm lapides quidem nō ſint,ſed lutū coagulatū ſunt.Tales igitur omnino generationes in homine quoq; ſunt, vt tartarus Hæmatinus, Epiritinus, Tartarus Rotilinus,&c.Hęcq; tartara ſæpe,quia facilè curātur & tolluntur,fallunt homines Medicos, exiſtimantes ſe lapidē,id eſt, tartarū coagulatum diſſoluiſſe:cùm tamen lutoſus ſaltē tartarus fuerit,facilisq;reſolutionis.Hęc enim de quibus dico genera,nō ſunt tartara petrina & dura,ſed lutoſa ſaltem,ex quibus deinceps quoq; coagulatio oritur,& in coctorū coagulatum abeūt. Apta tamen ſunt hæc Tartara ad liquorem & facilem diſſolutionem: ita ne diutius eſſe in homine queant,ſed indies ad exitum ſeſe parent. Quamuis & eorum quædam ſunt,quæ facilè coagulātur, ita tamen coagulantur,vt ad reſolutionem facilè reduci queant. Sic igitur apparet multa & varia tartari genera eſſe, quæ tum demum ad vnguem & ad amuſſim cognoſcūtur:ſi poſteaquam ab homine exeunt,exſiccantur & coagulātur. Tunc etenim quales ſint,cuiꝰ regionis,cuiuſuè

naturæ,petrina nè an lutoſa,perfectè vi-
detur.Et vt craſſius dicam: ſi reſolutus
tartarus in homiue per veſicam cum vri
na exit,iſte liquor iterum ad coagulatio
nem ſuam perduci debet,& tūc id fit per
coagulationem,quod antea in homine
fuit:& ſic cognoſcitur ex quo genere ille
tartarus vel coagulatus,vel lutoſus gene
ratus ſit. Hæc omnia medicus ſi ignora-
uerit,& hanc probam ſi neſciuerit,certè
& ille ignorabit quale regimen patienti
præſcribat,quæ vtenda ei permittat,quę
prohibeat.Quæ enim in proba inueniū-
tur,ea cauenda ſunt,& ab iſtis patiēs om
oino abſtinebit.Oportet enim,vt cogna
ta iſti tartaro remoueātur, & diæta cibi
potusq; ex alijs fiat:ex ijs nempe,quæ ab
ho c genere longiſſimè diſtēt & abſunt:
quemadmodum hoc infrà de regimine
tartari plenius præcipitur.Nā ita perpe-
tuo euenire ſolet,vt ſimile ſimili conue-
niat,& vnumquodlibet ad naturam ſibi
aptum,id eſt,ad genus ſuū reuertatur:ſic
calculoſa materia in calculum, lapidoſa
in lapidem, ſilicis in ſilicē, Tubelech in
Tubelech,arenoſa in arenam,vltrò & na
turaliter redit,ſcilicet niſi caueat patiēs
at

ab istis cibi potusque generibus ea, ex quibus tale tartari genus crescere solet, quale adfuisse ex proba suprà dicta indicatum est: tunc nimirum is ipse tartarus iam purgatus renascitur, morbusque ad statum priorem redit. Hęc cùm ita sunt, indicare necesse est, & ea quibus tartareus morbus vitari potest: ex quibus tartarus non crescit: vt sunt Crasis, Talcus, Marcasita, & Cachimiæ: item quæcunq; mineralibus assimilantur, & sulphur in se habent: item quicquid Arsenicum habet. Hæc omnia tartarum non efficiunt. Etsi enim feces pariūt more tartari: istæ tamen coagulationem non recipiunt sicut & ea, quæ ex Antimonio aut ex Magnesia proueniunt. nec metalla quidem tartarum generant. Nam quamuis spiritum tartari habeant, is tamen coagulationi non subiacet: cuius cuusa hæc est, quia in seipso resolutus & destructus is spiritus est, ita vt ad corpus suū primūre duci nequeat. Imo eiusmodi mineraliū spiritus, qui in tartara se cōuertere aliàs debebat, propter suam naturam & proprietatem, quam habet ad ascēdendum: ascendit ad collum, atque ibi strumas

efficit. Ad guttur enim aſcēdit, ibi caſtra ponit, ac iuxta virtutem ſuam operatur, ſtrumamq́; efficit. Eſt igitur idem conatus in tartaro luto, & in his ſpiritib. quāuis impar effectus. Nam quemadmodū lutoſus tartarus ad renes ſe ponit, ibiq́; tartareas operationes perficit : ſic ſpiritus ille ſuprema loca petit, & ibi quoq; tartari modo agit: ſic tamen, quia tartarum efficere non poteſt, dum ſine corpore eſt, & quia ſtrumę materiam habet criſpuleā, in iſta materia gaudia ſua, & quibus delectatur, inuenit: ibique pro voluptate ſua operando, ſtrumas circa venas efficit vel magnas vel paruas, ſicut id apparet. Talia igitur tartarea ex mineralibus prouenientia tartarum coagulatum nō efficiūt, ſed ſunt ſolūmodo mater ſtrumarum, deinde etiam ſuſtentatio, ac nutrimentum. Quamuis igitur diſtāt hæc genera inter ſeſe, in effectu tamen ſimilitudinem habent, & æquiparātur quoad intentionem: ſic vt quemadmodum vini tartarus in veſica, ſic hic quoq; liquores tartarei circa collum vaſa ſua, operationes virtutemq́; creſcentem habent: de quo iam ſatis: nō enim de ſtrumis diſ-

ſerere

ſerere propoſitum eſt. Videãt igitur medici in his rebus, & diligẽter animaduertant (hi dico medici, quibus hæc ignota adhuc ſunt) ne in medicina fallantur, ne errent, ac morbos ſibi adeſſe fingant, qui nequaquam adſunt. Hoc autem diſcitur & aduertitur peregrinando, Coſmographiam ac Geometriã oculis cognoſcendo, non in pariete depictam, non tabulas Ptolemæi contẽplando, non deniq; eos ſcribentes perlegendo, qui nihil aliud quàm multas, & varias ciuitates, latudinem mundi ingentem, & quid quiſque pellifex agat, deſcribũt. Hi enim, mihi crede, libri in medicina muti ſunt, & eorum literæ inefficaces, tum nihil indicant medico ad curas & medicinã ſuam. Neceſſe igitur eſt iſta neceſſaria ad hũc & alios morbos ibi medicus quærat, vbi quærenda ſunt: & vbi inueniri poſſunt, vt ſciat ſe quærere, ſe inuenire, nec decipiatur.

Quo pacto Tartarus in ſtomacho ſeparari debeat à nutrimentis & de alia ſpecie quadam Tartari, quæ quoque in homine naſcitur.

Caput V.

IAm autem vltra hæc, quæ de origine tartari hactenus diximus, dubium non est, quia tartarus ab externis rebus in nos perueniat, & in nos nascatur: ex his nempe rebus, quibus edendo & bibẽdo cotidie vtimur. iuxta eorum etenim naturam, vim suam & essentiam concipit tartarus qui in nobis est: sic vt de externis fiãt in nobis tartara interna, vt quod antea externè tartarus fuit in cibo & potu, id posteaquam sumpsimus, fit tartarus internus humanus, idq; propter œconomiam archæi humani, in quo trãsformatio est. Sed quia alia est vis & actio in transplantatione, item alia natura & vis in spiritu coagulationis: igitur etiam alia coagulatio fit in homine, ita vt forma color, & coagulatio externi tartari atque interni aliquid distent ab inuicẽ. De coagulatione igitur, & formatione tartari sciendum est, eam fieri non posse, nisi in hominis natura proprietas quædam insit, ad hanc coagulationem inclinata, & quę coagulatio adiuuatur. Nam propter externarum solummodo rerum efficaciam fieri id non potest, vt tartarum efficiat; sed requiruntur ad hoc duo spiritus

tus,qui homini Tartareo morbo laboranti innati ſunt,vt ſpiritus ſalis, qui eſt in microcoſmo,deinde archæus naturæ microcoſmi. His duobus quia tartara efficiuntur,quēadmodū id fiat iam porrò animaduertendum eſt. Spiritus ſalis ea eſt natura,proprietas,ac vis,vt omnia coagulet:nam ſecūdum prædeſtinatam coagulationem etiam carnem in carnē, oſſa in oſſa, ligna in ligna, lapides in lapides,arenam in arenam,metalla in metalla coagulat. Officium itaque eius eſt coagulare ea,quæ tartareæ naturæ ſunt: & coagulationi apta in homine reperiuntur. Archæi autem officium eſt ſequeſtrare,purgare,ſeparare,ac diſcernenere purum ab impuro: hoc enim perpetuò agit in microcoſmo,vt ſeparet, & mundum ab immundo ſeiungat. Sciendum eſt igitur quæ per virtutem,& vim in ſpiritu ſalis ſitam fiūt, ea internè coagulari in vltimam ſuam materiam,& vltimum corpus, quemadmodū & externa per hanc virtutem coagulantur,& in ſua coagulatione abſoluūtur, quod abſque hac virtute ſpiritus ſalis fieri nequaquam poſſet,Sic igitur natura quæ-

dam & immota in homine eſt, quæ tali tartarea generatione declaratur, quæq́; eam recipit, hic ſpiritus vbi non adeſt, & vbi ea receptio tartareæ generationis nō eſt: ibi tartarus nō efficitur, & ibi de morbo hoc timendum non eſt. Singuli enim ſpiritus, qui in homine ſunt, ſingulas voluptates habent, quibus gaudent, & quas expetunt. Spiritus igitur hic ſalis ſi non ſic affectus eſt erga tartarum, & ſi non tali voluptate erga ipſum mouetur, non agit ad coagulandum ipſum: & ſic tartarus non fit. Quomodo autē incipiat generatio tartari in homine, id quoque ſciendū eſt, dicemusq́; ordine. Principiò & ante omnia ſciendum eſt, quòd tartarus externè concipitur in cibis & alimentis, internè autem in nobis naſcitur, quod ita accidit. Archæus, qui in homine eſt primus, eſt author rei huius: nam cibum & potum poſtquam ſumpſimus, purgare debet: ita vt purius quod eſt ab impuriori ſeiungat ac diſcernat: quod igitur purum in ſanguinem ac carnē abire iubet: quod impurius, id reĳcere tanquam inutile quid ſolet. Quæ deiectio fit duobus locis, per

ſeceſſum,

ſeceſſum,& per vrinam.Prima igitur vis conſiſtit in virtute ſtomachi.Ea etenim virtus in hoc laborare debet: vt quamdiligentiſſimè ſeparet tartarum à bono nutrimento, tartarumq́ue tanquam ſuperfluum per ſeceſſum reijciat. Stercus enim & excrementum illud nihil aliud eſſe debet, quàm feces & tartarus.Nam in ſtomacho, vt diximus ita planè cibus & potus purgari debent, vt feces, & quicquid eſt tartari per ſeceſſum depellantur: vt ſic id ex quo tartarus coagulatus fieri poterat, deſtruatur, impediatur, & per vrinam eijciatur: ne tartarus fiat, ne cum ſpiritu ſalis fortè coniungatur, aut ei ſubiectus eſſe incipiat. Quàmprimum enim hac materia tartari, ad coagulãdum apta in dominium ſpiritus ſalis ſalua & incorrupta peruenerit, ſtatim tunc, & abſq́ue mora tartarus generatur. Requiritur itaque hic duplex virtus: expulſiua ſcilicet ventris per inteſtina, & altera expulſiua per vrinam: quæ omnia fieri per archæum ſtomachi debent. Hanc ob cauſam, vt ſic materia vltima tartari deſtruatur, & impediatur, ne ſpiritus ſalis domi-

nium incidat:aut si incidit, vt ita tamen corrupta antea sit,ne coagulatio ibi fieri queat. Quemadmodũ enim lignarius faber,si lignum fortè reperit sibi aptum, id format, ac fingit in quãcumque sculpturam iuxta arbitrium. Illud autem lignum si auferatur, si comburatur fortè, si putrescit,aut aliâs corrumpitur: tunc effectus ille in ligno aufertur fabro lignario,& quo ad istud lignũ impeditur eius effectus:sic hoc quoq; loco euenit, si tartari materia in stomacho destruitur:vti hoc natura facere potest,propter virtutẽ ac vim, & debet propter officiũ suum,tunc in isto homine tartarus non generatur:sin autem hoc minus fiat, & si ita destructio interna archęi omittitur,tũc quidẽ ad spiritum salis res redit. Namque tũ demum ille reperit, in quo se delectari,viresq; ostẽtare suas queat. Igitur etiam operatur grauiter, & coagulat materiam,tartarumq; efficit. Vinum in vase dum est,feces in fundo ponit:& id intestina vasis dici potest, feces autem stercus eius. Si igitur in nobis separatio fit, materia tamen non destruitur:tunc id in nobis accidit,vt & feces &

tartarus fiat: meatus autem vasa sunt, quibus feces & tartara adhærent. Vnà igitur feces & tartarus vniri cum stercore debent, vt sic simul cum stercore per secessum eijciantur. Ita fiet, vt salis spiritus nihil inueniat quod coagulet, & in tartarum redigat. Nam & feces pariunt passiones in nobis, tanquam tartarum: non tamē tartarum, aut arenam efficiunt. Si hoc pacto, vt diximus, separatio fiat vt tartarus per secessum, feces per vrinam expellantur. Vt igitur ista omnia præcaueantur incommoda tartari: in stomachi archęo situm est, si bene sequestrabit, si bene materiā corrumpet, tartarus prohibebitur: sin minus, tartarus efficitur: cuius quidem duplex est ratio: altera enim pars, fex scilicet in intestinis consistit: altera tartarus: nempe à fecibus separatur, & per cannas, ac meatus vrinæ pergit. His duobus generibus tartari spiritus salis occupatus est: agitque circa ea: & sic de externo tartaro iam satis dictum puto: nam hic tartarus adhuc semper elementorum tartarum permanet, quousque etiam donec fractus, & demum destructus ab

homine depellitur: tunc aliud nomen sortitur, & vocatur stercus, & vrina. Sic igitur se res habet. Ista materia tartari externè in rebus posita, etiam cum in hominem peruenerit, semper tamen elementorum tartarus permanet. Si autem in potestatem, & in insidias spiritus salis inciderit, & coagulatur, tunc quod externus & elementalis tartarus erat, spiritus ille malè conuertit, nempè in tartarũ microcosmi: & sic deinceps tartarus hominis est. Econtrà verò, vbi in homine iterum corruptus fuerit, & destructus opera ac virtute medicinę: tunc iterum ad priorem naturam & nomen reuertitur, appellaturque stercus, & vrina. Satis igitur iam dictum de tartaro in homine sito, & de eius origine, quòd scilicet à victu, à cibo & potu cotidiano in hominem primo venit: deinde per archęum vel diligentem cohibetur, vel negligentem cum auxilio spiritus salis in tartarum conuertitur, vt diximus. Sequitur nunc, vt altera hæc plenius nunc sciatur, de hominis vel microcosmi tartaro, quid amplius circa id fiat: sed de hoc in alio capite videbitur.

Iam

Iam autem quia aliud adhuc genus tartari supereſt,de quo nondum tractauimus,de eo quoque nũc pauca,ac neceſſaria diſſeremus. Id igitur tartari genus à prædictis diſtat,& aliud eſt,nihil externi in ſeſe habens,ſed eſt innatus tartarus in homine creſcens, in homine cauſam ſuam & originem habens,abſque omni externo auxilio, ac adiumento. Huius cauſa eſt, quia homo microcoſmus eſt, & ſua tartara ſibi innata non minus quàm externus,& maior mũdus habet. Quicquid enim eſt in mundo maiori, quęcunq; proprietates, eędẽ etiã in microcoſmo ſunt:non integra,vt in mũdo, ſed proportionaliter,& pro parte. Ergo etiã ſequitur,tartarũ in homine eſſe innatũ.Porro autẽ ea quoq; natura & proprietas in homine eſt, vt omnia in eo creſcãt, quemadmodũ & externè arbores,flores,herbæ & eiuſmodi:& elementa in homine,quæ ſunt indies operãtur, non aliter, atq; externè elemẽta operationes ſuas perficiunt: & ſicuti ex terris fontes proſiliũt,ita quoq;in homine.itẽ ſicut externè tartara, & lapides creſcũt, ſic in homine quoq; tartara generãtur,

coagulantur,ac crescunt. Nam etiam is in homine ordo & processus est, vt quę ex nimio augmento abundēt, ac superflua sunt,ea in elementa sua abeant, vt ab istis consumentur,sicut externè quoque fit.Hæc omnia ideo pluribus dico, vt intelligatur, tartarum in homine ita nasci naturaliter quemadmodum extrà in mundo: etsi in manus forsan spiritus salis inciderit,coagulatur. Porrò autem nō solum hic tartarus in homine adest, sed etiam lapides:in hoc tamen differētia est, quia lapides consumpti sunt, & corrupti,ita vt nunquam reduci queāt. Tartara autem destructa non sunt: igitur nasci ea adhuc necesse est. Omnes etiam superabundantes aquæ in elemētum suum mare recurrunt: quæ terrestria sunt quoq; elementum suum terram petunt: Ignea elementum ignis: & quicquid aereum est suum petit elemētum chaos, & sic externæ generationes consumuntur,ac in nihilum redigūtur. Iam ergo ad propositum vt redeamus: talia circa hominem quoque fieri debebāt,id est,eiusmodi superfluę generationes expelli ab homine debēt, & in suum ele-

elementum cogi, ſic tamen vt in homine conſumentur. Præterea & hoc ſciendum eſt, illud quod tartaro ac fecibus in natura eſt, ab elemento ſuo non conſumi: ſed tartarum & feces remanere. Poſſunt quidem etiam in elementis conſumi & finiri, quemadmodum aqua in elemento aquæ, dum ſpiritus coagulationis ſtatim adeſt, & in materiam tartareã vim facit, eamq́; in tartarum format: & hic tartarus ſolummodo ex propria natura hominis prouenit, ſubſtantiam ſuã corpus, & formam ſuam ex ipſo homine in quo eſt, capit: & hoc eſt illud genus tartari, de quo loquimur, alienum longè à cæteris generibus, quæ externè ex eſu & potu in hominem perueniunt: de quib. ſuprà diximus, hicq́; tartarus in meatu vrinę cruoris iacet. Ibi namq; propria & naturalis habitatio eius eſt, & ibi ſciungitur & ſeparatur, quemadmodum à vino tartarus ſeparari ſolet.

Quomodo à viris mulieres tartarum concipiunt.

Caput VI.

FOeminæ quoq; huic morbo tartareo obnoxię sunt: igitur id genus tartari quoq; aperiendum est & cognoscendum. In primis sciendum, in mulieribus duo genera tartari fieri: & dupliciter eas hoc morbo teneri: alius est tartarus qui in ipsis generatur, ex nutrimentis cibi & potus, qui illis cum viris comunis est, de quo suprà ad satietatē, spero, diximus: alius autem tartarus est, quem à viris ipsæ fœminæ concipiunt & hauriunt: de illo igitur, quemadmodum concipiatur, & quemadmodū in ipsis augeatur, iam dicemus. Multum enim confert medicū id scire: cū hoc etiam tartari genus summā curam ac diligentiam præcipuā in sanādo requirat. Primò igitur sciendū est, hunc tartarū de quo iam tractamus, solūmodo in fœminis reperiri, cū eum à viris accipiunt: & huius causa est diuersitas vasorū in fœminis & viris, cùm longè alia vasa sint in viro quàm in fœmina Animaduertendum igitur est in hoc diligentius: & primò de vasis, in quibus tartarus iacere solet dicendum est. Vasa ista varia ac multiplicia sunt, vt audiemus, & ex vasorum diuersitate sequitur, tartarum

rum hunc ſolum in vaſis regionis ſpermatis generari. Iſta enim vaſa in fœminis occupat hic tartarus, vt renes & veſicam. Ibi enim ſunt vaſa ſpermatica ſita. Nam quamuis nõ in his ſolùm locis ſperma eſt, ſed alibi etiam, actus tamen venereus hic maximè abundat & exuperat, efficitque commotionem omnium corũ, quæ in iſto loco ſunt. Sic vt quicquid in membris veneris iacet ad actum pertinens, id omne ſe manifeſtat ac oſtendit: & ſi quid ineſt ad ſpermaticam materiã aptum, quod cum ſpermatica materia miſceri poſſit, tunc miſcetur, & ei materiæ inſinuatur. Nam quod ſperma vocamus, non ſemen ſolùm eſt, imo vnà cum ſemine fluxus quidam & ſuperfluitas: quæ mixta & in actu ſimul mota effluũt, ſemen tamen aut verum ſperma non eſt Nam quod propriè ſemen eſt, vix vnius piſi magnitudine eſt: reliquum mera ſuperfluitas, & abundans quiddam humor eſt. Cui ægritudines nonnunquam ſe initio miſcent, perfectumq; in membris ad actum venereum pertinẽtibus iacet. Nãporos & meatus intrinſecus penetrãt iſtæ ægritudines; ita vt donec ad ipſos

perueniat,quod iam in curſu eſt ad exe-
undum, & ab iſtis exeuntibus accipiun-
tur,cum iſtis miſcentur, coniunguntur,
ſociãtur,vt quaſi vna materia fit:& ſic ex
iuit ad loca in quib.ſperma cõtinetur. In
actu deinde venereo cũ fœminæ vir cõ-
iungitur,ita ſit: ſperma iterum ſciungi-
tur,& ſuum proprium vas petit,quæ ſu-
perfluitates ſunt,in ſua quæq; loca diſtri
buuntur, ex quibus nempe locis antea
venerãt,vt quod in veſica viri antea fuit
iam in mulieris veſicam defertur, quod
in renibus viri, id in mulieris peruenit:
ſic quodlibet iſtorum ad locum ſuũ per-
uenit, excepta ſuperfluitate ſpumoſa,
quæ ſeipſam cõſumit.Hæc omnia vt me
lius intelligãtur, conabor explicatius &
craſſius dicere. Fœminis quidem ineſt
virtus attractiua:Viris autem expulſiua:
& hæc eſt cauſa: quamobrem fœminæ
tartarum ſibi aſciſcunt,non viri. Virtus
enim expulſiua ea vi inſiſtere, & cò ire
compellitur, quò eam attractiua trahit
cogitq;.Sic maritus expellit à ſe per vir-
tutem expulſiuam veneream in regio-
nes virtutis attractiuæ,quæ eſt in mulie-
re.Porrò autem viri expulſiua in actu ve
nereo

nereo non solùm hoc agit vt sperma tã-
tùm expellat,sed quamlibet etiã puram
materiam, & sanitatis & ægritudinum.
Nam isthic quædam conciliatio,& con-
iunctio est, ita vt omnis materiæ primæ
ibi in vnum locum conueniant,& vnian
tur. Tartarus autem dum ad mulierem
peruenit,non quidem id fit in vltima e-
ius materia,imo dum prima materia est,
ad eam peruenit antequam à salis spiri-
tu coaguletur,& ad vltimum finem re-
ducitur.Prima materia seminis in actu,
tanquam principalior pars præcedit: po
tẽtia enim & summa operatio in semine
consistit,& alias primas materias secum
vi trahit, isto vniuersi scilicet corporis
motu:de quo iam perfectè scribere,hui9
propositi ac instituti non est.Ea saltẽ tan
gam,quæ ad tartari cognitionem neces
saria requiruntur.Posteaquam igitur sic
in dominium virtutis attractiuæ perue-
nit,tunc demum quælibet prima mate-
ria ad locum suum trahitur,& in vas suũ
dirigitur ex quo processit, vt suprà indi-
caui.Et in isto loco in vltimam materiã
perficitur,& ad plenam perfectionem re
ducitur,hæc vltima scilicet materia si ab

ſoluta eſt,iam morbus quoq; perfectus & abſolutus in muliere adeſt, quemadmodum & in viro. Cum enim corpus,& vna caro duarũ perſonarum dum eſt,nõ inconueniens eſt,eoſdem renes, & eadẽ vaſa vtriuſq; eſſe:quoad omnes ægritudines.& quod vir à muliere tartarum ſibi non cõtrahit,ea eſt cauſa,quia virtus attractiua in viris tẽpore venerei actus nõ eſt.Hæc notanda & intelligenda ſunt de tartaro, qui à viris in fœminas prouenit. Sic quod ille in prima ſua materia dirigitur in locũ ſibi aptum,vbi eum eſſe cõuenit,& vbi vas ſuum habet: vt in renes, veſicã.Ex quo enim venit,in illud reuertitur:& dum ſic in loco ſuo conſiſtit, tũc in generationẽ ſine perfectione ire pergit,& ſpiritũ coagulationis ſuſcipit, ſicq; ex prima materia præparatur,atq; efficitur ad vltimam,id eſt,in tartarum. Ex his igitur videmus, quod à viris tartarũ non eſſentialiter & corporaliter in vltima materia perfectus exit, ſed qualis eſt ſolũ in prima materia.Ex quo prætereca colligitur,hunc tartarũ extraneum non eſſe, ſed tartarum propriæ naturæ eſſe, id eſt,non eſſe tartarum perfectum vlti-

mæ materiæ,ſicut externè eſt. Sed in prima materia adhuc eſt,deniq; ad expellẽdum adhuc aptus eſt, ſicq; in prima materia ad maritum,& in prima materia ex marito in vaſa mulieris peruenit.Iam autem iterũ differentia eſt inter primã materiam tartari eius qui in viro eſt, & primam materiã tartari,qui in fœminis eſt. Et eſt hæc: Tartarus extrane⁹ generatus quidem in hominẽ venit,nondũ tamen formatus:id eſt,generata prima materia adeſt,quæ vltimam dat, & ex qua vltima procedit.Ea prima materia ſe in duas vias ſeu partes diuidit,altera in viro permanet, altera in fœmina, & adhuc prima materia eſt in vtriſq;.Poſtea verò in vtriſque quæq; formatur,& ad vltimã materiã deducitur.& quanq̃ etiã cruoris tartarus in hunc modũ generatur,quo ſcilicet ad primam materiam (vltima enim materia non ſeminatur)tamen idem de vtrisq; iudicium eſt:& ad hoc ſciendum quòd tartarus extraneus tali pacto, vt ſpermate proprio ad virum perueniens, eſt prima materia:ea vel apud virum remanere poteſt,vel in mulierem effundi,

modò indicauimus. Quicquid autē coa gulationis ſpiritus ad ſe attraxit,& cui ſe ſemel immiſerit,id ad virtutem expulſiuam non attinet. Nec enim in ea miſcetur,nec per eam expellitur. Iam porrò & hoc animaduertendum eſt,quod accidere ſolet nōnunquam : vt prima materia tartari in operationem ſuam non perueniat,nec vltimam materiam ſuam formari poſſit.Cuius cauſa eſt,quòd vbicũque virtus attractiua eſt:ibi quoq; expulſiuam innatam eſſe neceſſe eſt: quod ita intelligi debet. Virtus artractiua omnia quæcunq; apprehendit ad ſe attrahit,ſiue bona ea ſint,ſiue mala.Sed proprietas eius eſt, ſemen tantùm attrahere,& tamen vnà cum ſemine attrahi neceſſe eſt & id quod ſemini vnitum eſt,& ſic acceſſorium ſequitur ſuum principale. Quēmadmodum enim vir vxorem ducturus ipſam quidem ſolam ambit,haud de veſtimentis ſolicitus multum eſt:attamen non ſpōſam ſolùm nec nudā ſecum domum ducit,imo cum veſtimentis & ſuppellectile vnà : veſtimentis ſponſus nihil opus habet, attamen alterum ab altero non diſcernit,& veſtimenta ſponſam vltrò

trò ſequuntur, Venit tamen poſtea tempus, vt ipſum, quod eſt principalius, ſpōſa ſcilicet, ab acceſſorio ſeparetur: & id eligitur ſolum, quod principaliter appetitur, & quod præcipuum eſt, & alterum cōtemnit. Igitur poſteaquam operatio recta inceperit, iſta acceſſoria, vti veſtimenta negliguntur. Sic quoque in propoſito intelligendem, quod ſcilicet ſuperfluum, quod vnà cum ſemine exit per virtutem expulſiuam, quæ in virtute attractiua recondita iacet, expellitur: & ſciendum quòd talis attractiua virtus ſolùm in materia ſita eſt, quæ ibi ſemen attrahit, & cum ſemine quicquid coniūctum eſt, cogitur ad ſe attrahere: tamē poſteaquam etiam coniunctum iſtud attractum eſt, per virtutem attractiuam in matrice, ſtatim adeſt expulſiua, quæ ſuperfluum, & ea, quę ad propoſitū non faciunt, expellit. Hoc tamen nonnunquam fit, nonnunquam minus. Nam in attractiua virtute hoc ſitum eſt, quæ in vaſe tartarorum eſt, quæ vaſa ſi purgantur, in ŋs operatio ſua eſt: etſi expulſiua intus matricem deficit, tunc eò res deuenit, vt nihil adhærere in vaſe poſſit.

Quemadmodum enim magnes chalybem ad se attrahit,non vt ipsius corpus appetat:sed essentiam illam,quæ in chalybe est sibi aptam,ac delectabilem quęrit,id exugit:reliquum quasi feces negligit:aut quemadmodum is qui nucibus vescitur, internum solum quærit, reiectis corticibus,& aliijs cohærentibus: sic quoque in proposito animaduertere, & scire debemus,virtutem attractiuam, & expulsiuam in materia copulatas,ac cōiunctas esse: ex quo hoc sequitur, quòd per actum Venereum nihil nisi ipsum semen retineri debet. Sæpe autem hoc quoque accidit, vt attractiua virtus debilis,& infirma ac inutilis reperiatur,ita vt neque semen,neque alias primas materias concipiat:& hæ mulieres neq; impregnantur,neq; alias ægritudines à viris concipiunt. Nonnūquam autem attractiua virtus fortis est,ac potēs: expulsiua verò debilis ac infirma, ita vt cum semine simul accepta per attractiuā, nō iterū expellātur: nec iterum in nihilum redigantur:tunc quia superfluū non repellitur,fit vt istę primæ materiæ,ad sua vasa & loca digerātur: Sæpe enim id ac-

cidit

cidit vt matrix quoque per ſeſe, tartari proprietates habeat. Ex quo ſequitur, tales generationes tartareas eo citius perfici poſſe. Et hęc tartarorum genera, quę ſic ex primis materijs tartarorum naturam, & proprietatem habentibus conflantur, peſſima & periculoſiſſima ſunt. Sic igitur (vt paucis ſuprà dicta repetamus) ſentire debemus: Primam tartari materiã in ſpermate, tãquam tartarum vini in vino poſitam eſſe. Semen enim perfectus homo eſſe debet, & in omnibus proprietatibus abſolutus, & tunc ex vno vaſe in aliud effunditur: ex vaſe nẽpe viri, in mulieris vaſculum, & quod in viri vaſe nondum ſeſe purgauit, vel ad tartari modũ poſuit, in fœminę vaſe ſe deinde ponit: quemadmodum id quoque in vino videmus, cum ex vno in aliud vas emittitur: quem in primo nondum poſuit tartarum, eum in altero ponit. Et hæc de tartaro, quem à viris mulieres concipiunt, ſatis.

De tartaro hæreditario, & quomodo pueris innaſcitur.

Caput VII.

Porro autem de hæreditario tartaro pueris innato, vbi multæ mirabiles generationes inueniuntur, dicere iam conuenit: vt cùm lapides aut tartarea genera pueris innaſcuntur. Et quamuis in pueris tartara perfecta in vltima materia non ſunt, dum naſcũtur pueri, tamen perfectè naſcuntur in prima materia, & apta reduci ad vltimam: vt ordine videbimus. Tartarus igitur pueris ſic innaſcitur, & hæreditarius fit: nam, aut ex nutrimentis, & propter nutrimẽta eſt hæreditarius hic morbus: aut ex operatione & virtute ſeminis. propter nutrimenta: vt dum nutritur, alitur & lactatur, etiam in vtero materno. Nam & tunc ex iſtis elementis tartarea materia attrahitur, ſicut & externè edendo, ac bibendo per nutrimenta tartarus in hominem peruenit. Ex ſeminis virtute hæreditarius fit propter ſpermatis ac ſeminis materiam, vt exẽplis propoſitis demonſtrabimus. Semen arboris poſteaquam ſeminatur, iſtam arborem in genere ſuo producit, refert, ac reddit omni forma, natura ac proprietate eius arboris: vti hoc experientia videmus:

demus, & sic in aliis omnibus generationibus, quarum tantùm semen fuit, euenire solet: vt cōsimile quiddam conferre, ac penè idem cum semine semina to generetur. Sic igitur & homines nascuntur. Porrò autem proprietates arboris in semine sitæ sunt, si semen vermiculosum fuerit, erit & arbor vermiculosa: si sterile semen fuit, erit & arbor sterilis: sic de homine quoque dicendū, & omnia hæc dicūtur propter cruoris tartarum, non propter tartarum peregrinū. Tartarus enim peregrinus hæreditarius nō est, sed cruoris tartarus qui cum sanguine est, in sanguine hæreditarius efficitur, quia is propriè hominis est, quemadmodum pes, manus, digitus, oculus, nasus hominis membra sunt, & id quemadmodum accidit, sic intelligendum. Omne partus principium à parente est: nam siue malum quid generatur, siue bonum, siue morbosum, siue validum, siue corruptum, siue integrum, in eo principij sui patris, nēpe, primas materias habet. Porrò autem illud principium in duas se partes diuidit, in primā materiam, & vltimam. Si in prima ma-

teria multũ ineſt,& ſemen in prima materia ſeruatur,vel emittitur, tunc hæreditatio adeſt, & iſta prima materia longius propellitur, eo vſqne donec ad vltimam perueniat, & tunc perfectum eſt, nec amplius hæreditatio adeſt. Et ſic notandum, ſi vel in ſolo patre, vel ſola matre tartarus cruoris eſt, in vltima nempe materia, tunc iſte tartarus hereditarius non eſt. Nulla enim vltima materia hæreditaria eſt, ſed prima ſaltem: quod diligenter notandum puto. ſi tartarus adhuc in prima materia eſt, tũc impurum quoque ex parente progreditur: ſin in vltima, tunc in illo, & cum illo finitur, in quo eſt. Ex quo ſequitur quòd primæ materiæ, quæ in toto corpore ſunt, innatæ ſunt: & quia ſemen ipſarum inhabitaculum eſt, & ipſæ ſolæ etiam ſemẽ cõſtituunt perfectum. quod ita intelligi debet: Omnes proprietates in homine ſiue membrorum, ſiue cogitationum, ſiue agnitionũ habẽt primã materiam ſuã, & iſtæ omnes proprietates quotquot ſunt, tã in elemẽtis quàm in æthere vnũ ſemen conſtituunt: quod ſemen homo eſt. Tale enim ſemen eſſe

debet,

debet, vt omnes proprietates in se comprehendat, nullis exceptis. Nam planè quicquid omnino in homine est, id simul semē efficit, ex quo sequitur, quòd ex viro & muliere hominis generati, infantis scilicet, natura coniungatur, & moderetur. Nam vtrorumque proprietates tum in generando vniuntur, & in vnam temperaturam miscentur: ita vt vnum saltem semē, vnusque saltem homo ex istis proueniat. Ex quo etiam varietates, & mutationes morborum, sanitatis, formositatis, morum ac cogitationum proueniunt: & sic aliud quoque sequitur, disiunctio nēpe, & coniunctio: hoc modo duo adsunt semina mariti & coniugis: hæc enim vnius sint cōcordantiæ, tunc omnes preprietates in partum proueniūt: & sic infanti innascitur parētum suorum valetudo, ægritudo, & alia. Sin autem diuersæ sint concordantiæ, tunc corruptionē pariūt. Nam proprietates confunduntur. Et sic quædam proprietatū discordātium perturbatio fit. Ex quo deinde alia theorica, alia via, & alius planè medicus sequitur. sequitur & illud, multos hæreditarios mor-

bos hoc pacto retardari, multos etiam alios,& nouos in ipſorum loca ſuccedere,qui partus mixtus, & duplicis naturæ eſt, quemadmodum mulus qui æquus, & aſinus eſt. Si autem, vt prædiximus, amborum proprietates nō diſcordant, ſed concordant,ex tali ſemine infans ſequitur, & cum eo aliæ proprietates parentum immixtæ: ſic fit, vt pueris parentum morbi, quales omnino fuerint, innaſcantur. Et vt ad tartarum redeam: ſi in prima materia humanæ compoſitionis tartarus fuerit, hæreditarius erit: ſin minus,contrarium: ſin autem in vltima materia fuerit, nec his cōtrarius erit. Ad humanam enim cōpoſitionem primæ ſolummodo materiæ confluunt, & conueniunt: iſtis autem morbis ſic prouenientibus nemo medicari poteſt, ſed incurabiles ſunt. Ponemus enim exemplum:duo ſunt coniuges cohabitãtes ſibi,quorum alter bonæ mentis forſan,alter autē inſanit,vel fatuus eſt,puerumque generant:is talis eſt, vt difficile iudicium ſit morio ne ſit,an ſapiens: fatuus nè,an contrà.Igitur id initium quia nō cognoſcitur:nemo tollere poteſt,aut

auerte.

auertere. Tales igitur generationes planè heteroclytæ, vt sic dicam, imperfectę sunt, & recto ordini generãdi contrariæ. Igitur nec natura illis remedium pollicetur aut præbet: & vltra prædicta de hoc processu morborũ notandũ est, si prima materia tartari in spermate præualet, tunc vnà cũ spermate exit & seminatur: & sic in cõceptione incorporatur, ac nascitur simul cum generato semine in suã proportionem, donec ad vltimam materiam perueniat. Nam tunc quælibet prima materia per se perficitur, & absoluitur in vltimam. Vltima autem materia seminis est homo, omnibus proprietatibus prefectus existens: sic vt quælibet prima materia ad suam vltimam perueniat perfectè: vt oculorũ prima in perfectos oculos, habentes omnem essentiam, ac vim oculorum: pedũ in pedes perfectos, &c. Et sic hæreditarij morbi cũ ipsa persona generantur, ac cũ persona crescũt, quilibet in suum terminum ac perfectionem. Ex quorum morborũ numero hic quoq; tartarus est. Sed hic terminus diligenter obseruandus est, ad quem quilibet morbus tendit: vltima scilicet mate-

ria. Tempus enim nō est idem aut vniforme in omni prima materia: sed in alia aliud, & semper sic variat. Ex hoc enim euenit, quòd nonnunquam tartari prima materia inter quadraginta dierum spacia crescit, scilicet vt statim nato infante, tartarus quoq; perfectus adsit: nonnūquam etiā intra primū mensem, intra secundum aut tertiū, prout formatio pueri est: nonunq̄ etiam crescere incipit, statim cùm natus est infans, & crescit quādiu à matre lactatur: alius è contra citius aut tardius crescit. Nam tēpus maturationis vltimę materiæ dispar est. Nā hoc tēpus & hic terminus ex spiritu salis prouenit: sic vt prout terminus spiritus salis fuerit, talis quoq; terminus crescentiæ tartari est. Hic autem spiritus in ægritudinibus neq; pueritiæ neq; senectutis respectū habet: in proprietatib. tamē vindemiam ac messē habet certam. Nam quādoq; crescere incipit, posteaquam à lacte infans renatus est, & crescit vsque in annum septimum: quandoq; à septimo in vigesimum primum, & deinceps à vigesimo primo vsq; ad finē hominis. Accidit etiam vt in vtero materno crescere inci-

incipiat,non tamen vniformiter, vt ſuprà dixi,ſed incerta tempora habet, propter quod etiam ſemper & quotidie vltima materia expectanda eſt.Proprietates enim microcoſmi tempora in ſe & rerũ ſpecies habẽt,non aliter atq; in extremo mundo arbores, herbæ, & aliæ res,motus vel celeriores vel tardiores habent. Et ſic huius cruoris tartari varia ac multa ſunt genera.Et hoc medicus in primis ſcire debet,vt compertum habeat,quomodo ſingula creſcunt ac tempore ſuo finiuntur.Tempora enim creſcentiũ rerum nihil aliud ſunt,quàm recta Phyſica theorica ſimul & practica. Medicus igitur in hoc diligenter animaduertat.Fieri enim poteſt,vt croci tẽpus tartari quoq; tempus ſiet,& croci ſpecies tartari ſpecies, vt quẽadmodũ croci generatio & maturitas celer eſt ac velox: ſic quoque tartari, ſi modò ſit eiuſdẽ temporis cuiꝰ crocus eſt.ſic etiã iuniperus ſpecies eſt, tempus habẽs trium annorũ.& ſic de cæteris omnib.intelligẽdũ.Homo enim mirabiliter in microcoſmũ formatus eſt,ſicuti hoc in libello de humana generatione apparet:quẽ librum qui nõ perlegerit

indignè medici nomen circumfert. Hic etiam articulus & punctus notãdus est, ad primum genus tartari peregrinũ scilicet, quomodo is nutrimẽtaliter in puerum perueniat: quod nẽpe in matre prima materia operatur, & cũ lacte succurrit, deinde in vasculis tartareis adhærescit: sicuti cæteris hominibus cũ externo tartaro accidere solet. Sic etiam cum lacte matris infans tartarum extraneum imbibit, & is lactis tartarus vocatur. Et hic processus qui de extraneo tartaro conscriptus est, in hoc obseruatur. Alius quoq; tartarus est, qui mẽstrui tartarus appellatur, qui cũ infante nascitur, & initium ac originem cum menstruo habet, à quo scilicet infans formã ac essentiam capit: is tartarus peregrinus est, & sic in vtero matris coagulatur. Qui autem in vtero materno nõ coagulatur, lactis tartarus vocatur: qui deinceps post lactis tempus generatur à vino nempe, vini tartarus est: & hic tartarus multos homines prosternit: sic vt ab infantia vsq; istum secum adducant, & ad mortem vsq; eo teneantur. Multùm igitur in hoc situm est ne infantes negligantur. Tartarus autẽ

infan-

infantis plures ſpecies habet pro varietate nutrimentorũ,quæ puero applicantur,& adminiſtrãtur.Hoc ſcire debemus de hæreditario & generato tartaro:nam iſta duo quomodo alantur, & quomodo ab intio vſq; ad finem ea creſcant, de omni generum tartaro intelligendũ eſt.

De inſtrumentis, vaſis, & concauitatibus, in quibus tartarus generatur.

Caput VIII.

Quia iam Tartari genera ſatis, vt ſpero,declarata ſunt:neceſſarium arbitror,etiam vaſa,in quibus tartarus generatur,& quibus adhæret,indicare.Multum enim in hoc ſitum eſt: vt ſciamus,vbi quæri debeat tartarus. Hactenus autem à veteribus medicinæ ſcriptoribus non niſi duo vaſa indicata & monſtrata ſunt:quibus tartarum adhærere dixerunt, vt renes & veſica: in quo quidem erratum eſt. Nec enim ſufficiẽs vaſorum numerus eſt:cùm plures alij loci,aliaq; vaſa ſunt,vt mox oſtendam. Vt igitur plenè ac perfectè iſta vaſa ſciãtur, in quibus eſt & habetur tartarus: ideo hoc caput poſuimus, & hac præcipua cauſa moti,quòd plures sũt tartari mor

bi,qui pro alíjs ínſpiciũntur, & iudicantur,& falsò reputantur: ſicuti ex veterũ ſcriptis apparet.Illi igitur morbi niſi tartareo modo quærantur, niſi vaſa ipſorũ inueniantur, nũquam ſanari commodè & fructuosè poſſunt.Ex hoc errore ſequitur:vt ſi talis fortè morbus ipſis incognitus inciderit,quòd dicant morbũ incurabilem eſſe;& ſic ex vero mendacium fit, ex curabili morbo incurabilis: & quod facilimæ curæ eſſet,id propter imperitiã curari impoſſibile dicant. Hic error mihi credite,maximus eſt, cùm tamen ipſi nec errare ſeſe putent,nec errorem cognoſcere aut corrigere velint. Primum igitur in hac re fundamentum nobis erit hoc vnum. Quodlibet coagulatũ habet locum ſuum in quo coagulatur:ſicut neceſſe eſt, quodlibet contentum in continente eſſe.Qualis igitur tartari coagulatio ſit,id quoq; hoc loco diligẽtius notandum eſt:talis nempe eſt, vt quæ non vbilibet locorũ in corpore hominis ſit: ſed quæ propria loca & vaſa ſua operationi apta habet.Locus enim, ſpecies,& materia vltimam materiam miniſtrant. Sciendum igitur,& diligenter notãdum quòd

quòd quilibet tartarus in humido sustẽtatur,& in humido est. Vbi enim humidum non est, ibi nec tartarus generatur. In humido enim est,& ab humido separatur:& illud humidum in vase continetur. Omnis enim humor necesse est vas habeat inquo cõtinetur: sicuti videre in omnibus rebus & vbiq; licet. Vinũ in vase ac dolio ad hoc parato munitoq; continetur, cuiusmodi etiã dolia ac vasa natura parata ac instructa habet: in quo fructus suus, qui in homine tanquam in vinea vindemiæ tẽpore colligit custoditq;,& vasa naturæ dicũtur. Quia sic humidum in vase includi necesse est, euenit vt statim separationis spiritus, id est, is spiritus, qui id quod tartarum est, à non tartaro secernit, accedit:& is spiritus vasa solũmodo obseruat, id est, in hoc solicitus & curiosus est, vt tartarus à suo loco in quo est seiungatur. De operatione igitur ac labore spiritus huius iam plenius attendite: Spiritus ille separationis cum operationem in vase incipit, id agit, & id summè curat, vt humorem purget,& ab omni impuritate sincerũ reddat. Quicquid igitur impuri adesse ꝑspexerit, id sta

tim ab humido remouet.Hac operatione spiritus efficitur, vt duo ab humido distinctè separentur,tartarus nẽpe & fex. Feces ad fundũ mittuntur,tartarus hinc inde in lateribus quasi in pariete adhærescere cogitur.Hæc sic cotidie in homine fieri solent.Ex quo præterea sequitur, duplicem in homine tartarũ esse: feces scilicet & tartarum:idq; iuxta proprium nomen.Nam si excrementũ vini est non dum digesti, id est, vini primæ digestionis,tartarus fit.Etsi enim plures in homine digestiones sunt, quemadmodum & in vino,tamen de cæteris dicere iam cõmodum non est,de tartaro saltem dicemus.Iam autem nullum in homine vas est,quod non tali humore repletum est. Etiam hoc notandum est. Natura sibi ipsi vasa præparat: non in hoc quidẽ,vt inania sint,sed vt aliqua re impleantur. Cùm igitur vasa à natura præparata adsunt,necesse est & id adesse quod ad vas attinet,& quo vas impleri debet, & in illo ipso,id est,in vase de quo iam dicem⁹. Natura quidem nihil vacuum permittit aut patitur esse. Igitur quid illud sit, quod in hæc vasa ipsa natura includit,

aut

aut infundit, diligenter quidem obseruandũ est. Iam igitur sic progrediemur: Vbi humor est, ibi quoque vas sit necesse est: vbi igitur & humor, & vas est, ibi tartari, & fecis generatio est: vbi autem in vase nullus humor, vel nihil humidi, ibi nec tartari generationem fieri posse absq; dubio est. Propterea autem oportet vt vas benè præparatum sit, & occlusum: si enim clausum nõ fuerit, certè infusa non continebit, quod planum est, nec disputatione eget. Vas igitur ita retinere & seruare infusa debet, vt interim tamen emunctoria habeat, per quæ superfluus exitus pateat: retentio quidem ideo est, vt sic natura se purget in eo, in quo continetur: Emũctoria autem propter quotidiana excrementa sunt. Quẽadmodum enim per foramina dolij vinum emittitur: ita quoque de homine necesse est excrementa proijci. In vino virtus expulsiua est, absque virtute attractiua: in vase autem, in quo vinum est, attractiua virtus est. Tale igitur vas vbi in hominis corpore est, in eo & liquor est, in eo liquore feces & tartarus habitant, & illud in corpore vas omnino simile, &

par eſt,cũ externo vaſe in elementis,vna ſaltem adhibita differẽtia,in emunctorijs nẽpe,& emittẽdi foraminibus. Nam quò ad hæc, in altero virtus expulſiua, vt in corpore,in altero attractiua eſt. Iſta præterea tartari vaſa ſemper impleta ſunt,nec vllo tempore vacua reperiuntur. Natura enim ita diligens, & curioſa eſt,vt cotidie euacuata, iterũ per internos imbres & rores,qui in microcoſmo ſunt,adimpletur. Imbres enim ac pluuię in homine imbres cadẽtes, ſemperquæ vacua ſunt vaſa replent. Nam etſi etiam per emunctoria cotidie quædam emittuntur,ea tamen non aliud ſunt,niſi excrementum ſolidum, quæ excrementa externè à terra conſumũtur,vt ſunt pluuiæ,imbres,ros,&c. de cęlo cadentes. In corpore autẽ noſtro talis conſtipatio,& cõſumptio nõ eſt,ſed illius loco emũctorium quoddã eſt, quemadmodũ in vno vaſe foramẽ eſt, & per illud emũctoriũ: dum cotidie excrementa exeunt,tamen indies vaſa à pluuijs metheoricè in microcoſmo cadentes iterum replẽtur, ſic vt nunquã vacua, aut inania inueniantur:nam iſtæ pluuiæ ſemper in homine, quemad-

quēadmodum extra hominē in mundo ac firmamento cadunt. Sicut igitur vindemiæ tēpore exhausta vasa, musto nouo replentur: sic in homine quoque exhausto, nouo humore, & pluuia noua, naturaliq; adimplętur. Omni enim modo, forma ac ratione, vt externè euacuatio, cōsumptio, & iterū impletiones fiūt: sic quoq; in homine, & messes, & vindemiæ annuæ, cum omnibus impressionibus, ac mutationibus, medij interstitij sunt. Et sic vasa interiora semper per antimoniū tā externū, quàm internum replentur. Dum igitur sic in vasis liquores sunt, spiritus separationis ad separationē operatur, vt purū ab impuro seiūgat. Non enim permittit tartarū cum liquore esse, nec feces quidem, se ab inuicem separat: Ex quo deinceps operatio in homine sequitur, similis externè operationi quæ in vno vase fit. Animaduertite igitur, quæ ista vasa in corpore sunt: nam propterea caput hoc scribi inceptū'est. Stomachus primū vas est: namq; hoc ex ipsis tartareis morbis, qui in stomacho sunt, ex tartaro, ac fecibus quę in stomacho reperiuntur: apparet, & probatur.

Deinde inteſtina alterum vas ſunt tartari, idque propter feces. Et quidem in inteſtinis omnino tartara, quæ ibi adhęrent, reperiuntur, ſicut & feces, quæ etiã tartarus iuſtè dici poſsũt. Tertiò ea quoque pars vaſculũ tartareum eſt: quæ in ſtomacho incipit, & ad collũ vſq; veſicæ porrigitur: & in ſumma quilibet locus, in quo vrina cõtinetur, aut per quẽ vrina penetrat, aut emittitur, vas tartareum eſt. Quanquam etiam inter ſtomachum & veſicę collum, plures loci ſunt: quorum vaſa in meſaraicam tendunt, in quibus feces conſtipantur, ſicut & in ignotis regionibus, & ab epate ad renes vſque: deinde in omnibus concauitatibus totius corporis tartarus generari, & adhæreſcere poteſt. Nulla enim concauitas eſt, quæ liquorem, in quo tartarus eſt, nón recipiat, aut nõ contineat. Quãquam hoc quoque non omittendum, tartari peregrini nõ alia vaſa eſſe: quàm ea, quę penes emunctoria ſunt. Tartarus autem cruoris etiam extrinſecè alia vaſa quærit: ſed ibi aliæ formę, & ſpecies aliæ ſunt. Namque iuxta vaſorum varietatem, ac ſitũ, etiã tartarus, ac feces fiũt.

Adhæc

Adhæc etiam illud sciēdum, vnamquālibet venam, quæ in toto corpore est, vas tartareum esse: non tamē peregrini tartari, sed cruoris. Nec adeò venæ solùm talia vasa sunt: sed & ossa omnia, in quibus sinonia est. In summa quicquid cōcauatum est, in eo liquores congregantur, & in ijs tartarus imperium suum, ac habitationē habet: vt suprà diximus. Adhæc sciendum, in membris principalioribus quoque talia vasa esse: vt in pulmone obseruatur: in iecore, in epate: &c. In istis enim omnibus tartarus quoque crescit in modum lapillorum, qui in spongijs reperiūtur. Quicquid enim peregrino tartaro in renibus, ac vesica possibile est efficere: id huic quoquoq; cruoris tartaro possibile est in qualibet cauitate generare. Et sic tartarus in mēbris quoque principalioribus est. Igitur diligēter quoque hæc obseruanda sunt: vt sciatur, vbi talia vasa sita sunt. Nam ibi varia morborum genera generantur: quæ pro alijs morbis ab imperitis iudicātur. Et hic error circa Medicinam non leuis quidem est: multique hoc pacto neglecti olim sunt: & adhuc negli-

guntur: prout hoc humoristæ ipsi planè testari coguntur.

De Tartari coagulatione, quomodo, & qua via fiat.

Caput IX.

Quia in præcedenti capite, de vasis vtriusq; tartari tã cruoris, quàm peregrini dictum est: iam vltra id diligenter obseruandum est, ac sciendũ quòd tartarus in omnibus concauitatibus totius corporis sese ponere, & adhærescere potest: aut si quid tartaro peregrino impossibile fuerit: id tamẽ cruoris tartaro omnimode possibile est. Duo præterea coagulationis spiritus sunt: Vnus in peregrino tartaro: alter in cruoris: & circa hoc duo obseruanda sunt: vnum circa spiritum, qui solùm in vijs emunctorij coagulat: alterũ circa spiritũ, qui tantùm concauitatibus totius corporis, vt in iuncturis, articulis, poris, cannis, membris principalioribus coagulat. Quicquid igitur in vijs emunctorij coagulatur, & ibi coagulatum reperitur: & quicquid in articulis, ac iuncturis coagulatur, in articulis & iuncturis reperitur. E omnes tartari species in hoc ab inuicem

uicem differunt: quòd nō eiusdē,sed diuersæ formæ,ac coloris diuersi sunt:quę diuersitas ex diuersitate vasorum, & spirituum coagulationis causatur. Est etiā in hoc differentia,quòd alius tartarus alios dolores parit: alias ægritudines generat,quàm alius: & tamen omnes tartarus sunt. In iuncturis enim tartarus positus Schiaticam, Artheticam, podagram,genugram,&c. excitat. Hi omnes morbi ex vnico tartaro generantur, scilicet, & proueniunt ex tartaro, scilicet cruoris,qui in iuncturis habitat,sicuti alius tartarus in renibus ac vesica. Vt igitur intelligatur quomodo, & quo pacto coagulationes eiusmodi fiant, sic sciendum: Quælibet res ex qua corpus fieri debet:per coagulationem id fiat necesse est: coagulatio autem spiritus salis est: nam in eo vis & potestas coagulādi est: per istum spiritum salis omnis corpora coagulantur.Porrò autem sciendum est, huius coagulationis spirit⁹ multas proprietates esse:alia enim est quę ligna coagulat,alia quę gēmas,alia quæ herbas, metalla,lapides &c. & tamē vnus est spiritus salis hæres sc, & perfectus omnis

coagulationis. Vbicunq; igitur spiritus ille est,& subiectum suum habet,tunc illud coagulat; inque corpus suum redigit.Sic enim in maiori mundo agit: & sic in microcosmo quoq; offficiū suum exercet :pro vti hæc omnia ordine suo ordinata sunt.Spiritus igitur salis quodlibet corpus in formā suam,ac ordinem iuxta prædestinationē coagulat. In hominis corpore nullum subiectū inuenit aptum reduci in lapidem, solummodo tartari subiectum inuenit. Aliarū enim plantarum genera in homine,vt caro & sanguis sunt:& quia per spiritum coagulationis omnia corpora efficiuntur: ac substantiam suam accipiunt,vt diximus: ideo & illa caro, scilicet sanguis, ossa, nerui, cutis, cor, &c. in substantiam, & corpus suum per hunc spiritum rediguut. Et sic corporalitatem suam ab ea accipiunt: idque iuxta ordinem, ac prædestinationem creationis, Solus autem tartarus præter,& contra omnem ordinationē,nō membrum est corporis:corpus tamen est ordinatū. Quia igitur tartarus sic cōtra hominis ordinationē generatur:igitur natura ipsa,cum aliquando

do sciungit ac ad exitum propellit. Si igitur separationis,expulsionis,& destructionis virtutes fortes,ac validæ sunt,tartarus morbos generare non potest: sin separatio non operatur, nec expulsiua virtus,sequitur, quòd in homine nihil crescere, nihil generari aut fieri potest de genere plantarum nisi tartatus. Nam alia subiecta omnia digeruntur. Fit igitur coagulatio illa vna quam diximus, quam hoc exẽplo melius declarabimus. Videmus naturæ quidem tam varia ac mirabilia opera coagulationis spiritu,vt nihil suprà. Namq; hic spiritus salis quã varia corpora coagulat,quàmque admirandas generationes efficit quæso?. Vulcanus,sicut videmus præ oculis, ex aqua vitriolum generat,ex aqua sal efficit, ex aqua alumen producit:& horum cuilibet formam propriam addit:prout natura ac proprietas vtriusque speciei est.Sic fieri oportet in liquoribus tartari,in quibus tartarus primò mixtus,sicuti sal aut alumen in aqua iacet. Varias enim hîc etiam de tartaro species & imaginari ac fingere conuenit:& quemadmodum variæ in aqua formæ,vt vitriolus,sal aut a-

lumen,æs reperiuntur:ſic in liquore, id eſt aqua in homine varius tartarus inuenitur.Et quemadmodũ Vulcanus ſuprà dictas ſpecies ab aqua diuidit, ſeparat ac ſeiungit:ſic hoc quoq; loco coagulationis ſpiritus tartarum in liquore ſitũ mirabiliter iuxta naturam ac innatam præparationem ac coagulationem, qua artificiosè præditus eſt:in alias atq; alias formas coagulat ac perficit:nec tamen iſta ſolùm de quibus diximus,ſal,vitriolus,alumen,&c.talia ſunt:imo etiam gemmarum prima materia aquæ liquor eſt,quã materiam naturalis artifex Vulcanus ſeparat,ac in gemmas artificiosè format: quemadmodum & alios lapides in hũc modũ ab aqua ſeiungit,& in corpora ſua perducit.ſicuti enim ſingulis hominib. ſuæ ſunt virtutes, ſua agilitas, ſagacitas, aut aliud in quo excellant, innatum eſt: ſic huic quoque Vulcano hæ operationes ac mentes innatæ ſunt.Porrò autem ſciendum,omnia in homine liquida eſſe id quod etiam in vino videmus. Vinum enim ſi oculis inſpicitur, tartarum non habet,qui videri oculis poſſit. Totum enim vinum liquidum & limpidum aſpicimus

cimus. Sic sal in aquam proiectus, aliud quiddã, aqua nẽpe efficitur, nec amplius vt sal permanet aut apparet. Separatio autẽ deinceps posteaquam accesserit, efficit, vt separatio appareat forma, ac proprietate sua debita ac visibili. Coagulatio igitur est, quæ quiduis in formam naturalem ac propriam redigit formatq́; Sic igitur in homine quoq;, & de humanis tartaris euenit. Primò enim liquor fuit, & cęteris liquoribus permixtus. Quia autem natura nihil inseparatum relinquit, ideo & tartarum à liquido separat ac seiungit: & sic deinceps fit, vt accedente coagulatione, liquor in tartarum coaguletur. Et sicuti sal nitri, posteaquã in corpore suo seiungitur, fundum statim petit, & absq; aquæ permixtione manet. Sic tartarus quoq; à liquore separatus manet: & hęc omnia sic predestinationis accidunt potentia. Vt enim quodlibet subiectũ à prima sua materia ad vltimã perducatur ex diuina prouidentia sic prædestinatũ est: & in hoc salis spiritus, vires, virtutemq́; accipit vt coagulet, quemadmodum oculis datum est vt videant, auribus vt audiant. Ita etiam ista omnia

diuina prouidētia ordinauit:hoc in corpus metallicum,illud in corpus antimoniale,aliud item in corpus vini currentis,in corpus ligni,&c. ſic nimirum & tartarus ex eadem prouidentia& ordinatione,in hoc corpus prædeſtinatus eſt:& ad vltimam materiam accipiēdam in eo loco vbi iacet,vbi reperitur,proſtitutus:nō obſtāte,quod interim hæc ordinatio homini morbum,dolores & ęgritudines affert:quia & in his incōmodis remedium ac auxilium diuinitus creatum eſt ac appoſitum,medicina nempe.Hæc igitur omnia ab iſto fabro ac opifice fiūt:quemadmodum autem,& qua ratione de eo hîc ſcribendi nec locus eſt, nec animus. Ipſius enim labor viſibilis non eſt,opera tamen laborum ipſius viſibilia ſunt.Vētus dū flat ac ſpirat, lutū coagulat, quia aquoſitatem ab eo adimit: ſic ſol oui vitellum coagulat,ac carabe efficit: albumen verò in tranſlucidum format:cuius opera in propatulo ſunt. Quo autem pacto id efficiat,ignoramus:ſic de coagulationis quoq; ſpiritu intelligendum:nam is verè agit,eiusq́; in agendo artes certiſſimæ ſunt:& quāuis ſpiritus eſt, eodem

tamen

tamē modo operatur,& eadē efficit,quę externè homo quiſpiam agere aut operari poſſet:vt in hoc exemplo patet. Homines,vt videmus,ex terra,id eſt,ex nitro vel fumo vrinæ ſalpetræ coquunt, & id ſalpetræ in aquā prius reducitur, in qua dum eſt,coagulatio ad opus ſuum ac laborē procedit,granulat,condit,& in glaciem ſuam abſq; hominis opere prorumpit:& ſicut in prædicto exemplo, ſal petræ quoad duritiem abſq; hominis opere efficitur & formatur: ſic quoq; in homine Vulcanus quidā eſt, qui talem extractionē præparat:deinde ſalis ſpiritus adeſt,qui ſuum officium aggreditur coagulādo:ac tartarum in verā ac natiuam formam formando,ſcilicet,quilibet tartarus in prædeſtinatum ſuum locum redigitur,ac perfectus ponitur. Homo enim in ſuperiori exemplo etiam dum coquit,eam formationē adiuuat quidem, ipſe verò nihil aliud agit,quā quòd colligit,& deinde quę ſuperflua ſunt philtrat ac reijcit.Nam vltra ea nihil in formatione ſalis petræ homo efficere poteſt. Sed ſalis ſpiritus , qui in natura ipſius eſt, id eſt,qui ſua operatione ſal petræ coagu-

lat ac perfectè format. Hæc enim eo modo, quo diximus, fieri certum est: quo enim pactò fiat, id homini occultum est, nec scribendo tradi potest. Hoc certè admiratione dignum in natura, eam artẽ esse, quæ homini occulta est ac incognita. Faber huius artis spirit⁹ est: quia autẽ spiritus inuisibiles sunt, igitur & opera ipsorum inuisibilia. Quis igitur ipsorum artificia describere potest, cùm non malleis, non igne, non alijs fabrorum instrumentis in laborando vtuntur? Homo in eo quod nouas personas effingit, sculpit, pingit, ac format, videtur ab omnibus, & operatio ipsius describi potest de opere ad opus, de monumẽto ad monumentũ, de puncto in punctum. Sic quoq; naturę opifex varias formas coagulat, format, fingit ac instruit: cuius tamen effectus, & opera quoq; videntur, operationes autem & ars eius non videtur: ab homine artifice ars disci potest: & in hominis arte furtum nonnunquam committitur: à naturæ autem artifice id fieri nequit. Et hæc ideo tam multis, vt intelligatur, in formatione tartari nihil visibile nobis appparere, opera tamen etiã operationẽ visi-

visibilem reddunt: sic vt operatio deniq; per opera intelligatur. Et sic tartarū in nobis tali modo fieri omnino necesse est nisi vnica via succurrat, id est, nisi expulsiua virtus suo præsidio adsit, expellat ac reijciat materiā in qua, & ex qua talis coagulatio, & tartarus talis fieri possit.

Quod ex cibo tartarus generatur, ex alio plus, ex alio minus, & quod quidam cibi plus doloris pariunt, & plures paroxismos faciunt, quàm alij.

Caput X.

HActenus de tartaro ex potu prouenîente diximus: sed quia non ex potu solùm, sed ex cibo etiam varia tartari genera proueniunt, igitur de eo iam dicemus. & hoc in primis notādum quòd quælibet res ac materia quæ cibo apta est, ad tartarum quoque inclinata est & apta, idq; tali ordine. Posteaquam cibū sumpsimus, statim digestio aut decoctio adest: & cibum illū in duas partes secernit: altera pars ea est, quæ in carnē, ac sanguinem verti debet. Igitur in liquidum paratur, vt apta sit omnibus membris recipienda: alia pars excrementū est: idq; ab homine depellitur, ac deijcitur;

&hoc modo dum ſcilicet excremẽtum eijcitur,cibus nullus nociuus eſt,nec tartarum generat. Quia autem talis ordo eſt,iſta in eijciendo regula nõ perpetuò ſeruatur: igitur iam amplius notandum eſt, plures ac diuerſimodas digeſtiones nimirum calidas eſſe, quæ non iuſto ordine, aut iuſta caloris menſura coquunt, ſed cibum potius comburunt,ac in cinerem redigunt, vt hoc exemplo patebit. Cibus in ollam miſſus,ſi ita igni appoſitus fuerit,vt lento ac debito modo bulliat ac coquatur,tũc bonus cib⁹ ac bona coctio eſt:ſin iſte modus & recta ratio deerit,tunc nimio igne perit,ac in carbonem vel cinerẽ potius comburitur: hoc modo etiam in hominis digeſtione euenire ſolet:quæ ſi non moderata, iuſta, ac debita fuerit,tartarum efficit: ſin iuſta erit,ſeparat vt diximus, & priorem partẽ excrementorum ſcilicet eijcit. Nam decoctio ſi ſecus quàm debuerat fit,hoc ſequitur:quòd humiditas & liquor,in quo tartarea materia eſt,conſumitur, & materia tartarea incineratur, ac manet illud incineratum : deinceps in vltimam materiam coagulatur,& tartarus fit. Ad hoc

hoc tali vtar similitudine. Caseus si in calidam, ac feruentem aquam repentinè ponitur, & coquitur: fit, vt inter coquendum alia pars casei in aquam quasi abeat, vel in lacteam materiam: altera pars caseus permanet: dura, spissa, & intractabilis massa naturæ admodum inconueniens, & lapis plus quàm caseus appellandus: sin autem in aquam ponitur non adeò feruentem, non ebullientem, & lento modo igne operante: tunc non in duo genera separatur: sed in vnicam, aptam, bonam, conuenientem materiam caseus resoluitur, sic quoq; stomachus, si talis fuerit, vt semper præ calore ferueat, ac bulliat, nimis calidus est. Igitur talem quoque decoctionem perficit, & sic cibum digerit: alteram nēpe partem seiungendo, alteram in cinerem redigendo: ex quo tartarus est. Lac si inconuenienter, id est, calidius coquitur, amarum ac acetosum fit: corrumpitur: & in duas partes separatur in caseum, & serum: serum tanquam excrementum est, caseus tartari materia est: sic in stomacho quoque accidit: vbi acor, vel acetositas accesserit, & separatur, tunc fit

talis inconueniens materiæ digestio, & absq; tartaro esse nō potest. Fit enim tartarus stomachi aut intestinorū: qui quasi lutum coagulatum apparet, tartareo tamen modo, id est, lapideo modo coagulatur. Vltimo hoc etiam id notandū: ex aromatibus multum tartari fieri: & qui ex ijs tartarus fit: vehemētiores dolores parit: quàm alius tartarus. Fit autem & hic tartarus ex stomachi quoque incommoditate. Necesse est enim omnino temperamentū in stomacho esse: aliâs omnia, quęcunq; sunt, frustra & incōmodè sunt: & vbi tēperamentum tale non est, multas ægritudines oriri necesse est. Sciendum est igitur hoc quasi pro maxima. Quicquid cineres dat: id tartarum quoq; dat. Omnis enim cinis sal est: & omne sal tartaream materiā in se habet: & vltima eius materia tartarum, & in hoc omnis res sita est: quod stomachus cibum in alkali perficit: aliàs enim tartari generatio non fit. Saccarus quoque & mel, vbi in talem digestionē peruenerint, plurimum tartari generāt. Iam autem operæpretium mihi videtur: iudicare, ac manifestare errores: qui ex hac

re hactenus orti sunt: vt quia materia tartari à Medicis hactenus incognita fuit:hanc ob causam existimo:quibusdã hoc caput quasi peregrinum, aut etiam monstrosum,ac mirabile futurum: propterea quod hæc tartari materia,nũquã ab vllo rectè considerata hactenus fuit: & minimè quidem aliquibus præsertim clamatoribus placebit: propter veterũ scriptorum doctrinã, qui lõgè aliud docent.Ita enim talium hominum natura & ingenium est:vt si de recta etiã ac vera medicina audiant: tamen in scriptis libris, ac mutis literis, quæ nihil aliud nisi pecunias per fas nefasque, corradere docent,hęrere malunt. Illorũ enim summa salus, & ars in mortuis ac inutilibus literis solummodo sita est: nõ obstante, quod eiusmodi scriptos libros nunquam in proba inuenerunt firmos, nũquã scripta in ijs vera viderũt, nullãque experientiã ex ijs habent:qua fundare se,aut de qua tanquam vera gloriari, aut quam vti veram sequi possent: vnicum saltem norunt,& id perpetuò vnicum agunt, de arte nempe: quod clamant. Clamare autem arte,absque fun-

damento & experiantia, idē est, ac si cæcus de colore multum blateret: & plus quam decem fortassis acutè videntes, clamet. Sed vt ad tartarum redeā, sciendum est plurimas ægritudines ex tartaro prouenire: quas ipsi ex humoribus esse, hactenus falsò existimarunt: cuius causa est mera imperitia, & in arte medica ruditas. Horum ægritudines quasdam iam recensendas arbitror: & primò de epate dicam. In epatis venis ac poris, sæpius tartarus coagulatur. Nam istę venæ, cannæ, & pori vasa sunt, vt suprà nominauimus, in quibus tartarea materia iacet. Vbi igitur vasa, ibi & salis spiritus coagulationi aptus est: & quod in his locis tartarus coagulatur: sæpissimè in anatomia ostēsum est, & ad oculum probatum: dum in epate, pulmone ac iecore arenæ granula inuenta sunt: non aliter atque in spongíjs, aut vti in cauernis inueniri solent. Porrò autem palàm est, & cuilibet notum: quantos dolores, & quàm vehementes paroxismos tartarus in vesica, ac renibus pariat. Id igitur, si in prædictis locis quoq; fit: quos quęso paroxismos euenire putas? quos dolores?

lores, & quâm vehementes crucitatus, ſi in his principalioribus membris tempus paroxiſmi aduenerit? Hos igitur morbos ex hac cauſa prouenientes quidam opilationes epatis, aut apoſtemata dicunt: cũ tamen aliud non ſint, niſi tartarus qui illa loca occupauit, & illis adhæret, ſicuti & renes, & veſicam occupant. Sic igitur illi aliud adeſſe iudicant, quàm adeſt: & aliam curam adhibent, quàm adhiberi debet: ſic procedũt quaſi oppilatio, aut apoſtema, aut alius humor curãdus ſit, cum tamen apoſtema nullum, oppilatio nulla, humor nullus, ſed tartarus adſit, qui cruciatus tales parit. Meritò igitur hæc inſcitia deploratur, magnos dum tumultus excitãt, miras tragędias agunt: cõſilia ſurſum vorſum nectunt: medicinam iam huc iam illuc ſua ratione flectunt: interim laterẽ lauant: nihilq; planè operæprecium efficiunt. Eo enim medicinam ponunt vbi ponenda non erat: ad curandum cõſultant, quod nõ adeſt: quod autem curari neceſſe erat, id ignorant quid ſit, incuratumque relinquunt: & quæ de epate diximus, eadem quoq; de Iecore, pul-

mone, & aliјs huiuſmodi membris intelligenda ſunt, ſed & in venis quidem, quæ quoque tartari vaſcula ſunt, mirabiles cruciatus & paſſiones excitantur, poſtquam tartarus in eis granulatur, ac coagulatur, nō minus quàm in renibus, ac veſica: quæ paſſiones omnes aliјs morbis ab impertis medicis & iudicantur, & curātur. Videte igitur, & obſeruate vos medicinæ cultores diligenter, vt hos morbos melius diſcernatis, meliuſque cognoſcatis: ne ex hoc errore vobis inhoneſtus, ægrotantibus nociuus error olim incumbat. Ante omnia autem & hoc ſciendum eſt: artem eſſe quæ medicum efficit: non pileum nō annulum, aut alia ſimilia. Nam iſto pacto, & morio quiuis, & fatuus quilibet ad medicinam accedere poſſet. Vltra omnia prædicta etiā id dicendum: carnis poros vaſa quoque tartari eſſe, talis nempe tartari, qui ſeſe tanquam guttulæ primò ponit: & deinde in minutula grana in poris coagulatur, inde paroxiſmi generantur: qui quoq; pro aliјs morbis à medicis iudicantur. Nō igitur mirum: etiam ſi quis in cachinnum erūpit, ſi ſubtiles

iſtos

istos physicos cõtemplatur, ac considerat: qui huc loci, humores suos garrulitate saltem, absque equis & curru trahere, & perducere possunt. Quia autem necesse est errores olim corrigi: & stultitiam emendare: & quia fieri non potest, vt occulta semper occultentur, nec vnquam in lucem prodeant: gratias vobis agimus optimi humoristæ, qui id vltrò non instigati hæc fecistis: qui stultitiam vestram adeò prodidistis, ac in lucem omnibus contemplandam posuistis. Vt autem sciatis vnde tartarus fit, & quomodo per omnia membra totiusq; corporis partes destribuitur: ita notandum est. Quicquid ex stomacho venit, id per vniuersum corpus effunditur: quemadmodũ res in vniuerso mundo deijcitur. Dũ igitur cibus ex stomacho ita per corpus dispersus in vasis aptis iacet: quodlibet membrũ, ex eo, quicquid sibi aptũ, & conueniens nutrimentum fore iudicat, exugit, superfluitates inde quæ adsint in vesicam defluunt, per sudorem ab homine exeunt, non aliter, atque ex imbribus pluuię in terram cadunt, & à terra absorbentur. Sic igitur formæ, id

eſt, Spiritus ſalis, & materiæ tartari coniunctio adeſt in eo vaſe, ſiue in poris ſit, ſiue in venis, aut cannis, aut alio vaſe: tunc tartarus iuxta naturam ac proprietatem ſuam, item iuxta vaſis proprietatem generatur: & ſic deinde plures etiam ægritudines à fecibus tartareis, quę in inteſtinis poſitæ ſunt, generantur: vbi tormenta, punctiones, & eiuſmodi paſſiones in ventre, quas Colichã, aut Iliacam falſò iudicant. Etſi de origine colicæ paſſionis legitur: vt ipſi eam deſcribunt: ita certè cõcordat, & ita idem apparet, quaſi album & nigrum, molle & durum, &c. concordant: neque hi ſolùm morbi ſunt, ſed plures alij, quos enumerare iam neceſſe non eſt: in quibus egregiè delyrarunt, ac impegerunt boni medici noſtri: miſerũ tamẽ eſt, & valde miſerum, nõ aliter hactenus de tartaro inſtructos medicos fuiſſe: quàm quòd in renibus ſaltem ac veſica eum generari crediderũt, & nuſquam alibi eſſe in corpore iudicauerunt. Tãto ne quæſo tempore medicinam floruiſſe: tãto tempore in mari magno nauigaſſe: nec vnquã portũ attingere potuiſſe? Videte igitur, vt ali-

vt aliquando ad portum etiam, id est, ad finem certum medicinam industria ac diligentia vestra perducatis. Aliquos hactenus tartari morbos recensui: non tamen omnes simul enarraui: quod ideo factũ, quia in sequentibus capitulis etiã de alijs mentio fiet. Hoc igitur artis ac fructus ex hoc capite auferre ac colligere breuiter debetis: scilicet vt iudicium vobis certũ de tartaro comparetis: sciatisq́;, tartarum resoluendum in talibus paroxismis esse, non purgandum, nõ clysterizandum, cuius artis Augusta ciuitas instructissimos artifices ac doctores multos habet.

Quod pecora tartarum habent, & ex ijs deinde in nos peruenit, & de alijs tartari generibus. Caput XI.

IAm igitur de Tartaro, qui in pecorib. ac feris animalibus generatur: dicendum quoque est. Quamuis enim cura mea id non agit, vt talibus tartaris medeatur, cùm id necesse non sit: tamẽ propter vberiorem doctrinam, solummodo vt eò melius hominis tartarus cognoscatur: hoc fit. Sciendum igitur cætera

quoq; animalia hoc morbo teneri: siue enim domestica animalia sint, siue aquatica, tartaro corripiũtur: non tamẽ peregrino, sed cruoris tartaro: quãuis & hoc sæpius accidit, vt in porcis tartarus renũ ac vesicæ inueniatur, sicut & in canibus inueniri potest: quod experientia verum ostendit. Nam etsi animalia cętera peregrino tartarro nõ tenentur: tamẽ hic tartarus, qui sic his locis reperitur, peregrinus est, quod re ipsa probatur: rarum tamen est, imo rarissimum vt hoc accidat. carent enim cætera animalia spiritu salis coagulãte, vel coagulatore, nisi quòd natura propria tartarum ipsis nonnunq̃ ministrat, & sic spiritum coagulationis secum adducit, qui spiritus in istis locis coagulat: aliàs autẽ regulariter fieri non potest, nec fit. Vt autem ad cruoris tartarum veniam, sciendum est: vnum tartarum in pecudibus nonnunquã generari & inueniri, rarissimè tamen: cuius causa est, quia spiritu coagulationis ad tartaream naturam apto carent. In homine enim solo is spiritus est: qui quidem ex materijs ac spiritibus omnibus totius mundi machinæ compositus est. Tartara igi-

ra igitur tam multa ac varia in homine ſunt, in cæteris animalibus non item: ſi quid tamen eiuſmodi etiam in animalibus accidit, id præter & contra naturam accidit: quamuis & id verum, quòd quædam animalia ſunt, quæ à natura quaſi nata ac inclinata ad tartarum eſſe videntur, vti hinnulus eſt, in quo multi lapides inueniuntur: qui tamen lapides tartarus nō ſunt, nec lapides propriè, ſed Dulech ſunt, id eſt, mediū quiddam inter lapidē & tartarū. Sic quoq; in cancrorū oculis lapides generantur, & in alijs pluribus animalibus. Cuius cauſam & rationem ſic per exemplum ponemus. Nullum lignum inuenitur, in quo nō contineatur aut quod nō in ſe habeat gūmi aliquod: illud gūmi purgatur, eijcitur, & extra arborem ꝓtruditur: ibiq; ab externo vēto & aere coagulatur: ſicq; coagulatū arbori adhæret. In hunc modū & animalibus viſcus naſcitur, non aliter quā in lignis: de quo ſic pauca notanda erunt. Si qui calculi, aut ſi quis tartarus in animalib. fore reperitur innatus, is ex viſco hoc peruenit, & iſtius tartari prima materia viſcus fuit, vltimaque materia Dulech

propriè est non tartarus:& sic ex istis resinis tales lapides efficiuntur : illa quidē resina præcipuum in se arcanum habet, & singulare mysterium,plus quàm aliæ tartarorum materiæ. Igitur aliter etiam signatur quã corp⁹ in quo est,iuxta quod etiã cognosci debet: vt ossa in corde cerui , os in extrema parte pedis leporini, quæ ossa ideo in aliam formã & coagulationē coagulata sunt, vt propter hoc etiam aliæ vires in ijs quæri & cognosci debeãt.Nec certè est,quòd quisquam talem generationē miretur. Exemplũ ponemus in hoc cõmodum. Cancer mirabilem in se vim habet,& potestatem extinguendi ignis flammulas:plus adeo in hoc valet quàm vllum remedium reperiatur.Ad hoc etiam illud egregium arcanum habet,dissoluendi nempe tartarum.Iam autem ista duo in vna & eadem materia cõsistere nõ possunt: sic vt quælibet virtus operetur , & pro natura ac proprietate sua agat.Igitur separatio fiat necesse est,hoc modo, vt alterũ arcanũ extinguēdi scilicet ignis flammulas per sese maneat ,quod totum corpus cancri est:alterũ autem,vt resolutiuũ tartari in

coagu-

coagulationem abeat, & fiat Dulech: & hæc distinctio & separatio est arcanorũ duorum ab inuicẽ. Et quemadmodũ ex arte signata scitis, quòd quęlibet res pro uti est, ex quo est, & ad quod aptũ est signatur. Igitur semper sic similia in similibus reperiuntur, vti hoc nos signata ars docet, quam quilibet medicus cognitam, & bene perspectã habere meritò debet. Præterea de cibis quoq;, vt de carne & piscibus diligẽter notãdum est, qui tartarũ in homine facere posśũt: & quãuis de hoc antea etiã mentionẽ fecimus, tamen ad vberiorẽ instructionẽ paucis eadem repetere nõ incõmodum videtur. Fera omnia animalia in syluis versantia, quæ ab hominib. abhorrẽt, ab hominib. non nutriũtur, non educãtur, plurimùm tartarosa sunt, & carnes eorũ cùm sumũtur, tartarũ generant grauẽ, intolerabilẽ ac miros cruciatus afferentem. Ac quò animalia sunt feriora, ac minus domita, eò tartarum periculosiorem, duriorem, ac deteriorem generant: præsertim etiã quicquid in petrosis mõtibus ac lapidosis locis militat, plus tartari secũ adfert, quàm quod in cõsuetis locis sustẽtatur:

& ea tartara omnium durissima sunt, & quo ad dolores infelicissima, præcipuè tamen sanguis talium animalium nocẽtissimus. Talem naturam ac proprietatẽ tartaream, nempe ex potu & cibo etiam concipiant: præterquam quòd per se ad tartara quasi nata videntur: stomachus igitur hominis, si talibus carnib. impletur, nisi optimæ sit naturæ, & nisi artis sequestrandi sit peritissimus, expulsiuaq́; virtute plurimùm valeat: fieri nõ potest, quin tartarum generet, non tam in vesica ac renibus, quã in alijs omnibus vasis tartareis. Nec id quidẽ tacendũ est, quòd etiamsi stomachus optimè prout esse debet præparatus ac munitus est, nutrimentumq́; vniuerso corpori ministrat: tamen in ipso nutrimẽto tartari prima materia est. Igitur id nutrimẽtum vbi ad loca tartarea ponitur, ac deinde separatur ac coagulatur, ita vt prædiximus, fit vt tandẽ tartarus ibi generetur, vbi nempe nutrimentum attractũ fuerat: & quia ea nutrimenta non sunt sita in víjs emũctoríj, sicuti alia stercora solẽt. igitur in ijs locis tartareus liquor manet, paroxismosq́; parit, ac sic podagra ac alij morbi

proue

pueniũt,apparetq; quasi ex cruoris tartaro hoc fiet,cùm tamen cibi solũ tartarus est,tam subtiliter nẽpe cibo digesto, vt ad ista loca perduci potuerit, in quibdeinde coagulatur & manet.Hęc omnia non solũ de feris animalibus, sed etiam de domitis intelligenda sunt:si eiusmodi sunt, vt quæ tartarum facilè generãt, cuiusmodi sunt capones,aues,anseres,anates & similes. Idem etiam de piscibus intelligendum,quòd ad tartarum generãdum admodũ procliues & proni sunt. In hoc etiã circa tartari genera talis differentia notanda est: quòd in aqua prima tartari materia est, & in aqua pisces generantur. Iam autẽ piscium semẽ in prima materia concordat cum tartari prima materia ;igitur & in nutrimentis illud semen facilè ad primam materiam reuertitur,& facilè ad simile suum reducitur.Igitur etiam post separationem & expulsionem ex ista materia nutrimenti piscium scilicet,tartari generatio in homine fit,non minus,quàm de carniũ nutrimentis dictum est. Et sic clarè sequitur:si piscibus quis vescitur, eosq; bene in stomacho digesserit,ꝙ id omne in nu-

trimentum omnium membrorũ, totusque adeo corporis cedit. Ergo & tartareum illud quod in piſcibus eſt, quoque in nutrimentum abit, in prima materia dico perfectum, nõ autem in vltima. Sic igitur ille tartarus in prima materia conſiſtens, in nutrimentis manet, donec ad conſumptionẽ perueniat. Tunc enim in illo loco vbi nutrimẽtum antea erat, tartarus coagulatur, ibiq; conſidet ac cruciat: vti eſt tartarus Podagræ, tartarus Schiaticus, Taxillaris, &c. Hic tartarus etiam piſcalis dicitur: propterea quòd primò in piſcibus eſt, ex quibus in hominem per cibum prouenit, in quo deinde in vltimam materiam perficitur, nec à cæteris tartari generibus ſeparari poteſt. Sunt & alia tartari genera, à leguminibus prouenientia. Omnia enim legumina tartarea ſunt: ſed ad nutrimenta vltimæ conſumptionis non perueniunt. Imo primò & ſtatim in tartarum cõuertuntur, propter defectum primæ cõſumptionis & expulſiuæ virtutis. Et ſic in prima materia tartarus perficitur: quemadmodum & antea, in leguminibus in vltima materia fuit. Hoc ſaltem requiritur:
vt

vt prius à cætero cibo is tartarus separetur: ac postea coaguletur: nam quo ad substantiam antea perfectus est, formaque tartari desideratur:quæ ei à coagulationis spiritu quoque additur. Est preterea & aliud tartari genus, quod mirabiliter generatur, & lōgè ab alijs differt: & in hunc modū fit. Vniones, siue perlę, vt videmus originem suam, ac principium à sanguine habēt. Primò enim sanguinis guttulæ sunt, deinde in vniones transmutātur. In hominibus igitur quoque talis generatio est, & sic accidit: vt nonnunquam sanguinis guttulæ in loca inconuenientia incidāt, & is sanguis tandem decrescit, ac in lapidem coagulatur:tartaroq; similis efficitur. Hic tartarus absq; dolore est:nec cruciatus, nec paroxismos parit, attamen alia incōmoda in istorum locum, vbi iacet, secū adfert. Nam mutilum, ac quasi mortuum id mēbrum reddit. Tales sanguinis guttulæ ex Vulcani decoctione oriuntur: quemadmodum ex multis libris metalli nonnūquam vna argenti, aut auri vncia per ignem elicitur:sic quoque in microcosmi sanguine minerale quiddam

cõtinetur, quod si in mineralicã separationem peruenerit, in vltima materia esse dicitur:& sic in calculum formatur: & quidem meritò talis formatio, calculi nomen retinet:aliâs autẽ perlatus, vel arena perlata appellatur. Est & aliud genus tartari, quod per exemplum cõmodissimè demõstrabimus. Aquæ & flumina quædam inueniuntur, in quæ si pisa ponas, in calculos & lapillos vertuntur: sic ligna in cotes,& similia: sicuti & pluuię nonnũquam idem efficiũt. Talis natura, ac proprietas in microcosmo quoque est:& in quo homine tales proprietates sunt, huiusmodi viscositates in lapides,& alias duriusculas massas coagulantur:quod quidem nõ verus tartarus, non propriè Dulech, nec lapis, sed his consimile quiddã est:sicut nec pisa, nec cotes quidem veri lapides sunt. Nam sic metamorphosis fieri potest, de viscosita te in lapillitatem, vt sic dicam, propter naturã, quæ in aquis est: nec hoc admirandum, aut prodigiosum videri debet: scilicet quod durę materię, si in hominẽ fortè perueniunt, calculũ efficiant: cùm antea propter duritiem ad calculũ aptæ

sunt,

ſunt,vt ſi terpentina & decoctus later, ſi pix & marmor fortè conuenirēt:nam in corpore quoq; hominis ſimplicia his ſimilia ſunt:quæ ſi fortè vno tēpore coniunguntur, certè tales durities, & tales coagulationes efficiunt: quæ non verè tartarus ſunt, ſed tartaro ſimile quiddā vt reſina in microcoſmo. Has omnes proprietates,& varias differētias medicus cognitas habere debet: vt ita ſciat quid in hominis corpore poſſibile ſit generari:quid non, & quemadmodum quid generetur,aut creſcat.

De proprietatibus,quæ in ſpiritu ſalis ſunt, quæ ſummas,ac intollerabiles paſsiones efficiunt.

Caput XII.

Quia hactenus dę origine, & ortu tartari tam peregrini,quàm cruoris,& aliorum ad ſatietatem diximus,reſtat iam & de ſpiritus ſalis quibuſdam proprietatibus videre, quæ in tartaro ſunt. Quædā enim arcanæ proprietates innatæ, ac incorporatæ hîc obſeruandæ ſunt:quarum dolores,quos generant,curari, aut abigi non poſſunt: niſi tartarus,in quo ſunt,totus depellatur.

Nam aliĳ paroxiſmi, qui fiunt, adimi & curari poſſunt:qui autem innati, & incorporati ſunt, adimi nequeunt:& hoc diligenter in omni ſpecie tartari exceptis his,de quibus diximus, animeduertendũ eſt.Nullus enim eſt tartarus quin in ſeſe materiam ſalis mineralis habeat, id eſt,qui non per ſal coagulatus ſit.Igitur etiam ſpiritum in ſeſe habet ſalis,nõ ſolum ſpiritualiter,ſed etiam corporaliter.Nam quanquam corporalis ſpiritus non coagulat,ſed ſpiritus ſolùm, pro vti ſpiritus eſt:tamen illud corpus in tartaro quoque eſt, in quo corpore ſpiritus eſt, & per quod ſpiritus operatur. Corpus enim illius nonnũquam vitrioli eſt, nonnunquam aluminis,aut ſalis cõiunctus.Imò & horum trium ſpecies corpora quoque generant:vti vitriolũ albũ alumen plumoſum,ſal,borax:item Arſenicalia,Realgarica,vitrea,&c. quorũ corpora ſeſe cum ſpiritu ſuo commiſcent, & cum tartaro in vnam maſſam conueniunt & coagulantur. Iam igitur ſciendum, quòd his tartarus ex tam multis ſpeciebus mixtus,etiam eiuſmodi dolores, ac paroxiſmos ſecum adfert: quàm

multi-

multiplices enim ſpecies ſunt:tam multiplices etiam dolores,prout ſalis natura eſt. Quælibet enim ſalis ſpecies pręcipuam inclinationem ad morbum aliquem in ſe habet: & pro vti is morbus eſt ,tales etiã in illius tartari paroxiſmis paſſiones erunt.Iſta autem ſalia, quamuis tartara ſunt,tamen nihilominus interim innatas ſibi proprietates quaſdã retinent, & ſic duplices ægritudines oriũtur, altera ex tartaro, altera à ſpiritus ſalis corpore, tertia etiam ex accidente, id eſt morbo. Et ſic triplices in tartaro naturæ ſunt, triplices etiam paſſiones ac dolores, & ideo ægritudines tartari in tres partes ſiue ſpecies diuiduntur, in proprietates iuxta prædictam collectionem.Præterea notandum, quòd quilibet corporalis ſpiritus naturale ſuum tempus ac terminum habet ad promouendum paroxiſmum.Id igitur tempus ſi inciderit, tunc tartareos cruciatus excitat, dolores profert: & ſic paroxiſmus alterum paroxiſmum generat. Ex prædictis igitur ſequitur, ſi ſalia vitriolata dominantur: quòd ægritudines in ſtomacho primo excitant,vt orexim,arſu-

ram,& eiuſmodi morbos:qui morbi ſolum eueniunt ex tartaro Vitriolato, ſi is ſe in ſtomachi,vel orificio,vel fundo,aut alia parte poſuerit. Tale igitur vitriolatum,ſi in alio loco quàm ſtomacho ſitũ eſſet:pono in renibus & veſica,&c. qualis quæſo tũc dolor futurus,ſi ibi orexis, & arſura operationem ſuã perficerent? Ad eũdem modum,ſi is tartarus in inteſtinis adhæſerit,colicã parit:& ſic quantumuis diuerſis locis diuerſæ ægritudines videntur & apparent: tamen idem orexis,& eadẽ arſura eſt,que eas ſic in diuerſis locis efficit. Sic quoque tartarus aluminoſus,& ſalis communis faciunt. Et breuiter ſciendũ, quod regularis tartarus, de quo hactenus diximus, tantos dolores, & cruciatus non generat: niſi præcipua additio adſit, quæ mandat, & Tyrannidem exercere iubet. Notãdum eſt & hoc,quod niſi is tartarus ſalſus in ſtomacho ſepararetur:ſed ſic in vaſa ſua attrahitur, eiuſmodi dolores ac paſſiones parit: quas deſcribere impoſſibile eſt. Corpore enim iſta adiecta à natura ſua non degenerant: ſed ſunt quaſi corroſiua,niſi quod aliquantulum etiã deteriora,

teriora:ſubtilia enim ſunt valdè & ſpiritum quoq; ſubtilem habēt: qui ſpiritus, ſi laborare incipit, mirabiles, & abhorrendos paroxiſmos generant. Sæpe etenim accidit, vt in corporis parte aliqua calor, & incēdium ſit tam praua, vt quæ pars vel digito tegi poterat: extingui tamen non poteſt, nec alibi in corpore, niſi hoc loco calor eſt, nec illo ipſo loco quicquā videtur, nec apoſtema ſentitur, nec vlcus, aut quicquid tale cernitur. Eius rei cauſa eſt illa, quod tartarus ibi eſt: ſale adeò ardēte mixtus, qui tales abſq; mora, & intermiſſione paroxiſmos producit. In illo igitur loco, vbi dolor talis eſt, granū ſaltem vnū tartari cum acuta admodū ſpiritus ſalis proprietate iacet. Si igitur tale granū in ſcapulas, aut coxas fotè inciderit, vehemētes paſſiones generat, & hæc cauſa eſt ſchiaticæ paſſionis. Iuxta fœmora enim iacet, & coagulatus ſemper vrget, ac cruciat vſq; etiam ad mortem: ſin ad alia vaſa attrahitur, idem euenit. Nam arthetica tūc incipit, etſi dicere fas eſt: ac ſi præ iracundia quorūdam medicorum licet: etiam id dico: quod is tartarus ad gluten albū

nonnunquam peruenit.Nam & illic vas tartari eſt.Item quòd podagra,genugra, chyragra, nihil aliud, quàm talis tartarus ſunt. Sciendum enim & illud: quòd talis tartarus non ſemper coagulatur: ſed interdum reſolutus manēs iam huc, iam illuc ex vno in alium locum ſerpit. Quemadmodum enim turba, vel procella maris à vento agitata, variè mouetur: ita quoque tartarus in homine per exercitia interiora in homine motus, id eſt, per commotionem, vel motum innatum variè pellitur.Et ſic quæſo ignoſcite:imò boni conſulite,quod tam diligenter vos de podagra inſtruxerim, de qua etiam ſeorſim libellum componere in animo habeo: ex quo plenius omnes eius ſpecies cognoſcere licebit. Cogitate igitur humoriſtæ, & in medium conſulite,& quid faciēdum vobis ſit, diligenter perpēdite.Qui in luce verſatur: non errat,nō deuiat,nec decipitur. Quia autem vos de podagra, ſchiatica, colica, orexi, & alijs alia principia, alias, & falſas quidem, originis cauſas fingitis ac ponitis: fieri non poteſt, vt certa recepta, ac remedia illis inueniatis. Interim

rim tamen hoc fingitis,ac dicitis ,incurabiles esse illos morbos. Habeo gratias egregij mi Domini:bene enim diuinastis, & acu rem tetigistis: hoc tamẽ quæso cogitate,& in hoc omnes neruos extẽdite, quomodo tartarus resoluatur, expellatur,cõsumatur ac separetur. Nã hoc pacto podagra,colica,ac aliȩ species quoq; depulsæ ac curatæ erunt.Porrò etiam id dicendũ, quòd consumptio membrorũ ex tartaro prouenerit,si nẽpe in neruos, id est,in radicem neruorum tartarus ille se posuerit,nã tum à radice consumptio incipit,concomitata maximis cruciatibus:qui cruciatus solummodo à corporibus salis,quȩ in tartaro sunt,proueniũt ibi omnia consumunt, vitamq; abscondunt,ne quid fructiferum accedere amplius queat,nisi antea tartarus amoueatur.Cùm eiusmodi etiam operationibus paralysis nonnunquam cõcurrit in isto membro, aut ita torpidum membrum fit,vt tartarum amplius nõ sentiat, & innumeræ huiusmodi ægritudines hoc pacto homines cotidie torquent: quas humoristæ interim sibijpsis titillantes, ex quatuor humorib. prouenire cõtendũt:

ſed ſuauis quidem hæc opinio eſt,& dulcis perſuaſio: non enim multa arte indiget,& paruo labore addiſcitur. Accedit & hoc: ꝙ talis ſpiritus ſalis tam arduus eſt,& tam vehemens, quòd venas etiam diſrumpit & ſcindit. Ex quo fit, quòd cũ vrina ſanguis exit: quod dum fit, magna admodum miſeria eſt. Magni enim dolores,& magnæ paſſiones ibi adſunt. Nam ex ſalis cauſtricatione ſanguis in vrina,item calculus in veſica oriuntur & cauſantur: aliquando etiam ille ſpiritus vrinã ſemper propellit, & cogit ſemper effluere:non tamẽ ſanguinem,ſed ſtimulat ac vrget,ſeq; cum vrina miſcet:& ſic magno eum dolore exit. Aliquando etiã vrinam ſiſtit,aliquando vrinæ vias,ac venas quaſi ſopore onerat, vt vrina exeat non ſentienti eam:& tales morbi ac defectus plurimi ſunt, qui hactenus ab alijs cauſſis eſſe falsò, ab humoriſtis iudicati ſunt. Omnes tales ſpecies deſcribere plurimum temporis, & papyri multũ exigeret:quarum omnium quia vnica cauſa eſt tartarus,ſatis erit id agere,vt vel in genere tartarus cognoſcatur. Si enim non ad vnguem, aut tam anxiè ſpecies

cogno-

cognoſcuntur,parùm id refert: ea tamē interim medicina adhibēda eſt, quæ per ſeſe occulta eſt,ac intima omnia in corpore exquirit, huc etiam illud pertinet: quòd ſi feces tartari per inteſtina nō eijciuntur,ſed per vrinæ vias exeunt, tūc ipſarum formę variæ ſunt:Iam enim qua ſi pus,iam quaſi vrina malè olens,aliquādo vt iuſta vrina exit:& in ſumma prout iſtæ feces,qui vel putrefactiones, vel calores ſuſceperint,ita in exitura ſeſe oſtēdunt.Sin autem retardantur, cohibentur & impediuntur,quò minus exire poſſint:tunc quòq; paſſiones periculoſas pariunt.Nam de periculo timenduū eſt ad modū magno.De his fecibus quoq; aliter garriūt,& alias cauſas adducunt humoriſtæ dicētes,epar aut renes putreſcere,cùm tamen nihil aliud ſit, niſi tartari fex,quæ vrinæ vias occupauit.Namq; ea fex taliter ſe oſtēdit,& tales cruciatus parit.In his ægritudinibus non coagulatus tartarus ſemper adeſt:ſed mucilago tartari nōnunquā tales dolores adfert. Iſta omnia à Medicis hactenus deſcripta nō ſunt: quia libros ex quibus vera medici-

na diſcitur:nunquam perlegerunt,nedũ didicerũt.Solùm enim in ſcriptis ac mortuis voluminibus verſati ſunt, & ex eis ægritudinum cauſas ſumpſerunt.Cognitio autem recta morborum ex ipſis fundamẽtis procedere debet:in quib. morbi ſunt,& ex quibus ſunt, & vel per experientiam realiter probari debet.Sic liber medicinæ,qui Mundus inſcribitur, perdiſcendus eſt:deinde alius liber, cui Microcoſmus titulus,quoq; inquirẽdus, & ſic anatomia fieri debet,id eſt,coſmographia & geographia:in quib.certè nõ mediocriter miror,quòd tot anatomiæ tanto hactenus tempore celebratæ ſunt,in quibus tamẽ omnibus prædictorũ & aliorum morborum origo nunquã inuentus tartarus cauſa eorum eſt,nunquã cognitus eſt:aut ſi quid etiam veri cognitũ fuit,id alio nomine appellatum, & aliæ cauſæ additæ ſunt. Solùm id tartarum dixerunt,quod in renibus ac veſica inuẽtum fuit:quod vel cæcus palpare,& truncus ſentire poſſet. Tartarus in podagra etſi coagulatus erat, tamen prætererunt:non intellexerunt,nec cauſam eius viderunt:ex quo etiam tonſorio nomine

ne Nodoſam admodũ ingenioſè, ſi Dijs placet,& artificioſè dixerunt.Et ſuos certè,niſi fallor,ad hanc doctoralem eruditionem cachinnum tollere poſſent.

Quomodo tartarus in ſuum corpus formatur,& de ſignis tartari.

Caput XIII.

HActenus ſatis declaratum eſt de eſſentia,de vaſis, de coagulatione eius & materia,omniaq; adeo genera tartari enumerata ſunt.De vltima etiã eius materia,& quot ægritudines ab eo oriantur,dictum eſt.Iam igitur de forma eius quoq; dicendum,paruus nè an magnus,rotundus,planus,angularis, lubricus,hirſutus,leuis,dur⁹:itẽ arenoſus,granuloſus,& qua deniq; proportione eſſe ſoleat,porrò indicabimus.Primus igitur tartari locus, in quo adhæreſcere ſolet, dẽtes ſunt:ibi enim tã diu pedetẽtim augetur:donec etiam in iuſtum tartari modũ accreſcat,& hoc facit tartarus ex potu:qui verò ex cibis oritur,non facit.Sed quod potialis in dentibus, id cibalis tartarus in ſtomacho facit.Huius enim tartari formatio talis eſt, quòd tartaro vini ſimilis videtur,qui in vaſe generatur:pro

pterea, quia in plano ſaltem adhæret, nec cõcauitatem habet in qua ſe ponit. Sic enim hic tartarus adhæret in dentibus,in gula,in ſtomachi orificio, in ipſo ſtomacho,in emunctorijs ſtomachi, &c. Quia tamẽ ſtomachus,tanquã olla iuxta ignem poſita ſemper ebullit, ſemperq́; feruet, coquit,ac omnia in ſe ſine intermiſſione miſcet,fit, quòd nihil in eo adhærere facilè poteſt: niſi id fortè accidat,vt omnino ſtomachus areſiat, exſicceturq́;.Tum enim humiditates ad ſeſe attrahit,illisq́; humiditatib.tartarus adhæret,& mediantibus ſic illis,etiã ſtomacho adhærere incipit.Hoc enim ſciendũ quò vas eſt ſiccius, eò plus humiditatis attrahit,& eò plus tartari in eo generatur.Sin autẽ vaſa humida antea fuerint, eò minus in illis tartari adhæret. ſic iudicium fieri poteſt de omnib.tartari vaſis, vti iam diximus:exceptis renibus,ac veſica,item iuncturis.Nam in iuncturis tali modo proceditur: tartarus in iuncturis ſe cum glutine albo cõmiſcet, & in iſtis locis ſeſe granulat,& globulus in modũ piſi efficitur:quæ podagra tartarea vel arthetica tartarea vocatur.Si nondum eo agu-

agulatus tartarus,ſed in maſſa adhuc cō
ſiſtit,appellari etiam poteſt ſchiatica tar
tarea.Deinde autem venis meſaraicis ad
hæreſcit,& ſic tartarus meſaraicalis fit,
&c. Tartarus quidem podagricus non
vti vini tartarus adhæret.propter humi-
ditatem igitur in granula ſeſe componit
& ſic in ſinonia,vel glutine albo paroxi-
ſmum inducit.De vrinæ vĳs ita ſciendū:
ſi concauitates ſiccæ naturæ ſunt: tunc
ſeſe in epate, nonnunquam autem alĳs
huiuſmodi locis tartarus ponit, priuſ-
quā ad renes perueniat. Id tamen omne
tale quiddam eſt, qualis in vino tarta-
rus: & dum ita iſtis locis adhæret, fit, vt
per vrinam abluatur ac deĳciatur, ac ſic
per vrinam,id eſt per portam vel ianuā
exeundi,nō quidē ſine dolore, educitur:
& cùm ſe ita vt tartarus liberat, facilè
quidem in lumbis ſentitur, & in lumbis
deinde cùm ad exitum tēdit,ſemper vbi
tartarus ſuo motu iacet, ibi dolor ſenti-
tur.Is etiam tartarus eſt,qui cum tempo
re pungit in latere vel dextro vel ſini-
ſtro,ſi homo currēdo,eundo,aut tali mo
do ſe nimium exerceat.Nam ex illo mo-
tu tartarus reſoluitur ſuo loco,& deinde

ad renes peruenit,ac ibi perfectè genera tur. In renibus nõ facilè adhærere poteſt quia renes membrum ſunt, quod ſemper mouetur & inquietatur plus quàm vllum aliud in corpore mẽbrum,& propter iſtam commotionem nõ poteſt ad hæreſcere. Prçterea etiam admodũ humidum membrum renes ſunt & pingue quod quoq; hac in parte impedimentũ eſt. Quia igitur adhæreſcere nequit,proximum eſt,vt granuletur. Sic igitur in vaſe renum in eam formatur, vt ſal nitri in aqua formatur: ſic quoq; arena formatur,vel paruis vel magnis granulis, prout eſt natura ac proprietas eius à quo deſcendit. Sicuti enim externè in natura perpetuus ordo eſt,vt hoc in petram ordinetur, illud in ſilices, aliud in arenam, &c. Ita quoq; in microcoſmo ordo eſt & fabricator, qui omnia iuſto modo ordinat, hoc in arenã vel magnã vel paruã,ſubtilẽ aut groſsã:& ſic quodlibet debita forma ſeruat. Hic formator etiã in renib. tãquam à natura cõſtitutus eſt. Porrò autem quod hoc loco ponitur, fit quia ad veſicæ regiones abit: hoc eſt in collo inter renes& veſicã: de qua formatione

matione talis processus obseruãdus est. In isto loco, regione scilicet vesicæ, tartari prima materia ponitur, nec inde abit, sed tanquam lutum insistit, & manet ad tempus vsque coagulationis, & coagulatione accedente in lapidem formatur magnum, vel paruum, pro magnitudine & paruitate primæ materiæ, & pro vti vasis forma fuit, formam lapidis ex sale accipit, sicuti omnes alij lapides, & in naturam lapidis abit ex eadem causa. Et hæc de tartari formatione sufficere arbitror. Iam igitur de signis tartari quibus cognoscitur, dicemus. Et cognoscitur quidem maximè ex hís signis, si vrina naturalem exitum non habet, si exitus dolorosi sunt, non lenes, nisi fortè ex alia causa, aut alia ægritudine dolores accedãt. Item in lũbis punctiones, orexis, arsura, colica prouenientes. Item post laborem, si quis in cursu, in tollẽdo aliquid facile in dolores incidit, & breuiter dolores in locis istis, in quibus tartarea vasa sunt, vt in dorso, circa vmbilicum, & similium. ista omnia tartari certissima signa sunt, ac prognostica. Iã autem multi sunt, qui ex vrina de tartaro

iudicare,& eum cognoscere se posse sibi persuadent,quod tamẽ fieri perfectè nõ potest.Oculi enim,mihi crede, non poterunt certum de tartaro iudicium adferre,hoc pacto,in vrina dico: qui enim exit per vrinam tartarus, nõ certum signum est loci tartari ipsius,vt planè cognosci possit vnde venerit. Quanquam enim duplex in vrina species apparet, & duplici modo exit,nonnunquam arenæ formam habet; nõnunquã verò tanquã lutũ immundũ apparet:tamẽ id signum incertissimũ adhuc est.Nõ enim id semper accidit, nec perpetuum est signum, nec etiam naturæ tartareæ materia ex eo signo cognosci potest. Si quis tamen ex vrina de tartaro iudicare, & eius materiam planè cognoscere desiderat:is salem vrinæ ab humiditate separet necesse est, & in isto sale verum indicium, & certissimum signũ inueniet. Si quis vrinam accipit,& ab ea tartarum separat,ita vt ab vrina tartarum plenè seiungatur,is naturam, ac propritatem tartari hîc plenè cognoscet:sin autem medicus hoc pacto signa non quæsierit, is certè hallucinabitur, decipietur, non aliter

vrinam

vrinam aſpiciet, atque ſi quis toruis oculis monſtrum ignotum aſpicit. Illo igitur, quo dixi modo, de tartaris quærẽtes, & ſic perſpicillis in fundo vrinæ inſpiciendus eſt. Illud enim ſciẽdum quẽadmodum externè videmus, ex nitro vrinę ſalem nitri fieri, & per illum ſalem deinde nitri naturam cognoſci: Sic quoque priuſquam ex vrina nitrum fit: oportet ſalem ex humiditate extrahi, & tunc ſpiritus ſalis corporaliter videtur: & manibus cernitur. Tunc demũ phyloſophicum iudicium adhibendum vti Phyſicum, Medicum, & Chymiſtam decet. Nam præter hanc viam vrinæ tuæ inſpectio parum proderit. Sunt & alia ſigna, quæ natura ipſa profert. Nam ex dolore morbum oſtendit, vt per podagram indicat tartarum glutinis albi, per dolorem ſcapularum tartarũ ſchiaticum, per iuncturarum paſſiones, tartarum artheicum, per dorſi dolores, renum, & veſicæ: per ictus, morſiones, conſtipationes, & ſitum, tartarum inteſtinorum, per orexin, & arſuram ſtomachi tartarum. Et ſic omnia genera tartari, de quibus hactenus dictum eſt, hoc

modo per sua signa cognoscuntur: quæ à medico certè cognosci, ac disci debēt. Nam horum signorum omnium experientiam, ac demonstrationem apponere non possum, sed experientia ipsa, quę cuilibet medico ministra esse debet, satis ipsum cotidiè melius, ac melius de hoc istruet: videbit nimirū indies quomodo hæc tartarorum signa, alium tartarum ab alijs distinguat, vt colica alios dolores habet, quàm renum passiones sunt, & sic de cæteris omnibus. Medicum igitur oportet summa experientia hominem esse, vt non solùm quæ in libris continentur sciat, sed ægrotantes libri ipsius esse debent, qui libri certi sunt, & in quibus decipi nequit. Si quis autē mortuis literis contentus fuerit, erit & ipse medicus mortuus. Et sic ista duo mortua nēpe doctrinæ, & mortuus medicus, ęgrotantes quoque morti tradent. Canum equidem occisor, nec carnifex adeo ex libris discere artem suam potest, sed per experientiam discit, quanto magis in tali arte experientia valebit?

De

De paroxiſmo, ac eſſentia tartari, vel perpetua vel mutabili, ſenſibili vel inſenſibili.
Caput XIIII.

SVnt & alia plura ſigna, quæ ex paroxiſmo ſumuntur, cognitu perquàm neceſſaria, de quibus iam hoc capite dicemus: Et primò in experientia videmus illo tempore quo vineæ florent, quod etiam in vaſis vina quædam moueantur, & ſe exercent. Iam autem omnia mineralia tam terrę, quàm aquę florent. Si igitur iſta res, ex qua tartarus ſpiritum ſuum, & naturam concipit, floret, ſequitur ex illo, quod etiam tartarus in homine moueatur, ſe exerceat, & acuitates & vapores, id eſt, paroxiſmos oſtēdat, quod nō de vino ſolùm: ſed de omnibus fructibus dico, qui cum primū folia & floſculos ſui nitoris oſtendunt, cōmotionem tartari in homine faciunt, & ſic ex quo genere fructuum tartarus eſt, ex eius florum tempore paroxiſmus etiam oritur, commotionesque in homine fiunt. Hæc naturalia medicus ſcire, & animaduertere debet, vt ſic ab exterioribus interna cognoſcat, ſicut hic ex-

ternę commotiones ſigna ſunt internarum ęgritudinum,& dolorum. Medicus igitur Philoſophus eſſe debet benè fundatus, vt flores naturæ benè cognoſcat, & per externas operationes etiam morbi paroxiſmum intelligat. Sicuti enim arbos, dumus, frutex, herba, aut aliud tale virorem, ac floſculos ſuos producit, & à ſuperfluitate ſe quaſi purgat, ſic tartarus quoque facit, reijcit à ſeſe ſuperflua, & ſic ſalia depellit: quod ipſum dolores tantos parit, non aliter, atque olla iuxta ignē poſita, ſi cooperiatur & claudatur, tūc ab ignis calore, ac feruore rūpitur: ſic tartarus quoque feruere incipit. vbicūque igitur exhalatio ipſius eſt, ibi dolor, cruciatus & paroxiſmus eſt. Fit etiam tartari paroxiſmus ex cœli influentia, ſicut quando cœli curſus indirectos radios mittit. Iſti indirecti radij tartari paroxiſmum mouent: tartaro enim cum ſideribus, & aſtris cognatio quædam, familiaritas, & neceſſitedo intercedit, & ideo in paroxiſmum illum cōmouerit: nam ſydera ignis ſunt, quo omnes fructus, & eſſentiæ terræ coquūtur. Sidus etenim ignis elemētum eſt, &

quem-

quemadmodum ab igne lignum comburitur, & alia coquenda in suam proprietatem coquuntur, sic tartarus etiam coquendo in mucilaginē suam reducitur. Exemplū in hoc tale ponam: si quis diutius in solis æstu versatur, is in syncopen nōnunquā, aut in alios morbos incidit: & valetudinarius quispiam Lunæ operationibus obnoxius, ac superioris elementi operationes sentit. Si quis in frigore diutius est, frigescere incipit, & ex frigore etiam alias ęgritudines expectare cogitur: sic quoq; diuersa natura in tartarum incidit, vt aut nimium frigus, aut nimius calor sit. Præsertim tamen ex Lunæ indirectis radijs tales mutationes facilè eueniunt, quæ non recedunt quoque, donec ad cursum solitum ista redeūt. Medicus igitur Astronomus esse, & cœlestes inclinationes, quæ orbem etiam penetrare solent, & in hominem veniunt, cognitas habere debet. Oriuntur etiam ex cibo, & potu paroxismi sic, vt quia nutrimenta forsan tartaro inconuenientia etiam sunt, propter quod tartarus commouetur in rabiem, ac iracundiam erumpit. Nam si id in-

nutrimẽtis additur, ex quo materia tartari est: tunc tartarus incenditur, & statim illud ad se quoque trahit ac rapit. Sciendum igitur multos paroxismos ex sola coagulatione prouenire, vt quia tartarus coagulatur, ille motus paroxismũ facit. Obseruanda enim differentia naturæ, ac proprietates sunt, qui quàm primum austera vina biberunt, in ventre dolores, & orexim sentiunt: isti autem in ventre dolores nihil aliud sunt, nisi contrarietas: quæ ex potu accessit, & sic quidem cibi ac potus sunt, qui quemlibet tartarum in paroxismũ facilè commouent. Quidam enim colicam passionem pariunt: alij orexim, alij laxant, alij in stomacho torquent, & eiusmodi operationes in qualibet tartari specie & natura inueniũtur. Vt autem paroxismos melius intelligatis, sciendum est, sicuti tartarus per sese dolores non habet, sed vasa tartari quàm latè patent, & quàm latè à tartaro regiones occupantur, dolores habent, vt tormina, ventus in intestinis saltem sunt, & sentiuntur. Et quemadmodũ sal in vulnus iniectũ dolores excitat, sic tartarus quoq; cruciatus

tus causa est:nam malitiæ spiritum à se depellit,& sic stomachum ad vomitũ in citat,quia in tartaro hellebori,agarici,& esulæ natura est,qua tartarus ipse per sese vomitivum est in sua operatione. Adhæc etiam deoppilãtem & appetitiuam virtutem habet:quæ virtutes, etsi quòd aliorum quoq; morborũ inditia sunt, tamen etiam tartari signa sunt,sicut alij paroxismi,qui propter accidentia alia excitantur,vt per motiones,actum venereũ, per frigora nimia,& huiusmodi, sicut apud ægrotantes id facilè apparet, nec opus vt plurib. describantur.Præterea cuilibet innata est quædã proprietas ad cõmotionem,alterationem,purgationem, quæ suo tempore incipiũt,ac naturæ satisfaciunt,sicuti in glaciola aue videmus quæ singulis annis etiam post mortẽ sese renouat,plumasq; abijcit : talẽ quoq; proprietatẽ tartarus habet, vt sic non semel,sed sæpius in anno cõmoueatur Nã hoc planè absq; dubio est,quòd cuilibet rei innata sua ad tales cõmotiones natura est,vt sanguis in homine se purgat renouatq;:itẽ & alij fructus omnes: itẽ gallus à natura sua tempus sibi aptum scit,

quo cantet,&c.Sic tartarus ad paroxiſmãdum tempora conſtituta & propria habet,id quod philoſophia nos docet, quã medicus non aliter atq; vngues ſuos cognitam habere debet.Quia autem varia hactenus de varijs paroxiſmis vidimus,iam de varijs etiam tartari eſſentijs dicẽdum erit.Alia enim in tartaro eſſentia mortifera eſt,alia diuturna: alia quæ dolores non parit,alia quæ ſtatim abit, moxq; reuertitur. Sic igitur alius tartarus mortalis eſt, alius chronicus, alius manſuetus,& alius præteriens. Has differentias ſcire neceſſarium admodum eſt: nam ſecundum eas quatuor etiam medicinæ methodi parẽtur: & hæc ideo indico,quia medicos multos noui,qui in prætereũte tartaro ea adhibent, quæ leniori adhiberi poterant. Sed tamen propter imperitiã volunt ſic manſuetũ,mortalem,ac chronicum ſimul vnà è medio depellere.Magna igitur ſtoliditas & impudentia eſt,medicum eſſe velle, nec tamen medicinã nec morbos intelligere. Et has ineptias ac ſtoliditates ſæpius in regum,principum,ac ciuitatum Doctoribus ac Phyſicis animaduerti. Sed cum

pompis illorum ac mollibus vestimentis certè iucundum est,nec docendi quidem sunt tam picti, ac formosi doctorculi. De mortali igitur quomodo & vnde veniat,amplius dicendum,per artem vt videmus.Possibile est nō lethale quid dam lethale reddi, sicut mel immortale est,in tertia tamen eleuatione mortale efficitur:& sic alia plura sunt,quæ ex bono in malum arte vertuntur. Sic natura quoq; non ociatur,semper laborat,semperq; solicita ac curiosa in laboratorio suo operatur.in illa igitur operatione & cotidiano labore simplicia præparat,metallorum,cachimiorum ,marchasitarū, & aliorum mineraliū,& sic in alio veneno,in alio sale,in alio item corrosiuis vtitur,ad alia dulcia, ad alia verò amara adhibet.Quia igitur talis in natura quoq; labor cotidie est,necesse est,errores nō nūquam accedere, sic vt non omnia certo tramite finiantur, quæ incepta sunt:& sic sequitur, quòd cùm prima materia tartari venenum sæpe miscetur : nonnunquam corrosiua adduntur:quę deinde cum tartaro vnà crescunt,& in homine mortiferos morbos pariunt: quod

certè multiplici via fieri poteſt: nam & ſalis ſpirit⁹ triplicia ſalia in ſe habet, quæ per ſe quidẽ bona ſunt,facilè tamen cor rumpi,& in venenum aut corroſiuum mutari poſſunt. Quia igitur natura ipſa in creaturis ſummus Alchimiſta eſt,& omnia pro arbitrio agit: verendum certè ac timẽdum valde eſt,ne & hunc ſpiritũ ſalis in ſummam & extremam malitiam perducat,ex qua mortem deinde ſequi neceſſe ſit.In tartaro enim omnia genera veneni inſunt,& prout veneni ſpecies eſt,ac prout tartari deinde operatio eſt, ſic venenum expellit, & id flores tartari ſunt.Iſtud venenum ſic loca iſta corrum pit,in quibus vita ſita eſt, certè mortem adfert.Iſti enim intolerabiles dolores tãtùm ex floribus venenoſis ex tartaro venientibus:item à fumo arſenici, & quicquid arſenici modo operatur, veniunt. Et hic tartarus in quo talis venenoſitas eſt,tartarus mortalis eſt: & ſicuti in metallis venena occultãtur,quæ deinde per ignem extrahuntur: ſic ſidereus ignis in homine venena extrahit,& ſic ſi quid in tartaro tale eſt,neceſſe eſt, vt aliquando erũpat & agat.Eſt & alius tartarus mortalis

talis,vt ecce:si in nimiã magnitudinem, & vltra circulum tartarus crescit, quod fieri potest(nam & inter homines nonnunquam inueniuntur,qui vltra iustam mensuram longiores sunt) in quocunq; vase is tartarus sit,mortalis erit: magnitudo enim,& incõueniens quantitas vasis nociua est, corrumpendo scilicet ea, ex quib.mors sequitur. Et natura talem magnitudinem,& vltra quàm sat est, paroxismũ vehementer ferre nequit. Non nunquam etiã tartarus adeo fœcundus est,quòd plures ex sese generat, ex qua multitudine deinde natura separatur. Aliquando etiam natura ac proprietas hominis est,vt nullum genus tartari ferre possit, sicut & ij sunt,qui vini potum aut casei esum abhorrent & nauseant. In talibus etenim quoq; mortalis tartarus erit:nam vt quisq; rem aliquam à natura abhorret,ita nociua res est & mortalis:si etiam natura tam debilis est ac infirma,vt dolori resistere,& sibi medicina esse non possit,in eo mors quoq; ex tartari paroxismo sequitur. Chronicus tartarus ex ijs rebus constat ac generatur: quæ per se à natura,& ꝓprietate sua mu-

tabiles ac fixę ſunt.Igitur in homine quoque ille tartarus incorruptibilis iacet, neq; frangi nec diſſolui poteſt,vt nec aurum ab igne conſumitur:ſic etiã ſalia fixa ſunt,quo & ſpiritum fixum generant, ex quo corpus fixũ coagulatur.Vbi igitur iſtæ fixæ generationes inueniuntur, ibi paroxiſmi quoq; fixi ſunt,nec ad mortem,nec ad conualeſcentiam tendentes ſed morbum indies augentes.Tertiò de manſueto tartaro notandũ, qui aliquos cruciatus habet,non tamen magnos,nõ paſſiones.Sed quia indicio tantùm aliqualiter ſunt,tartarum ibi adeſſe, quod ſic intelligendum. Quemadmodum ſtupefactiua,narcotica,opiatica,& eiuſmodi ſomnifera creſcunt,ita quoq; in tartareis generibus tales proprietates nonnũquam ſunt: & quemadmodũ natura nõ omnia in eandẽ formam aut modũ format,aut eodem modo agit:ſic in tartaro quoque diuerſæ naturæ ac proprietates ſunt.Hoc enim medicus nunquã æſtimare debet,vnum morbũ ſolummodo vnã eſſentiam habere: vt peſtis non vnica peſtis eſt,ſed plures ſunt. Quemadmodum enim pomorum,pirorum,& cæterarum arbo-

arborum plures sunt numero & specie, & tamen omnes pira, poma, &c. adferũt: sic in omnibus ęgritudinibus, & sic in tartaro quoq;. Et ex prædictis varietatibus nonnunquã etiã tartarus cicatrizans reperitur, etiã tartarus acetosus, berberic⁹, põticus, piperinus. Nã quilibet sic secundum proprietatẽ & naturam anni etiã paroxismos habet. Quintus tartarus pręteriens est, ille cotidie generatur, & cotidie etiam exit: idq; ex ista causa, quia natura locum perpetuum aut mãsionem nullam habet, & ideo seipsum expellit. Hicq; tartarus omnium optimus ac mitissimus est. Et in hoc etiã medicus curiosus esse debet, vt quilibet cæterorũ tartarorum ad hunc tartarum reducatur.

De ordine ac regimine, quomodo in tartaro procedendum sit.

Caput XV.

DE origine, fundamentis, & causis huius morbi tartari, quantum scire necesse est, & in quantum id describi, ac iuxta naturæ limen tradi potest, hactenus satis crasso ac vulgari modo diximus. Quę enim vlteri⁹ ad ista requirũtur id fidelibus medicinæ indagatorib, per-

mitto,ex maioribus scilicet medicinæ libris,qui sc. pedibus calcari debent,discẽdum ac hauriendum. Quæ autẽ ad curã attinent,& quæ ægrotantibus maximè necessaria sunt:de ijs iam porrò tractabimus,dietas, regimina, ac ordinationes primo describendo In hoc igitur in primis & ante omnia diligẽter obseruandũ est,quis spiritus coagulationis adsit,cui⁹ naturæ ac proprietatis sit: vt posteaquã hunc bene nouimus, inde etiam postea sciamus,quibus modis aut quo pacto is spiritus frangi,debilitari,ac penitus corrumpi debeat.Deinde etiam quomodo fructus omnes,quibus tartarus inest,frãgi debẽt,& ita subiectum auferri,ex quo spiritus coagulationis generari fortè possit.Possunt enim duarũ proprietatũ concordantiæ ita coniungi,vt tartarus exinde facilimè generetur,quam coniunctionem nos industria auertere debebamus, ac iterum distinguere,ac separare non aliter,atq; matrimoniũ separatur, ex quo non amplius fructus,id est liberi generãtur.Primus igitur labor,& prima regula hæc erit,vt spiritus coagulationis vincatur,superetur,& sic debilitetur, vt amplius

plius coagulare non possit, secundus, vt nutrimenta omnia tam cibi, quàm potus à tartaro benè purgētur, tartarus in ipsis rumpatur, ita, vt nunquam in eum modum perducantur, ex quo tartarus generari possit. Tertius vt coagulationis spiritus, ac tartari massa disiungantur, ne alterum ab altero adiuuetur. Hoc si fit, si talis ordo, ac regimen incipitur: certè nec causa, nec materia amplius aderit, quo talis morbus generetur. Et in his regulis, quas diximus, quilibet medicus curæ suæ regimen ponere debet: præsertim etiam externum tartarum benè antea cognitũ habeat, vt eius naturā sciat, vt proprietatem cuiuslibet tartari tali, vel tali loco positi perspectā habeat, siue ex cibo, siue ex potu aduenerit. Hęc etenim omnia qui ignorat, ille nec id quidem sciet, qui cibi prohibendi, à quibus rebus abstinendum sit: multa simul prohibebit, inter quæ si illud quoq; erit, quod prohibere cõueniebat, fortè fortuna, & casu quidē, haud ex arte certum consiliũ dedit. Medicus igitur in hac parte, & physicus esse debet: propter naturā, ac proprietates micro-

cosmi, & philosophus propter naturã, rerum virtutes, ac proprietates, ne in aliquo istorum circa medicinam fortè erretur. In hoc etenim morbo etiam si medicina optima sit, & in resoluendo, ac depellẽdo egregiè officium suum faciat, tamen nisi regimen adhibeatur, eò iterum res redit, vt per cibum, ac nutrimenta is facilè tartarus in hominem redeat, qui antea depulsus per medicinã erat, & vt fortius fortasse, quàm antea crescere tartarus iterum incipiat. Porro autem, vt medicus artificiosè, cautè, ac tutò regimen pręscribere possit: aliquot cautelæ precipuè notandæ sunt, & primo: Medicus homo si in regionem aliquã peruenerit (sicuti medicus peregrinari, omnesque totius mundi angulos visere diligenter debet) & in ea regione tartaream ęgritudinem inuenerit, istam primũ curam sibi dari putet, vt cognoscat, ex quo nam iste tartarus generatus sit, ex cibo nè, an ex potu: id est, indicium ex vrina sumat, vt sciat quale nam genus tartari id sit, imò quæ species etiã: & sic nutrimenta probet diligenter, videatque quæ nutrimenta cum tartaro illo

conueniant, & ſic commixtionem externi nutrimenti cũ interno tartaro habeat. ſi genus & ſpecies tartari hoc modo cognoſcuntur, tunc illud in regimine amouendum, & prohibendum eſt, ex quo talis tartarus eſſe cognoſcitur: & ſic locus erit, ac oportunitas, vt tartarus per medicinam expellatur, ne iterum creſcat. Vt autẽ iſta omnia cognoſcantur, per viſibilem experientiam fieri debet, ſic vt vera proba oculis appareat, Talis enim morbus tartarus eſt, vt qui oculis in homine videri poteſt, & qui materiam ſuã quaſi palpãdam exhibet, nec minus externè in nutrimentis viſibilis, ac ſenſibilis per artem fit. Talis experientiæ medicus plenus eſſe debet, no rubro pileo & phaleris ſaltem incedere. Vt autẽ in nutrimentis tartarus cognoſcatur, Alchimia opus eſt. Illa enim ars quærere docet, ac inueſtigare: quicquid in quolibet corpore reconditum iacet. Qui huius artis imperitus eſt, is, mihi crede, in medicina nondũ rectè incepit, ſed ex Donato adhuc terminationes & caſus, imò ſyllabas colligit. Ita autem tartarus quæri debet, Vt in omni ſpecie,

tam cibi, quàm potus, inueniatur: item vt loca eius apta cognoſcantur, & quæ eius durities, quæ forma, quæ proprietas, ac natura ſit, penitus intelligatur. Fieri hoc facilè poteſt, vt quælibet cibi ſpecies tartarum ex ſeſe prouenientem oſtendat, ſed id nequaquam ſatis eſt ad plenum iudicium, & ad perfectã cognitionem, cum vltra prædicta omnia hæc etiam cautela requiratur: vt ex materia tartarus extrahatur: deinde gradus, ac qualitates inſpiciantur, cognoſcanturque, quæ ſimilia, quæ non. circa quæ notandum etiam ſi plura tartari genera in externis nutrimentis inueniuntur, quod tamen cauſam morbo non præbet. Igitur principale nutrimentũ quærendũ, ex quo cauſa ac origo morbi eſt, & id ante omnia ex regimine reijciendũ. Sæpe enim accidit, vt regio aliqua præcipuum, ac peculiare quoddam leguminis aut frumẽti, aut potus genus producat, ex quo tartarus cõmuniter in pleriſque regionis incolis generatur, quod eſt animaduertendum diligẽter. Illud enim genus ex regione iſta prouenĩes, ſi remoueatur: inque locum ipſius aliud ex alia

regione

regione genus ſuggeratur, futurum eſt, vt tartarus nullus in homine deinceps generetur. Exemplum, vt melius ea intelligantur, apponam. Vinum Kailhemenſe plurimum tartari generat: ab illo igitur vino qui abſtinet, & illius loco necharino vino vtitur, à tartaro nimirum tutus erit. Non igitur ſemper ĳs rebus & fructibus vtendum, & temerariè inhærendum eſt, quas quæque regio ſibi producit: ſed ea quærenda, quæ ad ſanitatem plus conferunt, etiam ſi ex alienis, & peregrinis locis petenda. In hoc enim peregrina nequaquã aſpernenda erunt, vbi ſanitatis periculũ aliud ſuadet. Sic quælibet regio alteram regionẽ iuuare auxilioque eſſe debet, vt ſic Danubius fluuius Reno, Renus Danubio, Italia Germaniæ, Germania Italiæ opem in his ferat. Ex hoc vniuerſali exẽplo omnes ſpecies cibi & potus peculiariter intelligendę ſunt, vt ſic pro cibo alius, pro potu nociuo aliud adhibeatur minus nociuũ, & pro fonte deteriore aliũ minimè malũ quæramus: plures enim fontes, & plura paſſim vina diuerſæ proprietatis, in diuerſis regionibus inueniũtur.

Qui igitur medici nomine gloriatur, is experiētia hac instructus, ac armatus sit, vt sic cum nomine res cōueniat, & cum nominis dignitate ars quoque coniuncta sit. In huius morbi cura, si medicus quid prohibere velit, necesse est, vt illius loco aliud vtendum cōcedat, id est, si in potu aut cibo peccantem materiam inuenerit, tunc materiam quoque non peccantem sciat in alio cibi genere, & hoc concedendum, aliud prohibendū erit. Semper enim & bona, & mala in quolibet loco inueniuntur: Arte igitur, & examine opus est, vt medicus tam bonum quàm malū, quod in quaq; specie est, perfectè sciat, ne vnum prohibeatur, & multò deterius ac nocentius interim permittatur, sicuti hoc ex librorum doctrina copiose apparet, quorum regimina, ac diætę ex nulla penitus arte, ac examine procedūt, sed pro arbitrio saltē, ac ex placito constituuntur. Hoc pacto fit: quòd medicus quid prohibet, cū tamen interim ignorat, quid id sit, quod prohibuit, quæ eius proprietates, quid in eo insit, & quid operari possit: examen nullū nouit, ordinē, aut processum iustū

non intelligit. Et quidē hoc pacto hactenus actitatum est, & pro cuiusque arbitrio ac opinione, in medicina versati homines imperiti sunt, vt etiam facta ipsa medica religioni contemptum, ac quasi infamiam conciliarunt hactenus. Nihil enim adhuc isti medici boni demonstratiuè probant, nihil materialiter, nihil realiter de rebus suis affirmare possunt, opiniones saltem afferunt, quas tamen medicina ferre recusat. Certis enim, & infallibilibus fundamentis ea gaudet, non opinionibus, non vt logica, friuolis, ac incertis argutijs delectatur. Qui igitur medicus esse desiderat, & saluare patriam arte sua velit, is hoc agat, vt patriæ suæ tartara, eorumq; proprietates penitus in genere primo perdiscat: deinde speciuocè quoque singularum cibi ac potus specierum naturas, ac qualitates cognoscat. Qui enim in patria homo medicus versatur, ac diu fuit, nec hoc examen de tartaro per vniuersam patriam nouit: ille certæ inutile terræ pondus dicēdus, nec dignus, cui victum patria, nedum vitam suppeditet, iudicandus erit, propter nimiam inscitiam

qua nulli amicorum, cognatorum, nec patriæ, quæ ipſum alit, ac ſuſtentat, quicquam prodeſſe poteſt. Si autem in hoc examine bene exercitatus medicus fuerit, & deinde tartareę ægritudines ei fortè obuenerint, ſciet nimirum ex ſale vrinæ probam facere; ſic vt alterum alteri opponere, & cum alio aliud conferre, ſicut gemmæ ad inuicem conferuntur, & quæ nobilior ſit, certant. Poterit deinde etiam in cura & regimine procedere, pro vti medicum peritum, ac diligentem decet. Vbi enim in tartari cura regimina negligũtur, omnis, mihi crede, medicina fruſtra adhibebitur. & certè quo ad regimẽ, meritò medicus, in quacunque etiam regione, totius terrarum orbis verſatur, ſummã induſtriam & ſummũ iudiciũ adhibebit. Nulla enim mundi pars reperitur: quę à tartareis ægritudinibus omnino vacua ſit. Hoc tamen nõ poſſum iã non ingenuè fateri, me inter omnes nationes ac prouincias, quas vnquam in vita mea perluſtraui, non vidiſſe aliam, in qua tam rari ſunt hi tartarei morbi, atq; in regione Heluetiæ confini, quæ terra germanicè Veldtlin

vocatur

vocatur. Huic enim ſimilem, neque Germania, neq; Italia, neq; Francia, & in ſumma nec oriens, nec occidens, nec tota Europa prouinciam habet. Nam quod mirabile etiam dictu eſt, inter indigenas iſtius prouinciæ, inter iſtos dico, qui ibi nati ac educati ſunt, nullus vnquam reperitur, qui vel podagra, vel colica, vel ex tartaro, aut apoplexia laboraſſet, quod ipſum tam ſalubrem, nempe commodã ac ſanam regionem, in qua omnia nutrimenta, omnesq́; fructus, plus quàm in vlla alia quas vidi regione ſalubriores, ſani ac cõmodi creſcũt, vt admirari ipſe ſatis vix poſsũ, propter plures cauſas, quas iam aſcribere ſuperfluũ videtur. Poſſet huic ſimilis fortaſſis reperiri, non inficior, vt tamen in tota Europa inueniatur, id firmiter nego, nec veriſimile exiſtimo.

De præſeruatione, & quomodo præcaueri hic morbus poßit.

Caput XVI.

Etſi plurimi inter homines morbi paſſim graſſantur ac ſæuiunt, qui varijs modis homines diſcruciant, tamen contra iſtos etiam remedia nata, &

diuinitus ab omnipotente Deo in naturam datam esse, minimè dubium est. Hactenus autem in præcedentibus capitulis de tartari generatione audiuimus, quę quidē fortis est, crassa, aspera, ac intolerabilis nonnunquã. Iam igitur è contra naturam aperiemus & declarabimus, quæ certè tã fortia præseruatiua nobis pollicetur, vt quib. tartari regeneratio retardari, vinci ac superari potest. Si quid igitur hominis virib. deest, & si archæus hominis debilior sit, quàm vt eiusmodi rebus mederi queat, ad naturæ archęũ, illũ scilicet qui extra hominem in fructibus ac naturalibus rebus est, properandũ est, & is quasi ad auxilium & subsidium vocandus erit. In hoc igitur de conseruatiuis scilicet talis processus obseruandus est. In Struthione eam naturæ fortitudinem videmus, quòd ferrũ, chalybem, cuprum, &c. sumit ac digerit, nõ aliter, atq; nuces ac pira: in cane, quòd ossa deuorat ac vti carnes fortiter concoquit. In merula aue, quòd araneis vescitur, quas sicut ordei aut canabi granum digerit: in ciconia, quòd ranas, serpentes, & alia venenosa animalia in cibum sibi quærit, &

&istо cibo vescitur ac delectatur. Hanc naturæ fortitudinem & efficaciã cũ in ipsis aspicimus, cogitare debemus, medicinam homini in hoc datam esse, vt suũ quoq; stomachũ sibi præparet ac cõfortet, quò ad omnia decoquenda aptus sit quæcũq; in eũ peruenerint. Quod sic intelliggi debet: Tartarus in stomachum defertur, stomachi autẽ officiũ illud est, vt id decoquatur vel digeratur, quod semel accepit decoquendũ, postea etiã sequestrare vel eijcere debeat. Hoc si per sese stomachus facere nequit, certè adiuuandus erit, & ita corroborandus, vt nec veneno etiã prosternatur: quemadmodum nõ merula, nõ ciconia à venenis abhorreãt, & istuc certè redigi stomachus debet, vt quemadmodũ struthio ferrũ, ita hominis stomach9 tartarũ cõsumat. Nam vtrũq; & in homine & in struthione possibile est. Medicus igitur, qui præseruatiuum contra tartarũ parare cupit, hoc inprimis conetur oportet, vt ad talẽ fortitudinem stomachum præparet, vt omnia facilè digerere & cõsumere queat Nam talibus rectificatiuis & confortatiuis, alteratiuis, & tali stomachi fortitu-

titudine hic morbus præcaueri ac vitari potest, alijs autem rationibus nequaquã. Vt autem ista plenius ac perfectius intelligatis, duas vias in tali præseruatione paraui: vnam de stomacho præparando, vt dictum est: alteram de tartaro externo adimendo, ne in hominem per cibũ proueniat: de quibus sic animaduertite. Primò de stomacho dicendũ. Sciendum quòd stomachus præparatur, corroboratur, ac fortior efficitur solummodo acetosis esurinis: quæ quoq; duplicia sunt, naturalia scilicet & artificialia. Esurinũ autem acetosum medicina est, quæ à natura sua stomachum ita intendit, & appetentem reddit, vt etiam non edenda edere cupiat, & non digerenda aliàs facilè digerat. Acetosum autem naturale, est acetosum fontale, id est, aquæ à natura amaræ & acetosæ . Artificiale acetosum, est acetosum vitriolatum. Et sic solùm in acetositate digerendi ea quæ dixi potentia consistit. Porrò autem aquæ, & fontes à natura acetosi alius alium in acetositate excellit ac superat. Acetosa autem artificialia in mineralibus, & metallis & talibus est. Nam etsi dicimus, Acetosum vitrio-

vitriolatum, tamen nihilominus etiam cuprum Venus vitriolatum est:cuprum enim vitriolum est. Si igitur ex cupro acetositas extrahitur, qui ista acetositate vtitur,is cuprum etiam digerit: & sic de omnium metallorum vitriolatis intelligendum. Cùm igitur de struthione dicitur,quòd omnia metalla digerit, verum est:quia in omnibus metallis acetosa vitriolata sunt(in solo auro nullum est vitriolum)Eam acetositatē esurinam,quia struthio à natura sua habet, ideo metallum & aurum consumit. Homo autem quia ea caret,arte stomachus eius adiuuandus est,& sic cōfortandus, vt omnia quæ aliàs à natura & proprijs viribus nū quam consumere posset, facilè digerat ac consumat.Iam igitur etiam hoc sciendum:Thermas acetosas eiusmodi vitriolatas proprietates in se habere,id tamen varijs modis:nam vt varij colores, ita variæ acetositates sunt,non vna aliqua species.Vnum tamen acetosum fontale noui,quod præ omnibus in tota Europa facilè excellit, nec eius simile vsq; reperitur, & est in Engedina ad S. Mauritium: ea aqua quo angustiore alueo clauditur

eò magis acetosa est: & qui de ea iuxta medicinæ ordinē bibit, is de vera sanitate ac valetudine gloriari poterit; is etiam non tartarū, non arenā, non podagram, non artheticā, aut talia sentiet. Ita enim stomachus ab ista aqua corroboratur: vt tartarū cōsumat ac decoquat, sicuti struthio ferrū decoqt, & sicuti merula araneas digerit. Nec tartarū solū, imo etiā alia omnia, q̃ ægritudines in homine generare posset, si modò istorū prima materia in cibo & potu consistit, cōsumit. Sicut enim omne lignū, siue corrosiuū, siue planū, siue molle, siue durū ab igne in fornace consumitur: sic in tali stomacho omnia quæ in cibo potuq́; sunt, & p ea infundūtur, qualiacunq; etiā sunt, cōsumūtur. Acetositatis autē fontalis duo sunt genera: vnum est cuius acetositas sensibiliter sentitur: aliud est cuiꝰ acetositas nō quidē sentitur gustādo, & tamē non minus digerit ac cōsumit quā altera, quod ex hac cōparatione intelligitur. Ignis nō semper ab alio igne accēditur, imo ignis nonnunquā ardet ac calet, nō ab alio accensus, vt si à Sole, vel à fricationibus ardeat, & idem ignis tamen est,
cum

cũ eo qui ex silice excutitur: sic hic quoq; intelligendum est. Nam ea acetositas etiamsi non sentitur, tamen cum in stomachũ peruenerit, æquè operatur atq; alia. Illa acetosa occulta, de quibus dicimus, fontes sunt præcipua quadã naturę proprietate præditi, differetes à cæteris fontibus longè, & plerũq; in altis mõtibus ac petrosis locis inueniũtur, longè à plano & lutoso solo siti, quorũ fontiũ vnus est Rhenus in originis suæ loco, Albis in originis suę loco: & eiusmodi penè omnia flumina, q̃ in hũc modũ in petrosis locis oriuntur. De pleniori autẽ horũ fontiũ cognitione scribere superfluũ foret, sed ex Philosophis hoc discendũ moneo. Quia de medicina loquẽdo hoc sẽper præsuppono, medicũ naturalẽ philosophũ ante omnia esse debere. Nã cũ horum arcanorũ ipsa natura fabricator sit haud homo, ex ea id petẽdũ suadeo, mediante sc. philosophia: vt quicquid natura cõponit, p̃parat ac decoquit: eã pharmacopoliã medicus diligẽter inuisat, & pixides, ac alia vasa p̱ vniuersũ mũdũ, in petris, syluis, mõtibus, bene plustret. Ampla enim & valde ampla pharmacopolia

eſt,ſed homo remedia,bonaq́; pharmaca,bonaq́; auxilia & conſilia pollicetur ac præbet:idq́; gratis non propter pecunias, quia nec pecunia hominem ſaluat, ſed medicina.Et hanc apothecam cum viſitatoribus ac doctoribus diligenter viſitandam permitto,&c.Vt autem ad acetoſa artificialia veniamus,ſciendũ,quòd talis acetoſitas in mineralibus eſt ſita: ars autem quæ eam acetoſitatem vbi ſita eſt ſic oſtendit,vt ars ſignata eſt. Eſt & alia quæ eam acetoſitatem extrahit, vti eſt Alchimia,quæ amarum à dulci ſeparare docet,& quodlibet in formam ſuã ac corpus redigere, hisq́; artibus acetoſum artificiale perficitur. Sed de proceſſu inueniẽdi, & quomodo ſeparationes fiant,pauca etiam dicam Nam quamuis hæc ſcholaſticalia ſunt,& alio loco dicẽda:tamen quia horum ſcholaſticalium etiam doctores noſtros imperitos eſſe videmus,non pœnitebit,nec pudebit iſtas eis ad diſcendum proponere. Primò igitur ars ſignata, vel conſignata,omnia quæcunq; in corpore aliquo ſunt per ſigna externa demonſtrata ,ac ſigna vt ſic apertè & planè cognoſcantur. Nam per

eius

eius signaturam videmus, quid aurum, argentum, ferrum, cuprum, &c. sit. Hæc ars membrum astronomiæ est, & medicinæ initium: vt autem omnia de hac arte ascribantur, de signis quomodo cognoscãtur, & quomodo inueniãtur, duo legitima volumina vix sufficerẽt, nedum hoc capite fieri possit. Hoc saltẽ hîc ago, vt vos ad istam artem adducam, & eam discendã vobis proponã, vt per signa signatũ discatis, sicuti ex arsura arthetica, ex amaritudine Gentianæ radix cognoscitur. Quo ad separationẽ autẽ, Alchimiam vobis discendam propono, quam necesse est medicum nosse: ea enim alterum ab altero extrahere, ac in propriũ vas, ac corpus proprium separare, ac redigere docet. Acetositates autẽ multiplices sunt: aliæ enim sunt, quæ in metallis, aliæ quæ in gemmis, aliæ quæ in marchasitis, in cachimijs, in chimolea montana, &c. & istorum generum quodlibet suam præcipuam & peculiarem artem habet, ex qua istæ extractiones discũtur: de quibus omnibus iã speciuocè docere longius esset, nec huius operis institutũ est: sex enim legitimis libris vix fieri pos-

ſet.Illud autem ſciendum, cuprum cum corrumpitur,& ſine corroſiuo reſoluitur, iam vitriolum adeſt, ex iſto vitriolo quintū eſſe preparandum eſt: oleū,& liquor, &c. & ſic veneris acetoſum paratū,ac perfectum eſt:& ſic arcanum illud adeſt iſtarum rerū, de quibus antea dixi:& ſic cum cæteris metallis agendum eſt.Venus tamen, ac Saturnus ſuperiores,ac fortiores in acetoſis viribus ſunt, poſtea calybs, deinde ſtagnum: Mercurius enim in adepta philoſophia pro metallo non numeratur. De cæteris autem mineralibus,marchaſitis,cachimijs, chimoleis montanis,idem eſt,quod de ſuperioribus: vt nempe ſulphur primo illis,item liquor merculiaris adimatur,& ſal ſaltem cōſeruetur. Nam in ſale artis acetoſum eſt, & illud ſal in oleum, & liquorem acetoſum præparatur. Et hi proceſſus,& arcana ſunt: quæ à tartareo morbo præſeruant, eum qui illis iuxta doſin, ac iuſtam quantitatem vtitur, quam doſin medico commendo iuxta perſonæ qualitatem dimetiendam, ac præſcribendam.Si quis autem tartareo morbo iam correptus, vt ab eo liberetur,

tur,quātum præſeruatiuis poſſibile eſt, oportet vt vnâ cum præſeruatiuis medicinæ ordinatio coniungatur. vt enim balnea & medicamina curam perfectā reddunt, ſic balnea cum præſeruatiuo præſeruatiuum perfectum reddunt, ita vt diligentius omnia loca,& omnes angulos ac rimulas perluſtret, non ſolùm in ſtomacho dirigendo, ſed toto adeo corpore decoquendo, ac conſumendo. Hæc omnia medicis fidelib⁹ ſpecificè, & ad vnguem efficienda permitto:qui huius rei peritiſſimi eſſe debent: nā omnia penitus comprehēdere, ac præſcribere difficilius,ac longius futurum eſſet.

De curatione tartari in prima materia, antequam coaguletur, vbicunque in copore ſit.
Caput XVII.

Quia iam ad curationem Tartari accedimus:Primo de eius tartari cura,qui in prima materia, & nōdum coagulatus eſt,dicendū erit.Sciendum autem quòd ille tartarus in prima materia quoque paroxiſmos generat, & dolores ac paſſiones parit, non aliter,atque coagulatus, & multæ quidem

ægritudines ex hac tartari prima mate-
teria proueniũt, quibus multi hactenus
decepti sunt. Hęc igitur fieri debet per
balnea ac per potiones. Balnea ideo fie-
ri debent, vt corpus calescat, & sic in ca-
lore maneat: qui calor talis esse debet, vt
non exiccet, sed humectet, siue naturale
id balneũ sit, siue artificiale. Illa etenim
medecina, quę tartarũ in prima materia
depellere debet, externum calorem, &
humiditatem requirit: absque ijs enim
tardè medicina procederet. In tali igitur,
& cũ tali balneo medicina coniungi de-
bet, id est, in balneo sumi medicina de-
bet. Medicina autem nõ aliud nisi cibus,
& potus sunt, ex hac causa quia cibus, &
potus totum corpus, & ad omnia mem-
bra corporis trahitur propter nutrimẽ-
tum, vt patet. Quia igitur cibus totum
corpus penetrat, & in cibo medecina est,
ergo & medicina sic commodissimè ad
omnia corporis membra perducitur, vt
sic vbique operetur, & suo officio funga
tur. Omnia in toto corpore, siue bona,
siue mala, siue ægritudines, siue sanitatẽ
inuenit, quod per nullum aliud directo-
rium tam commodè fieri potest: quàm
prædicto

prædicto modo fit, & ſic hoc modo cibus & potus medicina contra tartarum ſunt. Quia igitur contra primam materiam tartari medicina ſunt, & totũ corpus penetrant, igitur in omni parte corporis iſtam primam materiã inueniunt, curãt, depelluntq́;. Vt autem nutrimenta medicina ſint, id ita effici debet, vt omni ægrotanti quęcunq; appetit, carnes, piſces, vinum, &c. nihil excepto præbeantur, ac dẽtur. & hoc ideo: nam quo maior eſt ad edendum appetitus, eo maior eſt attractio, & eo natura fortius ea nutrimenta in totum corpus attrahit. Igitur etiam ſi illa nutrimenta, quæ appetuntur inſalubriora, ac incommodiora ſunt, non obſtante eo danda, & cõcedenda ſunt. Nam ideo id fit, vt ſic propter nimium appetitum facilius digeratur, ducatur, neq; eum locum penetrat, vbi dolor eſt: etſi in nutrimentũ paratũ eſt, in modũ qui ſequitur, medicina erit. Tyrus in Tyriaca non ideo adeſt, vt per ſe medicina ſit: Tyrus enim peſſimum, ac nocentiſſimũ venenum eſt, ſed ideo quidem adeſt, vt medicinam ducat, corpus penetret, & ſic ſecum alias ſibi con-

mixtas vires in omnia totius corporis membra trahat, sic quoq; de nutrimento quod appetitur sentiendum est, non obstãte, quod per se nociuum fortè est, si modò vehemẽter appetitur. Quia autem suprà dixi, per balnea, ac potiones primam materiam tartari adimendam: Sciendum primò de balneo, quòd ita tẽperatum esse debet, vt de sulphure non sit, neq; de vitriolo, nec de alumine, sed absque talibus speciebus ex naturali aqua paratum, siue thermæ naturaliter calentes, siue aliter calefacta fuerint. Inter omnes autem thermas meliores mihi vidẽtur, primo ea quę piperis thermę vocãtur: deinde in Topliz in Bohemia, non procul à Grauppen, iuxta Brixiã ciuitatem sitæ: sin autem non à natura calida balnea fuerint, tũc optima sunt, quę ex pluuiali aqua parantur, aut etiam ex niue, aut rore, cum alia aqua permixta, quæ balnea certè optima sunt. Additio autem esse debet, de herba raparum, de ipsis rapis, de pastinacis, de sisari herba & radice, de camomillis, de tapso barbato, & præsertim de floribus, de betonica vtriusque generis, de prunella, de alga,

ga,de raphano maiore, & de artemisia. Alias herbas intermiscere commodum & vtile non est,nec vtendum ijs consulo. Nam prædictæ herbæ, quod non efficiunt, certè aliæ multò minus efficere poterunt.Ex dictis herbis balnea paranda sunt,iuxta balneorum ordinem,processum ac morem,de quo pluribus scribere necesse non est.De potionibus autem dicendo, præmittendum est,quòd tàm cibus quàm potus potionis nomine hîc veniunt, & hoc ideo, quia etiam cibus quasi in liquidum potum reduci debet.Nec enim cibus esse debet, vt qui dentibus frangatur. Imo crassior deterior, ac impurior pars, ex qua stercora solummodo fieri soleant, & in qua tartarus est,id est,excrementum corporale ab eo, quod verè nutrimentum est, seiungi ac separari debet, vt solum nutrimentum sumatur, non nutrimentum cum excremento & tartaro simul,vt autem istuc cibus aliquis perueniat in potionem quasi redigatur, necesse est. Separatio autem de qua diximus,ita fit:sumendæ pro nutrimẽto carnes: istas carnes,vt mediciua fiant, sic para: Adde il-

lis Aquilegiũ ſpinoſum, viſcũ quercinũ, alkali de durá glacie, & cum iſtis coque, & ſic caro in medicinã ſatis redacta eſt. Receptum igitur tale erit.

Recipe carnis lib.ij. bene diſſectam & contuſam:tanquam farcimina.

Aquilegij ſpinoſi.
Viſci quercini ana m.ij.
Amborum alkali ana ℥.ſs.
Alkali glaciei duræ ℥.j.

Miſceantur, addãtur ſimul in cantharum cũ ſale,vt in cibo fieri ſolet,conditum bene claudatur,coquatur in balneo maris,donec in iuſculum redigatur, id pro cibo ſumatur, præter hoc incluſum etiam alios cibos,vt piſces,&c. ſi ita voluptas hominis requirit, addere poteris.Hoc tamen ſemper principale eſſe debet:in quo tota cura conſiſtit, & hoc receptum ſufficiẽs eſſe debet ad omnes primas materias tartari tollendas, in quocũq; etiã angulo corporis ſit.Potus autem,vt vinum,aut aliud quoque purgari,& ſeparari à corporalibus excremẽtis,id eſt,à fecibus & tartaro debet, & ita parari debet, vt & potus, & medecina ſimul ſtet: quod ita fiet, ſi ſcilicet tem-

pore

pore vindemiæ, dum vina noua adhuc ſunt, & ſeparantur ac purgantur. ex iſta cauſa vinum dum muſtum adhuc eſt, in prima materia adhuc eſt, præſertim quo ad tartarum. Vt igitur ſic in prima mate ria maneat, additionibus id fieri oportet iſtarum rerum, quæ quodlibet, quod in prima materia eſt, in ea retinent. Illud igitur vinum qui bibit, in eo tartarus nõ generatur. Nam etſi de tali vino in vaſe tartareæ feces ſeſe ponunt, tamen id in corpore nõ fit, ſed de homine ſtatim exit Simplicia autem hoc efficientia ea ſunt, vt Benedicta, Gariofillata, Aquilegiũ ſpinoſum, Cardobenedictus, & horum ſimilia. Et hæ herbæ non ſolùm curatiuũ ſunt primæ materiæ tartari, ſed conſeruatiuum etiam, de cuius virtute ſatis dici nequit.

Aliud receptum.

Recipe oleum de granis Iuniperi, cũ liquoribus menſuras decem,

Aquarum aquilegíj ſpinoſi,

Capillorum Veneris, &c. menſur. 2.

Vini in muſto mẽſuras 200. Iſta omnia ſimul ſtare pauliſper debẽt, & hoc virtuoſius eſt, quàm primùm, & plus lau

dis meretur. Et prædicto modo materia tartari expellenda est: si quid autem vltra hæc quis nouerit contra tartarum aptum,id hoc quoq; pacto applicandum, erit.Non enim (fateor) solus is sum ego qui vnus omnia sciam,imo sunt & alij in quibus præclara multa sunt, in administrando tamen hic processus fundamentum est,& principalissima,vt ita loquar, in hac cura,& est ille processus, qui omni modo & pacto contra tartarum in regimine ac diæta adhiberi debet.Igitur diligẽter cum notate,ne in eo erretis, aut quid ex eo obliuioni fortè tradatis.

De cura tartari istius,qui vt vini tartarus est, & arenæ,vbicunq; in corpore sit
Caput XVIII.

Ordo & processus quem proximo capite tradidimus,etiam in expulsione tartari,de qua hoc capite agemus obseruari diligenter debet:& hoc ideo,quia tartari prima materia semper præsto est,quæ adiuuanda quoq; est, ne tartarus ipse augeatur indies. Generaliter igitur de hac tartari cura sciẽdum est quòd quælibet medicina quæ contra tartarum ponitur, talis esse debet virtutis

ac fortitudinis,vt cũ diſſoluat, reſoluat deſtruat,& ſic in liquorem, in viſcum,& mucilaginem redigat,vt nunquam coagulari,aut in tartarum reduci queat.hęc deſtructio ſi facta eſt, iam natura adeſt, quæ liquorem & materiã iſtam reſolutã expellit reijcitq;. Igitur hoc ante omnia & præcipuè curandum, vt ea adhibeantur, in quibus talia arcana diſſoluendi nempe ac deſtruendi ſunt. Externè videmus aquas artificialiter fieri:quibus ferrum ita frangitur, vt ferrum iterum fieri nequeat: item cuprum,& alia quoque metalla in hunc modum franguntur, vt nũquam in priſtinum ſtatum reduci poſſint. Tales artes etſi homini non conuenient,quia ipſum propter nimiam fortitudinẽ necarent:tamẽ ſimile in hoc ſalute appoſui,vt ſic intelligatur, præter hãc alias quoq; artes eſſe, & alias materias, quæ vti medicina applicari homini tutò poſſunt,& tamen idem circa tartarum efficiunt quod aqua fortis circa ferrum & metalla,non vt corroſiuum,ſed vt medicina iuſta.Quia autem Deus benigniſs. ea creauit,quibus ferrũ, cuprum diſſoluuntur,corrumpuntur, & in liquorem

perducuntur: procul dubio & eam medicinam diuinitus largitus eſt, qua hominis ſaluti ac valetudini conſulitur, & per quam mirabilia opera Dei cognoſcuntur & laudantur. Hoc ſaltem ſupereſt, & hoc vnicum officium nobis relinquitur, vt iſta in natura myſteria diligenter quæramus, nec ita ſomnolenti ac frigidi in medicina verſemur, ſed vti ſobrij vigilãter ac cautè in recta ſchola, & à rectis præceptoribus eam diſcamus. Notandum igitur & ſciendum, fundamentum huius rei abigendi ſc. & depellendi tartari in his punctis situm eſſe, vt nempe myſteria & arcana iſta quęrantur, in quibus reſoluendi, diſſoluendi ac deſtruendi virtus ineſt: nã his omnia tartara in homine adimuntur, quæ duplicia quidẽ ſunt. Nã aut nitri tartarus adhæret, aut arena formata, in renibus aut alibi torquet. In hac igitur cura is proceſſus & ordo, illud etiam regimẽ, & diæta vnà cum balneis omni modo, vt ſuprà indicauimus, obſeruari debet, vt cum iſtis deinde vna medicina tã veſperi quã manè, pro perſona ac morbi ipſius qualitate addatur, & applicetur. Medicina autem talis eſſe debet:

bet vt lapides sint: qui tamē lapides pri⁹ quoq; in liquorem resolui debent, & in talem liquorē, qui nō amplius coaguletur, sed sic resolutus maneat, donec à seipso consumetur ac eijciatur: hæc enim m̃edicina optima erit & perfecta. In his omnib. hoc nihil aut parũ confert, quàm magna aut longa recepta compilentur, & quàm multa ac varia connectantur: in hoc saltem vis est & diligentia adhibē da, vt ista quæ dicimus bene præparentur, in hunc scilicet modum quem suprà dixi. Lapides autē sunt hi, lapides cancrorum, lapis Iudaicus, lapis lincis, lapis lazuli, lapis spongiæ, lapis aquilæ, lapis glacici, &c. Non sic tamen intelligendo, vt isti omnes lapides coniungi debeāt, sed singuli per sese sufficiunt. Præparatio enim eos validos & perfectos facit. Sciendum etiam, quòd ad hoc, vt tartarus radicitus & funditus curetur ac adimatur, radices & herbę nimium debiles & infirmæ sunt, & istarum loco lapides suprà dictos, & illis similes (non enim omnes enumeraui) quærendos ac adhibendos, in quibns vis & potestas sit, ista perfectè efficiendi. Hoc igitur ipsum, hæc medica-

mina dico, ex arte signata quærēda sunt, quæ per signaturam, in talibus lapidib. sitam, satis probat ac indicat vim ac efficaciam circa tartarum depellendum. Qui igitur medicus esse velit, istam signaturā habeat necesse est: deinde & medicinæ signaturas colligit, vt sic vtroque in vna anatomia, & vna cosmographia concurrente, rectè & feliciter agatur. Hāc signaturam si habes, iam & corpus habes. in quo mysterium ad tartarū depellendum est. Illud igitur corpus destruendum & dissoluendū hoc modo.

Primò essentiam vini destilla nouies, deinde istos lapides calcina ac tere, & in ista vini essentia destillata resolue eos: nam ita vt sal, lapides dissoluuntur, & aqua fiunt. Illam aquam iterum destilla & quod in fundo remanet, misce iterū cum vini destillata essentia: iterum destilla, donec omnia sursum ascenderint: nā tunc corpus lapidis fractum est & corruptum, & tuto eo vti poteris, vt dictum iam est: in hoc etiam solicitus esse non debes, vt istam lapidum essentiam à vini essentia separes: satius enim & melius est, vt coniuncta quàm separata sit. Vini enim

enim essentia penetrat,quærit,digerit,& fortiter tartarum & arenam adoritur, inque liquorem & mucilaginem dissoluit. Quamuis & hoc sæpe accidit, quòd medicina velox est, velociter iam huc iam illuc fugiens aliquandiu resistit, ne resolutio ista tam citò fieri queat: tamē hic processus perpetuò obseruandus, & gnauiter tutandus est. Nam per hunc ordinem omnis in toto corpore minuitur & depellitur: quia hęc medicina tam potens est, vt hoc facere possit. Et quamuis hîc non multa recepta adsunt, satis tamen receptorum adesse iudico contra omnia talium tartarorum genera. Quodlibet enim simplex per sese satis erit si suprà dicto ordine præparentur, sin compositum quis desiderat, satis etiam simplicium habebit, ex quibus recepta ac composita fiant, & ideo plura hoc capite apponere minimè necesse est.

De cura Tartari in iuncturis, articulis, ac rasletis.
Caput XIX.

SVprà etiam sæpius tartari generationes,&vasorum ipsorum mentionem feci:quòd scilicet in iuncturis,vbicũque in corpore sint,& in concauitatibus vbi ossa duo coniunguntur, generatur. Ibi enim sese ponit,vt intra aures & cranium,intra nasum & cerebrum,intra nasum & cartilaginem :item in rastetis manuum & pedum:& vt summatim dicam in omnibus locis & angulis totius corporis,vbi coagulationes, & vbi duorum membrorum coniunctio est,vbi in lacertis,aut alibi concauitates sunt, tartarus generatur.Hæc tartara vbi sunt,ibi & arthetica,podagra,chiragra,genugra,schyathica,& similes ægritudines sunt : siue in lumbis, aut quocunq; alio loco. Porro autem prouerbium vulgare ac tritũ inter medicos hoc versiculo circumfertur.

Soluere nodosam nescit medicina podagram.

Hic versiculus certè quo ad materiã vitiosus est:quia podagra nodosa non est tartarosa tamen est. Grana enim quæ in podagra sunt,tartari grana sunt:& meritò igitur iusto,ac proprio vocabulo,tartari sclicet,appellari debebat:pręterea & hoc

hoc vitiosum est, quod dicitur Medicina, hoc enim vocabulum adesse nõ debebat: nam quamuis medici appellãtur medici, cũ tamen hunc morbum curare nequeunt, certè medici verè non sunt, sed Roades, id est, rudes, imperiti, & nondum maturi, aut perfecti medici sunt. Ego igitur si poëta essem: qui tamen nõ sum, aliter hunc versum verterem, & alio meliore, vt mihi videtur, modo ponerem, sic nempe.

Tartaream Roades nequeunt curare podagram.

Si tamẽ quis melior poëta, melius hũc reddere velit, licebit. In hoc autem iam capite intentio & institutum meum est, vt tartari podagrici curam habeam, cũ depellam, ac planè adimã, qui tartarus ũ ademptus fuerit, iam & podagra ipsa curata erit. Interim tamen nemini hoc mirum videri debet, quòd hoc perbreui capitulo tanti morbi curã docere instituerim. Nã etsi breue hoc caput est: vtile tamen est, & maioris, mihi crede, fructus futurum: quàm omnes tractatus, ac libri, qui ab omnibns hactenus scripti sunt. Verum hoc quidem est, alium tra-

ctatum conscripsi de omnibus acci-dentijs, ac causis podagræ,& ad satieta-tem vsq; omnia tradidi: tamē principa-lis causa hui⁹ morbi est tartarus, in quo vltima materia podagrę est. Etsi omnes etiam aliæ causæ adimuntur, hoc vnico tartaro sc.manente, frustra & in vanum laboratur. Quia igitur huius libri insti-tutum est, tartarum curare, & podagra de tartari generibus vnum est: igitur & podagra ad hunc librū,& ad tartari curā attinet.In huius morbi cura balnea cō-moda,aut bona non sunt. Nam quāuis quo ad tartara bona essent: tamen pro-ptèr cætera accidētia incōmoda sunt, & omittenda.Quo autē ad regimē cibi & potus, iuxta supra scriptum modū pro-cedi potest.Rarò enim podagricus tarta-rus inuenitur,qui nō alia tartari genera, quàm quæ in iuncturis & articulis sunt, in se quoq; contineat:& ideo solummo do granulosi tartari (quē Roades nodo-sum appellitāt) resolutiuis, ac destructi-uis vti debes,dissoluēdo nempe granula ista,donec in mellis,aut sacchari inspissa ti formā redigūtur,ac deinde resoluun-tur,inq; ipsa resolutione sic consumun-

tur

tur. Illa autem consumptio talis esse debet, vt etiam quæ indurata sunt, dislocentur, incuruentur, iterum extendantur, mollificētur, ac in purum esse suum recidant. Quamuis enim ad talem dislocationem alia etiam plura pertinent, quàm tartari solummodo granulosi cura, ea tamē in libro quē de podagra conscripsi, satis copiose comprehēditur, nec hoc loco apponenda. Arcana autem, & mysteria tartarum podagricū resoluentia quinq; mihi nota sunt: quorum quātumuis quodlibet per se sufficiēs est, tamen etiam componi ad inuicē possunt, vt vel quinq;, vel pauciora simul cōponātur. Et quāuis quinq; simplicia posui, tamā ipsorū quodlibet in se & per se genus est, non species: vt viscus cuius multiplices species sunt: sic de cæteris quoq; intelligēdo. Sūt igitur ista simplicia hęc Gummi, Resina, Maiera, Masticatorium, Oleum Thereniabin extractum. In istis quinque, vti in principalioribus omnis vis, & virtus dissoluēdi omnia tartara granulata in liquorem, & aquositatem consumptioni subiectam & obnoxiam consistit. Præparatio autem simpli-

cium prædictorũ talis eſſe debet, vt nẽpe in eam eleuationem perducantur, in qua circulari poſſunt, & circulatorium illud ad minus vnius ſeptimanæ eſſe debet, & tũc compoſitioni apta ſunt, ita vt iſta circulata benè, & tuto componere, & cõiungere poſſis. Pro vti igitur huius tartari generationem cognouiſti, & pro vti locũ eius intellexiſti, cũ hac inquam circulatione membra tartarea, vel loca tartari granuloſi, quẽ Roades nodoſam podagram vocant, vnge. Et ex iſto vnguento tartarea granula reſoluuntur, quæ alio modo reſolui non poſſent, nec vllo alio pacto curari, aut adimi, niſi hac extrema vnctione. Proceſſum autẽ vnctionis huius, quomodo fieri debeat: quia communis, & cuilibet notus eſt, apponere iam intermitto. Illud ſolũ quod neceſſarium eſt, apponemus, cognitionem nempe reſolutionis, vt illa ſciatur: per quæ granula reſoluuntur: ac conſumuntur. Quẽadmodũ enim ſol aut ventus aquam exiccant, & auferunt, ſic hæc quoq; arcana faciũt, quibus myſteria inſunt tartarum podagricum diſſoluẽdi, ſicuti à ſole nix diſſoluitur. Eadem enim

& planè

& planè æqualis indicatio eſt, coagulationis tartari podagrici, & coagulationis aquæ, in hoc ſolùm differentes, quòd tartari coagulatio ex calore eſt, altera vero ex frigore. Igitur iſta arcana conſiderari debēt, & eligi quæ ex calore coagulata reſoluũtur. & quemadmodum nix, & glacies ex frigore cōgelata ſolis calore diſſoluuntur, à terra imbibũtur, & ita euaneſcunt, vt nunquam videantur: ſic hoc quoque loco eſt, & ſic hæc materia per arcana conſumitur. liquidum fit, & illud liquidum in corpus peruenit, ſicq; in corpore planè cōſumitur, vt nunquã ſentiatur, aut videatur.

De tartari Veſicæ, ac Renum cura. *Caput XX.*

Difficilis quidem cura eſt huius tartari, veſicæ ſc. ac renum, & admodum incommoda, ac dura medicina. Ego autem quantum mihi ex lumine naturæ conſtat, & quantũ ipſa experientia me edocuit de hoc ponam. Inprimis tamē omnes Medicos monitos, ac oratos volo, vt iſtarum regionũ, quarum Phyſici ſunt, homines de hoc fide-

liter instruant,ac doceāt, quo præcauere hunc morbū,& diligentia sua auertere velint,ne in istū locum periculosum adducantur, vt talis tartarus tam periculosus ac mortalis, tanquam pestiferū in corpore pōdus crescat. Possunt enim ista omnia præcaueri: si quis modo industrius sit, & ille diligenter, quæ suprà de præseruatiuis diximus, & hoc capite adhuc dicemus, animaduertit. Porrò autem palam est,nec negari potest,quin huius tyranni, tartari sc.origo, & causa, ex cibo & potu delicato,item ex alijs rebus quas suprà indicauimus sit, & quod inclinatio, & dispositio hominis nōnūquam ad talem generationem inclinata inuenitur. Ista tamen omnia vti sese habent,vnde oriatur tartarus,ex quibus cibi ac potus generibus qualis generatur,&c.medicus diligens in regione, vbi versatur,sollicitè obseruare, & animaduertere debet, ac deinceps iuxta cognitionē istam conseruatiua, præseruatiua & expulsiua tartari parare,vt sic semper expellatur,prohibeaturque, ne nimium crescat, & ne ad vltimam materiam perueniat.Hoc certè medicum decebit,

& hæc

& hæc Christianæ ac fraternę charitatis opera essent, & sic proximo commodè, ac rectè inseruiretur: si nempe eam circa eius pericula diligentiam adhiberemus, quam nobis adhiberi optaremus, si eodem modo laboraremus. Ponendo itaque quod res eò deducta sit, vt tartarus natus iā sit, & vt marmoreus, ac siliceus tartarus in vltima materia perfectus sit, tūc processus talis requiritur, vt sc. cum balneis, cum cibi, ac potus regimine, supra scripto ordine procedatur. Namq; hic processus in hoc cōfert, vt sic facili⁹ etiā, ac tutius minoriq; cum periculo, si quæ essent in corpora tartari dissoluerētur. De ipso autem tartaro si notandum est, quod Fel terræ ipsum tartarum, quasi depictum refert, & cum tempore curat, non statim, aut celeriter, cuius tale receptum est.

Recipe olei fellis terræ alcalizati correcti ʒ.ij.

Liquoris lincis, spongiæ, Iudaici, cancrorum ana ℥.iij.

Misceātur, circulētur per mensem, sumatur in potu quantum velis: nam quo plus de eo bibit̃ eò cōducibilius, ac me-

lius, vrinam simul serua, coaguletur, ac cogeletur vrinæ sedimen, donec massa fiat, & inuenies tartarum in magnitudine sua. hoc receptum amplectere, & sequere, suadeo: de alio, & meliore mihi non cõstat. Si quis tamẽ meliora nouerit, ijs vtatur, moneo. poteſt enim fieri, vt alius longa, ac multiplici experientia pro multitudine doni Dei, quæ cotidie in hominibus operãtur, meliora reperiãtur, cum vno tẽpore non statim omnia dona effundantur: aut in lucem dẽtur. Fit autẽ vt & alia incõmoda in hoc morbo nõnunquam accidãt, vt sunt vlcerationes: eas per oleum Antimonij & apodeltoch curabis, si externè sunt. itẽ per balsamum hypericonis, quem in chirurgia descripsi, & per balsamũ tartari acaciati: cum istis enim admodũ feliciter, ac prosperè ages. Deinde etiam id conari debes, vt posteaquã tartarus iam per cũrã adẽptus est, ac depulsus, vt iam præseruatiuis adsis: sicuti in principio etiam capitis huius consului: ne temporis progressu alius etiam generetur, & sic postremus dolor intolerabilior ac grauior primo fiat, sicuti plærũque hoc accidit.

accidit, vt posteriora incõmoda primis peiora sint: postrema enim mala semper pessima sunt, quia cum morte etiam cõcludunt. Sunt & aliæ contra hunc tartarum curæ ac artes, vt scissura, quam equidem non vitupero, si bene procedit: sunt autem tam multi, qui hanc artem aggrediuntur, & audacter exercent nebulones vt dici satis de istorum nequitia, tum inscitia non possit. Nihil enim nisi propriũ commodum quærunt: nunquam scindunt, nisi pecuniæ dimidia pars numerata sit, vt sic in quamcunque partem res accidat, periculi nihil, sed commodi multum afferat: si sanatur æger, certissimum lucrum adest: sin moritur, dimidium lucrum iam acceptum est, quod certè minimè tolerandum. Quamdiu enim hoc toleratur, certè id fit, vt quilibet etiam imperitissimus ac nequissimus, artem hanc aggredi, & scindere audeat, cùm sibi certissimum lucrum ex eo esse sciat. Si enim ex arte æger non sanatur, tamẽ propter audaciam nebulonis crumena interim impletur. Hæc res animum addit tum tonsoribus, tum balneatoribus, & eiusmodi, vt haud dubitent medicinã

ita exercere,& ſeſe medicos cum multõ rum icommodo ac malo profiteri, quo pacto fit,vt diuina ars medica, quaſi in latronum ſpelũcam mutetur. Adhoc etiam doctores Medici ita docti non ſunt vt cognoſcere poſſint, quidnã ſit quod tartarus dicitur, cùm tamẽ id cognoſcere maximè deberẽt,& poſſunt etiam per ſigna ſuprà declarata. Iſta igitur ſigna probare debebant,in quo temporis,ocij ac inſtrumentorum ſatis illis eſſet. De vrina quoq; non ſic opinionibus friuolis iudicare, & tempus & homines fallere debebant: ſupra mulum autem equitare,ducatos ac florenos corradere,tonſoribus, balneatoribus,ac eiuſmodi nihili hominibus dimidiam partem lucri polliceri,ita cum ægroto agere, vt poſteriora tempora primis deteriora ſint: certè miſera ac miſerãda res eſt, dum ſibi hac arte pecunias parant,marſupiumq; implent:dum interim multi homines pereũt,id ſua nihil aut parũ refert:et haud iniuria quidẽ.Quis hoc ſeculo,& his moribus in medicinam inuehere poterat,& dicere,eam nil niſi latrocinium, nil niſi deceptionem ac garrulitatem phantaſticam

eam esse,cùm adeo nullũ opus veri medici producunt, ex quo artem suam vel paululum probare, & veram ostendere possent,vt sic propter opera arti fides ad hiberetur? Qui autem considerat,quàm varijs erroribus omnia iam misceantur, is etiam de medicina rectius secum iudi cabit.Felix certè ac beatus ille,qui in Sareptæ loco sedet, abeantq́; istæ leges, & arceantur illæ procul, quæ medicum oc cisorem puniri prohibent.Nam ex ista li centia quisq; pro vti nebulo maior est, eò lubẽtius ac citius in medicinam prorũpit.Abeant etiã cõsuetudines istæ pessimæ,dandi scilicet pecuniã pro ea arte. qua homines occidũtur ac morti tradũt.

De vesicæ tartaro, qui à natura alicui ex humore salis, cruoris, aut vrinæ cruoris nascitur. Caput XXI.

VLtra omnia hactenus tractata etiã de illo tartaro,qui non ab externo tartaro in hominem peruenit, sed ex ipso corpore,& in ipso corpore in quo est,originem suam,causam & generatio nem habet,tractare necessariũ est. Quia autem generatio propter curã est:& iux ta huius etiam tartari formationem me

dicina statui debet, volo, quæ suprà etiã de hoc tartaro, cruoris scilicet dixi, propter pleniorem intellectum paucis repetere. Ad hoc igitur sic animaduertendũ est. In hominis corpore naturalis quidã liquor est, qui totũ corpus in omnibus locis humectat, absque quo humore corpus viuere nequit: quia totum aresceret & exiccaretur, vt in hoc exẽplo videtur Terra in sese humorem habet, ex quo quasi viuit: auxilio igitur istius liquidi fructus producit, quos nequaquam producere posset, si is liquor exiccaretur omnino. Illud autem humidum ex aquis prouenit, quæ terram per omnes poros penetrant. Deinde etiam ex olympi impressionibus, vt ex pluuijs rores, quæ terram in superficie quoq; humectant. His liquoribus aquæ sc. elementi, quæ intra terrã sic est, & Olympi vt pluuijs quæ supra terra &c. terra sustẽtatur, & in essẽtia conseruatur, ita vt fructus ferat. In homine igitur quoq; humectatio talis est, vt terra microcosmi, id est caro, sanguis, ossa, nerui absque tali humore nõ possunt consistere. Adest igitur in eo aquæ elemẽtum: item metheorica impressio, quæ in super-

ſuperficie humectat. Adhæc ſciendum, quia homo ex ſanguine,& carne cõſtat, neceſſe eſt, vt in ſeſe balſami proprium habeat à quo ſuſtẽtetur.Ille balſamus in corpore ſalis eſt:& ſic à ſale homo, tanquam à balſamo ſuſtentatur. In terra tales etiam proprietates balſami ſunt, ex quibus terræ vires aluntur:quæ quoque à ſale ſunt.Illud ſal ſi excrementa ſua à ſe ſe proijcit, ſal petræ efficit,&c. In homine igitur ſi ſal excrementum,& ſcreationes à ſe purgat, niſi ſtatim expulſiua virtus adſit, quæ ea ex corpore abijcit ac propellit,fit vt coagulationis ſpiritu accedente,iſta excrementa ſalis coagulentur,& in tartareum lapidem tranſmutẽrur.Iſti igitur lapides duriſſimi ſunt, & grauiſſimas paſſiones pariũt. Hæc quia ſic de hoc tartaro recenſui,ſciendum eſt ad eundem modum curam incipiendã eſſe,& conſtituendã,non vt ad tartarum de quo ſuperioribus capitibus tractauimus,ſed ad hunc,quem nunc deſcribimus,cruoris tartarum.Namq; huius tartari aliæ cauſæ,alius fons & origo eſt.Igitur & in medicamẽtis,& cura aliter procedendum non immeritò eſt. Cura igi-

tur ex eo ꝓcedere debet,ex quo & morbus processit,id est,ex corpore eo ex quo tartarus prouenit:& quamuis præcipuè iam de vesicæ tartaro loquimur, tamen & ea simul comprehendimus, quæ aliĳs in locis sunt tartara.Nam quomodo peregrinus tartarus tum in renibus & vesica,tū aliĳs in locis generatur: sic hic quoque cruoris tartarus alia loca & vasa in toto corpore occupat. Hoc certè animaduertendum est:quòd excremēta tartari naturalis ad vesicam sese ponunt,& desuper destillat,& sic in canale cōfluit, ac ripam ceu flumina cōstituit. De cura igitur dicendo,sciendum est id quod suprà monuimus,ex eo curā procedere debere exquo tartarꝰ ꝓcessit,id est,in cruore mysterium huius arcani situm est, & hoc modo tartarus hic dissoluitur,ac iterum ad materiam primam reducitur.

Cruor igitur statim in vitreo vase coagulari debet supra feruidā aquam: deinde calcinandus,quo pacto id optimè fieri potest,& cum propria vnda extrahi,ac volatilis fieri debet, vt nil aliud sit in eo quod ascendat:huic liquori adde dimidiā partē liquoris duræ glaciei,& admini

stra

ſtra per ſyringam, & tam ſubtilis efficie tur,vt in potionib.penetrare poſſit.Aſcē dit enim ſemper,nō deſcendit. bene quidem igitur & commodè ſi regimē & balnea,itē totus proceſſus, ac ordo,qui de peregrino tartaro traditur,addantur, in hoc,vt ſuprà ſæpius monui. Hoc tamen diligenter obſeruandum, ne id per Syringam negligatur,quia id ipſum arcanum in hoc lapide tartareo, cruoris natalis eſt.Sic porrò alius proceſſus de corruptione cuiuſlibet tartari ſilicei, marmorei,qui in renibus ac veſica generatur,notandus eſt,& ſic quòd omne illud quo aurum liquefit, & in reſinam redigitur, etiam hunc tartarum à coagulatione ſua in liquefactionem & reſinam reducere poteſt.Dicet autem quis, illud per corroſiuū fieri neceſſe eſt. Ad quod ita reſpondeo:non per corroſiua ſolum modò aurū reducitur,imo & abſq; corroſiuis alia ſunt apta & vtilia ſimplicia,q̄ idem faciūt, & tamē corroſiua non ſunt vti eſt māna ex floribus extracta: illa enim ſi circulatur, aurū certè reducit, & ſic quoq; quēlibet tartarū reducit,cuiuſcunq; etiā generis ſit,ſi modò per ſyrin

gam administratur. In hoc saltem summa artis sita est, vt ea medicina tartarũ inueniat ac tãgat. Sicut etiam vini essentiæ cineratæ, quæ quoq; aurum in oleũ album reducunt, & in eo quamuis reduci ex parte iterum potest, tamen omne non reducitur. Et hoc notare hîc satis est, vt resoluatur saltem, ne iterum in homine coaguletur tartarus, & sic resolutio eò statim & repẽtè expulsiua virtus adiuuari debet, vt resolutum mox expellat dum liquidum adhuc est. Nam si postea extra hominem iterum coaguletur, & in vltimã suam materiam reducatur, parum id quidem refert. Et sic tartarorũ curam bene & explicitè comprehensam ac traditam à me esse spero. Medicus igitur iam adesse debet: qui ita expertus, & circa medicinam tutus sit, vt omnia intelligat, & in omnibus agere sciat: qui nõ receptorum saltem compactor sit, & sic vbiq; isto vocabulo concludat. Fiat potus. Necesse est enim aliud in medicina fundamenutum, quàm illud, fiat, Recipe decoquatur secundum vsum.

Caput XXII.

De

De pleniore intellectu omnium prædictorum declaratione, & de vberiore præparatione, & administrationis explicatione.

IVcũdus quidem, & facilis labor esset: de medicina scribere, si etiam illi adessent, qui scripta intelligerẽt, aut intelligere prę stupore, ac imperitia possent. Quia autem illi desunt, difficilimus labor est, & vix possibile est, vt tam craßè, & tam pinguè omnia dicãtur, vt ab imperito medicorum vulgo intelligantur. In hoc enim si quis de vero fundamẽto, medicinę cum nostrę ætatis medicis loquitur, nihil planè aliud agit, quàm si quis sutorem quendam suæ artis imperitum fortè de artificio suo admoneat, & sutor id ipsum, de quo admonetur, nõ intelligit: De filo sutorio admonetur, ille filum nullum nouit: de calceorũ formis audit, & nescit, an ex ligno, aut alia materia sint: de atramento sutorio docetur, quid atramentum sit, non percipit. Quod certè insulsum, ac valdè ineptum videtur. Quomodo igitur de summa artis is doceri potest: cui fundamenta, & prima principia desunt? Si medicis dico, hoc facite, id accipite, sic agite,

illi autē, quid id ſit, de quo loquor, nō intelligunt: modum agendi & procedēdi ignorāt: num quæſo hæc doctrina, ac peritia magna dici poteſt? Num laus eſſe poteſt: ſi artifex inſtrumenta ſua, & obiecta ignorat? ſi argentarius monetam neſcit, ſi agaſo equos ignorat, ſi lanius ſectionis imperitus eſt? & tamē interim fortiter clamat: ſcribe quæ intelligātur. Diſcite autē vos diſcipuli in ſcholis moneo, vt intelligatis: non enim prima elementa, non principia, aut fundamenta iam ſcribo: nec ijs ſcribo, qui adhuc ſunt pueri nec principia tantū. Sin autē puerilia adhuc ignorant, quid rectè agi cum iſtis poteſt? Baccalauriū eſſe, nilq; intelligere, magiſtrum eſſe, & nil ſcire: Doctorem eſſe, & opinari ſaltē, nimis parū quidem eſt. Iam igitur vos medicos rogo, dicite, num in libris veſtris tota & integrè medicinę fundamēta cōtineantur? ſi enim cōtinentur: certè neceſſe nō habetis, vt à me inſtruamini, aut vt plura diſcatis: ſin minus, certè neceſſarium eſſet, vt plura diſceretis, non ſaltem mulis ac equis inequitare, etſi in libris veſtris medicina certa cōtinetur: certè nō

eſſet,

esset,quòd patiẽtes vestri vos vituperarent,calumniarentur, & sic execrarentur.In hoc libro tartarum saltem propo sui:quem duplici via tractaui, vt primo de peregrino,qui communior est: secũdo de cruoris tartaro dixerim. scio autem hanc theoricam difficilem,ac peregrinam multis fore: quo tamen fundamento,& qua experiẽtia scripta mea nitãtur,id res ipsa spero indicabit, & ideò cum mea vestram theoricam componere debetis, vt sic veritas magis elucescat,& certius,quę firmior sit iudicetur. Etenim illud spero: neminem medicinæ deditum esse: qui meam theoricam nõ intellecturus sit:adeò pingui,& adeò facili stylo eã conscribere conatus sum, vt etiam mutus, aut stipes eam intelligere,credo queat.Curas posui iuxta capitum dispositionem, & certè si interim eas legitis,nec intelligitis:me vestro rum miseret, & valdè doleo vicem vestram:cum de vestra professione, ac arte hæc omnia sunt. Qua enim quęso lau de dignus foret is,qui Theologi nomen circumferret,nec Euãgeliorum textum cognitum haberet? qui de Dauide, &

aliis rudis esset,aut si quis Iureconsultus ignoret:quæ Romani Imperatoris potestas in condendis ligibus sit? aut quis Christianum se gloriatur,nec fidei Christianæ articulos didicit. Certè inutiles tales omnes sunt,nec digni, qui ferãtur. Et vt exemplo vtar : quomodo auis volabit priusquam alæ,ac pẽnæ creuerint? sic neq; Doctor aliquis esse potest, qui nec pennas,nec alas in arte sua habet.In sacra scriptura dicitur,fidem absq; operibus mortuam esse: cur igitur nomen absq; operibus? cur medicus absque medicina?artifex absq; artificio,nõne mortuus quoq; iudicãdus est?Sẽper in qualibet re duo coniuncta,ac quasi copulata esse debent.Sic enim Deus ea ad inuicem ordinauit,Fidem & opera: Doctorem & scientiam, medicum & medicinam,artificem ad artem, &c. Quorum nullum absq; altero esse, aut consistere potest,ideò etiam dicitur,veh illi,qui solus est:nam si fortè ceciderit,nullum habebit,cuius auxilio subleuetur: quod & hîc locum habet. Veh enim Apostolo, qui absque operibus, medico qui absq; medicina, gladiatori qui absque gladio est.

est. Quia igitur Deus ipse prohibet, ne homo solus sit: meritò quisq; in hoc attendat, ne solus inueniatur, ne fortè cadens nunquã resurgat. Hæc omnia ideò indico, ne soli sitis: sed cõiuncti, ne vnus, sed duo, ne simplus, sed duplus, & sic vt quę legitis plenè, & perfectè intelligatis. Nec melius hunc librum declarare possum: nisi vt id prius vos agatis, vt fundamenta, principia, ac pura rudimenta primò discatis. Quomodo enim is certũ in aliqua re finem apprehẽdet, qui principij rudis est? Certè deficiẽte principio, & ea deficient, quæ a principio oriũtur, & quasi fluunt. Non diu admodũ est, dum mihi literæ à Doctore quodam Fabro, quas, vt ipse putabat, amicè scripserat, redditæ sunt, in quibus admonet, & hortatur, vt quia medicinæ hactenus semper tam honorifica ac splendida professio fuerit, me nõ debere ita eam vituperare ac cõtemnere, nec tam multos honorificos viros Doctores (qui apud omnes hactenus magno in honoris gradu habiti sunt) contumelijs afficere, aut ita apud vulgũ de eorum imperitia disserere. Cum autẽ memoria multorum viro-

rum in maximis,ac preclaris ciuitatibus consulariũ dignitatis recordor: qui summa quidẽ laudis præconia primò merebãtur,vt Norinbergæ,Augustæ, &c. tandem autẽ apparente infidelitate & maleficijs,in furcam suspendebantur. Certè non magnifacio istam fucatam honestatem, quæ cum vituperio ac malitia coniuncta est. Si igitur non spectatur: quàm honorificè se quis gerat: sed quã honestũs sit:cur quæso in illum non inueherem,qui eum se ostentat, qui verè nõ est? Nam etsi ea ignorantia obstare videbatur,vt quia apud vulgus tales nõ apparẽt,rarò tamen talis ignorantia inuenitur,quæ non in scientiam olim erũpat,& quæ non nota omnibus fiat.Quid autem ignorantiam sequatur bonus Faber scribere debuisset, de esse nimirum, non de æstimari.Scripsit mihi alius etiã, quod scilicet latinus, itẽ Græcus bonus sit : quæ omnia grata mihi acciderunt. laudo enim viros bonarum literarũ peritos,quod maius tamen,ac quod precipuum in eo desideratur,medicum nẽpe bonum esse,de eo nihil scripsit.Sit ordinarius,concedo:quia tamẽ etiam ordi-

narius vel giluus, vel cæsius, aut aliĵ coloris esse potest, illud mortuum nomen me parum mouet. Hæc omnia ideo refero, vt ab omnibus intelligatur, plura ad Medicinam pertinere, quàm quæ hactenus tributa sunt, & medicum verum nõ ordinarium, sed athletã, & pugilem esse debere, id est, non verbis, sed re ipsa, & opere se medicum ostendere, ac probare debere. Discat quilibet cũ nomine rem coniungere, & prius quidem rem ambire, sic fœliciter in medicina, & aliĵs artibus quis versabitur. Hęcque de Tartaro dixisse sufficiat.

AVREOLI THEOPHRASTI PARACELSI Liber de Morbis ex Tartaro prodeuntibus, secundus, & primi tractatus caput primum.

Tartarus quid, quotque eius species, vbi loca, consuetum ac inconsuetum. Itē pruina, grando, gemma & hospitialis.



ARTARus est morbus lephanteus & lapillosus prohibens naturæ effectum, & virtutem. Tartari genera duo sunt, scilicet pruinum & gemma: Pruinum est duplex, vsneum & grando. Gemmæ tria genera existunt, collectum, simplex, diuisum, hæcque omnia similes dipositiones habent: Aut sunt alabastrina, aut marmorea aut lephantea, aut adamita, duelech & magnetina, habentque loca sua & varia in quibus excitātur: quod sint diuersa genera. plura igitur in corporibus loca: quot loca, tot enim species. Locus est stomachus, hepar, renes, splen, pulmo, vesica,

vesica, caput, iuncturæ, ligamentorum regiones, concauitates omnes, pori, venæ, & panes medullarum. Vnde dicitur vsnea hepatis, vsnea stomachi, vsnea renum, &c. Etiam ita se habet pruina, & orificij pruina, splenis pruina, pruina renum, &c. Sic etiam sequitur gemma intestinorum, pulmonis, vel vesicæ, & similiter de grandine. Huiusmodi morborũ generatio est duplex, videlicet natura ex consueto in consueto loco, & hospitialis de inconsueto ad consuetum locum.

THEOPHRASTI ANNOTATA in primum caput, raptim ex ore profitentis excerpta, Basileæ ann. 1527.

Hipocrates & alij dicunt quòd lapillus originem habeat ex phlegmate coagulato, sed falsò: qa si ex phlegmate, quoq; in naso orietur lapillus: non est vis phlegmatis generare lapidem, sed phlegma in nobis est humor naturalis, nullam lapidositatem in se continens: nam si phlegma esset lapideum, etiam omnes podagrici in pedibus & articulis la

pides haberent. Ego autem lapillum siue arenam voco tartarum: quia omnes generationes, quæ ad vsneam transeũt, tartarus vocantur: sic omnes feces, quæ ex aqua, melle, &c. tartarus sunt: Nã omnia quæ terra producit sunt lapillosa: nam omne vinum fert tartarum in vase, tum in stomacho: rursus debet transire ad secundam separationem, si stomachus debilis iam attrahit lapidẽ, &c. sic & aquæ habent tartarum, & omne quod terra producit. Sic ergo quod comedimus & bibimus, natura non accipit, nisi quod purum est.

Tartarus vel tartarum est omne generatum ex eo quod comedimus & bibimus, habens in se mucilaginosum quiddam ex dissoluto frigido, & coagulatum per calidum. Stomachus autem statim vbi ad se recipit comesta & ingesta, separat impurum à puro, quod nutrimentũ est: Si fortis stomachus, purum transit ad membra nutrimenti causa, impurum per secessum exit: si stomachus debilis mittit impurũ etiam ad hepar, vbi quoque separatio fit: si hepar forte, rectè separat, & simul mittit mucilaginosum cum

cum vrina ad renes. Si hi bene separāt, rectè est:sin minus, remanet in istis mucilaginosum & lapideum, & coagulatur in arenam, quam voco tartarum. Ideo phlegma nō est causa, quia phlegma nō transit ad naturam lapideam. Tartarus ergo ab ingestis bibitis & comestis prouenit,scilicet ex debilitate separationis membrorum.

Lephanteus siue Lephante prima species est,bolus medium inter lutum & lapidem, quod scindi potest: ideo ex isto quod ingerimus,si cum potu tale quid transit,quod est Lephanteum,ex eo non generatur lapis,quia materia non est lapidea,sed ista materia Lephantea, id est hic bolus, vbi sedet in fundo stomachi, cōstipat secessum,vt fiat obstructio alui.

Lapillus est lapis confectus ex materia resoluta.Lapillus tartarus est, qui est lapis,non lutum:si ergo debet generari lapis,debet adesse materia lapidea, alioquin generari non potest:ideoq́ue cùm bibimus aquam, vis lapidea in aqua est sed resoluta,ideo virtus expulsiua nisi sit tam fortis vt debet,tartarum ex aqua ad mittit fieri.

Pruinum primum genus latiſſimum eſt in tartaris. Pruina eſt tenuis tartarus in plicis ſtomachi: & fit in veſica, in vijs vrinæ & hepate.

Gemma eſt lapis generatns ex dia phano.

Vſnea eſt tartarus tenuiſſimus & ſpōgioſus, ſicuti muſcus naſcens in arbore.

Grando eſt granum generatum aliquando per ſalem. grādines tartari ſunt, quum per vrinam quis paruos calculos eijcit.

Collectum eſt compoſitum ex omnibus ſpeciebus tartari.

Simplex eſt coagulatura ab vna ſpecie Diuiſum ex vna in plures. hæc tria ad lapillum pertinent, non ad bolum.

Collectum eſt, quando bolus venit ad lapidem, & fit coagulatio, ſed tamen nō dura, id eſt, tota lapidea. Simplex quādo totus lapis eſt. Diuiſum, quando bolus adeſt: ſed & bolus habet lapides paruos. Alabaſtrinum eſt illud, quod eſt de bolo: lapides qui ex bolo ſunt: & ſi coagulantur in lapidem, tamen non ſunt tam duri (nam purgant valde) ſicut qui ſunt de pura materia lapidis: Sed Alabaſtrina,

qui

qui ſcindi poſſunt.

Marmoreum ſunt duriſſimi inter rubeos: ſunt enim nonnulli rubei duriores quàm alabaſtrini. ſinunt etiam ſe ſcindere flaui lapilli.

Adamitæ ſunt albi lapides duriſſimi. Adamitus propriè eſt lapis in veſica.

Duelech lapis eſt ſpongioſus tophus. & illi lapides cum ſummo periculo ſunt & maximè dolent.

Magnetinum eſt lapis ſpongioſus duriſſimus: & quia variæ ſpecies calculi, ideò & diuerſam curam & varia loca habent: nam in ſtomacho eſt locus & hepate. Ideo vbi prima ſeparatio in ſtomacho non eſt bona, & hepar ſeparare debet: ſi hepar debile eſt, aut vis attractiua, tunc ita tartarus venit ad locum, in quem nutrimentum deſcēdere deberet ex cõſueta natura in conſuetum locum: vt ſi cui albugo contingit in oculis, venit in conſuetum locum, ſic ſurditas ſi eſt in aure, eſt in loco conſueto: ſi ad tempora, iam eſt in loco inconſueto.

Caput II.

De origine tartari & eius natura: resolutum cum liquido quid: Vltimarum principium est sesaparatio: Locus plus quã materia: Quid Mucilago, Viscus, Saphirus, Calcedonius, Bolus, Lapillus.

NVnc quid sentiendum est de origine tartari, vel vnde sit? Prima est elementina, altera corporea. De elementina nondum: natura elementata Archei resolutum à resoluto liquido nõ dissoluit, mucilaginosum aut lutosum: igitur produxit matrix absque semine duo, liquidum & viscosum. Liquidũ est purum: Viscosum est peccans. Liquidũ est cibus & potus: Viscus est resolutus bolus, sub vna specie & commistione.

Hoc productum duas materias vltimas habet, vtpote externam & internã: Principiò vltimarum est separatio. Si est externa, absque detrimento, & est physica: sin interna, tunc cum periculo, & est media augmẽtatio. Nam si natura in sequestrationem ducit liquidum & viscum, duas habet formas, aquæ matricis & terræ, deinde & corporis. Aquæ & terræ sicut de silicib. corporis sicut de tartaris: ꝙ si corporis fuerit respice: nã per cibaria

ria cibi & potus traditum eſt peccans: ſi natura ſtomachi aut digeſtionis conſumit, bene: ſin minus, aduerte: membrum eſt læſum, doletq; ab indigeſtione, ſcilicet ab inſeparatione puri ſaphiri ab impuro & inſulſo calcedonio: quia vna natura eſt, quæ ſeparat lapillum & bolum quare de loco tractandum eſt.

Sic natura corporis produxit ſuum malum, hoc eſt, tartarum naturæ: nam Iliaſter peperit tria in natura dolentis, viſcum ſecundæ genarationis, cruorem internum, & peruerſum bitumen malè reductum, hoc eſt, coagulatum liquorem & conglutinatiuum ſui ipſius ex re puputrefacta. De iſto tartaro plurimum eſt aduertendum, qui in pueris eſt, & caſtis hominib. & ſiccis corporibus, & aliquando trãſlatiuis ad prolem atque hæredes Ex hoc notandum de duabus tartari generationibus: nam externa recipit curam: interna curam ad ſortem habet. Ex his ſequitur tertia generatio, quæ eſt ex permiſſione duarum prædictarum, ea capit curam ſed difficilem, ſecundũ pondo alterius. Tartari autem generatio ex natura aliquãdo ſanguinis eſt, interdum

carnis, nonnunquam aliorum membrorum. Quare prædictum est de inconsueto loco & inconsueta generatione, & inconsueta cura: sed quæ adhæc necessaria sunt, habentur de signis: & quæ de cõsueta generatione scilicet in vijs vrinæ indigemus, habemus de consuetis.

Explicationes capitis secundi.

ELemẽtinum est, quod descendit ex matricibus elementorum.

Corporeum, quod à corporalib. humoribus descendit.

Mucilaginosum resolutum, est resolutus bolus vel lapillus.

Liquidum resolutum illud est, quod est liquidum ex primo ente.

Generatio tartari duplex est, elementina & externa, ex cibo & potu.

Corporea est ab humoribus.

Omnia creata, &c. creata sunt liquida, vel non liquida: si creata liquida, illa pura sunt & nõ mixta, sed multa sunt vitiata, sicut & aqua tandem per lapidem: nã in aqua materia lapidea est sicuti, si diu bulliat vel destilletur, adhæret vt tarta-

tarum in vase. Sic fontes quæ ex luto originem ducunt, sunt lutosi, & vbi fluunt, adhæret lutum: sic & quando bibuntur faciunt lutum in stomacho, aut alijs membris: ita omnia, quæ producta sunt à terra, quæ eduntur & bibũtur, habent in se mucilaginosum quiddam, & viscosum, sicut panis, qui sic cõpositus est, vt nulla viscositas appareat, sed vbi concoquitur, in superficie lubricitas, & viscositas extat, quę cadit postquam diu coxerit, induratur in fundo, vt & in stomacho fit, qui separat si debilis est, trãsmittit quoq; impura ad hepar & reliqua membra (quamuis panis inter omnia edulia minus viscosus est.)

Sic & agri qui stercorantur plus lapidũ habẽt: quia tartar⁹, qui in stercoribus est, resoluitur, & creat lapides: in Bohemia non stercorantur, & quæ nascuntur in agris stercoratis, insalubriora sunt quàm quæ in agris non stercoratis.

Vltima materia rei, est finis rei, sicut fons in prato ex origine lutosa facit alueum suum luteum: Si ex lapidibus & saxis, faciet aluum saxeum, sicut apparet. Viscosum lutum adhæret lapidibus

& facit lapidem, sicut sæpe videri licet, cum franguntur lapides, in quibus plicę & venę cernũtur, quòd vna viscositas alteri insedit: sic ergo & in nobis náscitur lapis, vel lutũ, hoc est vltima materia. Si ergo in nobis vt in fonte, aqua se separat in prata, bene nobiscum agitur: quia impurum separatum est: si nõ separatur in nobis, malè: ideò ij fontes boni, qui multum lapidum habent, & arenæ, & qui viscosos ac lutosos lapides habent, quia arenæ & lapides attrahunt viscositatem, & impurum separant à puro. Cæsar Fridericus solùm bibit aquam, & sic probauit, lintheũ purum intinxit aquæ & ponderauit in lance, postea in sole explicauit, & rursus ponderauit, & sic potuit indicare quantũ tartari in se nascęretur: & ideo non bibit vinũ, quia timuit tartarum, cuius peculiarem in se spiritũ habuit. Sed accessit quidã Italus, qui asseruit aquam esse destillandã, sic namq; fore præciosiorẽ. Sed asinus ille non cõsiderauit, quòd aqua non vult destillari: quod statim putrescat, & fœtida fiat. Nam Cæsari cum sequenti creuit fœtor oris malus, &c. Itẽ Cæsar omni mẽse no-

uos

uos filices ad fontes portari curauit, vt attraherent viſcoſitatem. Sic ergo, vt in pratis, & riuulis alijs adheret viſcoſitas vel lapidea materia, ſic & in corpore debet ſeparari.

Vrina eſt ſal reſolutum generatum in hepate, deſcendens ad ſuum emunctorium tãquam ſuperfluum. Omne quod edimus aut eſt ſulphureum, quod vadit ad ſtercus: aut mercuriale, quod vadit ad nutrimentum: aut ſal. ſal reſolutum, vadit ad vrinam. Sic igitur in vijs vrinæ tartarus inſidet, & vbi vis expulſiua eſt fortis, expellit: ſi nõ fortis, generat morbos: nam in ſumma ſummarũ oportet fieri ſeparationẽ impuri à puro. Si ſtomachus debilis, putreſcit materia, inde febres & alij morbi: & hoc ex ſtomacho debili in virtute ſeparatiua: ſed tartarus & materia lapidis non putreſcit, verùm alimentũ quod ad mẽbra ire deberet, illud putreſcit: inde veniũt mali vapores & febres: nam ſeparatio puri ab impuro fieri debet. Si autẽ vis ſeparatiua deficit, putreſcit alimẽtum, ideo febres curantur purgatione: quia vbi materia putrida curatur, ſanitas eſt, ſic cẽtaurea iuuat

febres. Quod ad hepar pertinet, hoc cõfortat & purgat virtutem ſeparatiuam hepatis, ſuccurrit hepati corrupto & de bili: quia eſt eius herba, non ſtomachi: hinc fit quod non curet ſtomachum. Sic ergo veniũt febres ex debilitate virtutis ſeparatiuæ ſtomachi, vel hepatis, quòd materiæ in eis putreſcant.

Nutrimentum eſt, de re tranſmutata & eius tranſmutatio in putrefactione.

Materia ſaphyrica eſt liquidum illud in quo non eſt materia peccans.

Galcedonium eſt iſta materia peccãs generata à ſeparationibus per virtutem ſeparatiuã. de calcedoniĳs peſſimus eſt calculus.

Tartarus naturæ eſt lapideum minerale creatum elemẽtaliter ſub humore reſoluto, receptũ à bolo vel lapillo: quia microcoſmi natura idem eſt & de matricibus.

Vitium ſecũdæ generationis eſt cruor, qui deſcẽdit à ſalibus: eſt enim cruor ſal egeſtum, id eſt reiectum & ſeparatũ, à primò ſale.

Peruerſum bitumen eſt liquor peruerſe digeſtus, id eſt liquor incoctus,

qui

qui ſub viſco deſcendit ex nutrimentis proprijs.

Nutrimenta propria ſunt vitalia.

Congluten vel conglutinatum eſt, quod ex putrefactione in gluten coloratum deſcendit, & ſubſtãtia propria vtriuſque corporis, ſubſtãtialis ſcilicet & vitalis. Duo ſunt genera tartari, internũ & externum. Ab externo generatur tartarus, & ex cibo, potu: Internũ, quod in corpore generatur, & in pueris naſcuntur ſæpe lapides, & hoc eſt morbus hæreditarius: Ideo medico obſeruandũ eſt, an ſit in natura tartarũ, vel accidentale, an internũ, vel externum. internũ & innatum curari debet per ſalia: externum per cineres & alkali. Homo in ſe habet omnes generationes, omnia mineralia, vt ſal eſt in corpore, ſicut in ſudore apparet: liquor etiã, qui carnẽ ſuſtentat eſt ſal, ſed dulce. Sal ſanguinis eſt amarũ. Sal carnis eſt dulce, & quanto dulcior caro, tanto melior natura: & quanto amarior ſanguis, tanto plus homo fortis in ſanguine: illa ergo ſalia quãdo ſeparantur à ligamẽtis, à membris, à lacertis, ibi tranſeunt ad virtutẽ lapideã, ſicut & vlcera

creãtur ex ſale:corrodit enim, & quãdo coagulatur ita reſolutũ,ſi in venis coagulatur,lapis ibi oppilat mẽbrum: illud atenuatur,& brachiũ tolli nõ poteſt: ita ergo ſæpe fit,vt brachiũ aut aliud membrũ imminuatur: hoc fit propter tartarũ,qui oppilat venas & vias nutrimẽti, ſic veniũt pũctiones,ie&tigationes quòd ventus nequeat habere tranſitum, & fit attenuatio.Sic ergo iectigatio venarum eſt ex oppilatione tartari in venis, & ſic ſæpe fit quòd vena inciſa non fluit: tunc dicunt noſtri,quòd melancholicus ſanguis ſit,quod non eſt verum,ſed eſt tartarus,qui oppilat, ideo bis aut ter vena eſt ſecãda magis verſus principium obſtructionis,donec fluat,vel imponendũ, quod tartarum internum reſoluat:nam ſi ſanguis ille lauetur, inuenies lapilloſ, ideo non ſolùm arena eſt hæc quæ per vrinam tranſit,ſed ea vbiq; eſt. Sic & in oculis ſæpe naſcuntur lapides : nam liquor ſalis,qui eſt in capite ſedere poteſt ad oculum.Ita etiam in vulneribus capitis ſæpe vidi lapillos albos emplaſtris adhærentes.

Sal innatum purgat ſe per ſudorem maxi-

meximè, interdum ex oculis.

Liquor salis balsamus naturæ est, qui sustentat corpus ne putrescat: vbi enim liquor salis deficit, iam fit lepra & putrescit corpus: lepra enim non est nisi læthalis putrefactio.

Bitumen &c. Duo corpora in nobis habemus: substantiale, quod nutrimentis sustentatur è victu: vitale, quod viuit ex sale, ideo generatio tartari venit ex hac substantia. ergo per sal curari debet tartarum internum.

Congluten, &c. quando materia, non habemus substantiale, quod nutrimētis sustentatur è victu vitale, quod viuit ex sale, ideo generatio tartari venit ex hac substantia: ergo per sal curari debet tartarum internum.

Congluten &c. quando materia non trāsit ad destructionem, & deficit in natura balsami, fit tenax viscus: Nam glutē apud physicos est gluten album, apud chirurgos, Sinonia.

Liquor salis descendit à bolo resoluto & lapillo resoluto, ideo cum ad finē transit rursum venit ad suam naturam.

Cruor est triplex, cruor membrorum

principaliũ ligamẽtorum, vel nuchæ & cruor exterior: Quando natura ſeipſam purgare vult, purgat ſe per cruorem, id eſt, ſudorem: & cerebrum quãdo ſe vult purgare, trãſit ſudor per piam & duram matrem, vt in vulneribus capitis videmus & anatomia, quòd ſuper piam matrem iacet vſnea tenuis, tartarus: & in anatomia oculorum in venis à quibus oculi dependent, reperiũtur calculi: ideo ſæpe apertis oculis aliqui nihil vident, quòd tartarus vim viſiuã opilat: & quãdo vſurpantur medicamenta quæ tartarum reſoluunt, rurſus vident, quia tartarus rurſum in aquam per fortem naturã ſe reſoluit: quo fit, vt ex ſeipſis etiam ſępe poſt aliquot ſeptimanas viſum recipiãt: ergo duplex eſt tartarus, ſiccus qui nõ reſoluitur, liquidus, qui aliquãdo reſoluitur: & ſi induratur eſt ſic vt cruor in ligamẽtis: cũ ſe coagulat, fit tartarus: ictigationes mẽbrorũ tũc fiũt. Cruor exterior qui in carne eſt, trãſit in ſudorem externum, quem ſi guſtaueris, ſalſus eſt, & ſi in vitro lente permiſeris ſiccari, videbis lapides. Hæreditarius eſt morbus, qui a parentum, qui multum habent de

ſale,

ſale, ſperma quoq; inficitur & homo inde natus. In ſubſtantia ſpermatis eſt materia & vis ſeminis: ſic ſæpe aliquis podagroſus eſt, qui non ex ſuo victu, ſed à parentibus habet. Subſtantia non generat ſiliquas, & cortices nihil procreant, ſed materia generatiua à vitali ſubſtãtia dependit, quæ eſt exigua res & puriſſima: ſed cũ illa materia generatiua ſimul ſubſtantia currit, vt eſt teſta ſeminis, ſimul currit ſubſtãtia cum ſemine, & ſi illa ſubſtantia fuerit infecta, facit tartarum internum. Nam poſtquam concepit ſemẽ, quod eſt vis generatiua, debet ſeparari à ſubſtantia: ſubſtãtia ergo putreſcere debet, & putreſcet, inde fit, quòd ſæpe molæ, ſuffocationes, matricis lubricitas, hinc fiat. Ideo mulieres poſt conceptionem cum artemiſia purgari debent. Sicci etiam habent tartarum, quòd illa ſiccitas ſalem attrahit & coagulat: ſic eſt caſtis hominibus, quòd ſuperfluitates, id eſt, tartarus reſolutus non exit cum ſpermate, non purgat renes. Iſtæ varietates cauſarum tartari medico ſunt obſeruãdæ, vt ſciat, quid ſit adhibendum. Loca internorum tartarorum ſunt venæ & ca

ro,ſic externus tartarus cõcauitates quę rit: internus ſedet in venis & carne.

AVREOLI THEOPHRASTI de Tartaro tractatus ſecundus.

Infectiones boli & mucilaginis, quæ. Iudicium Vſneæ & grandinis quid. Facilis tartari prima generatio, locus, & quæ ægritudines. Deliberatio quid, & quid priſci dixerunt

Caput I.

EXternum, quod ſi ſumptum fuerit in liquido per potum aut cibos, ſiue mucilaginoſum, à lapillulis reſolutum, vel viſcoſum, à bolo ſuo, duas intelligito operationes, ſcilicet pruinæ vel gẽmæ: ſi pruinæ genus (nota quid ſit grando, quid vſnea loci iſtius) Si gẽmæ collectum ſimplex atq; diuiſum, & diſpoſitiones illorũ, alabaſtrinã vel marmoream cognoſce, ſicq; ad rem. Primum eſt tartari deglutinationis ſumpti vſque ad fundũ ſtomachi. de hoc nota: quòd ſi adeo viſcoſum aut mucilaginoſum fuerit, & facilis ſeparationis, vel fuerit maior pars reſoluti, ſequitur etiam ex hoc per totũ orificium, ſicut vſnea ſuper ſilices tanq̃ & ſuper arbores. Ex iſta vſnea ſequitur

ardor

ardor,orexis,compreſſio thoracis,vapor calidus,receditq́; appetitus comedendi. Hæc omnia ſunt ſigna vſneæ orificij vel ſtomachi: & ſecundum quod dolores ex vinis,ex piperibus , vel aquis fuerint, minus aut magis in dolores conuertitur Sin autem non vſnea,aut grando (quæ vna eſt generatio & capitulum) generata fuerit,attamen in ſtomacho fieret ſeparatio ſaphiri à calcedonio, tunc tartarus eſt in ſtomacho, gignit torturam pectinis,tollit appetitũ, nauſeam facit,ſentitur aduſtio in fundo ſtomachi , aſperitas linguæ efficit raucedinem , & plures dolores , quotidianæ pluresq́ue febres: de quibus morbis, priſci medici propria capitula ſcripſerunt ſub alia ratione rerum,& copioſè errauerunt,vt praxis docet & indicat.

Interpretatio authoris capitis primi.

GEneratio grandinis fit per ſiccum in ſale ab humido ſegregato.

Vſneæ genus fit per fumum aſaſſumpti tanquam de cruore.

Collectum fit per caſum lapilli & ſimplex & diuiſum , ſcilicet à lapillis reſolu-

tis.Nunc ad loca quæ tartarus accipiat progrediendum. Primò de ſtomacho: Omnia quæ comedimus habent in ſe aliquid,vel de lapide reſoluto,vel de bolo reſoluto. Primò de potu: quæ bibimus tranſeunt per gulam ad ſtomachum. ſi quod bibimus multum habet de mucilagine,& orificium ſtomachi anguſtum eſt & feruens,vel calidum,tunc mucilago adhæret,& vis ſalis confirmat aquoſitatem,& ſic materia adhæret,& coagulatur & induratur.Si eſt ex bolo reſoluto, tunc viſcosè adhæret quaſi lutum.

Si ex lapide,fit grando.ſic ergo collegit ſe vſnea.& hæc ægritudo maximè in mulieribus eſt,minus in viris,niſi ſint potatores: hocque apparet in anatomia, quando ſectio fit,tunc enim reperitur in orificio ſtomachi lutosũ quiddã, quod ſi ad ignem adhibeatur,induratur, & fit lutum vel lapis.Ergo quãdo illa vis ſalis ſic naturam confirmat & indurat viſcoſum,tunc fit orexis:cùm bibimus, tranſit potus per iſtum tartarum.Et quia vbi bonus ſtomachus eſt, claudit ſe,& concoquit clauſo alembico: ſed quia tartarus orificio inſedit, quòd non poteſt re-

ctè

ctè claudi orificium,ſed fumus aſcendit & id ad tartarum. Si tartarus dulcis eſt, non ardet,& ille tartarus eſt ex aquoſita te:ſed ſi ex vino eſt, tartarus eſt acutus, & quaſi primùm perfunditur aqua vel vino,id eſt,potu,ſicut calx quæ accenditur & vrit.Ideo ad orexim curandum opus eſt,vt ad tartari curam trãſeas,vt tartarus cadat ad fundum ſtomachi, & per ſeceſſum abeat. Illi* ergo qui aquam bibunt,non habent orexim,ſed ex vino:interdum etiam qui aquam bibunt habẽt orexim,ſed hoc non ex aqua, verùm ex cibo. Sic igitur fit orexis, quòd primùm vſnea ex vino adhæret orificio, quando bibimus & comedimus. ſtomachus debet eſſe occluſus dũ coquit: nam illi qui dicunt ſe olfacere ſemetipſos quando comederunt vel biberunt,illorum orificium eſt corruptũ per tartarum: ſic tartarus,vbi humefit,ardet ſicut calx. hæcque eſt prima generatio.

Altera eſt grandinis,quòd in ſummitate ſtomachi & orificij lapilli parui adhærent: & illi qui habent dicunt, dum comedunt & deglutiunt ſe dolere: quoniam ita commouẽt ibi grandines, quæ

in orificio ſic generantur: non faciunt orexim, ſed in degluriendo ſentiuntur. Et illorum qui ſic habent egeſtiones ſi videas vel laues, lapillos cernes habere.

Tertia, ſi orificium eſt ſanum, non habet caliditatem nō ſalis ſpiritum, & permittit ſic materiam ire ad ſtomachum, ibi iacet: ſi ergo vis ſeparatiua & digeſtiua non eſt fortis, & viſcoſitas ſi eſt materia, adhæret multis modis. Nam plures plicas habet ſtomachus, propterea ipſius adhæret parietibus: nam ſtomachus primum ad hepar mittit impurum ad monoculum ſeceſſum. ſi ergo materia nimis viſcoſa eſt, quod expellere non poteſt, adhæret: Si eſt à bolo reſoluto, fit materia nimis lutoſa: ſi ex lapide fit lapis: ſicut in anatomia apud veteres in cuiuſdam ventriculo tres lapides inuēti ſunt: ergo ardor eſt ex tartaro, vel ex effuſione fellis: fel enim vrit ſicuti tartarus igitur ſi quis conqueritur ardere ſibi orificium ſtomachi, ibi non purgandum, ſed dolor ſedandus ſiue ardor, & non purgandus.

Mitigatiuum pulvis.

℞. radicum & ſeminum hyoſciami.

Papa-

Papaueris ana ʒ.

Mandragoræ g.iiij.

Theriacæ quantum sufficit.

Dosis scrup.iiij.

SI per hanc medicinam discedit dolor siue ardor, tunc est effusio fellis: Sin minus, ex generatione tartari: verùm vbi tartarus in stomacho sic est, & digeri non potest, & materia transit ad putrefactionem, indeque febres fiunt, stomachus concutit corpus, tunc paroxismi febriles in stomacho sunt, & non in alijs membris, non in pulmone, ligamentis, sanguine, &c. Et sic paroxismus durat donec tartarus sedatur, ideo cura febrium est resolutio tartari: quoniam vis digestiua deficit, fiunt paroxismi, fiunt febres: vnde cura erit ex tartaro: Nam quod ex tartaro fit, id inde est: diu enim vbi corpus conquassauerit, comprimit, quòd vis digestiua cum tempore longo humiditatem putrefactionis consumit, & sic postea indurat tartarum, & incipit grauedo & compressio thoracis. Ergo in cura tartari comprehenduntur omnia genera febrium. Quod nostri authores scribũt in curam

febrium planè fuit contra resolutionē tartari. si interdum ipsis succedit cura, certè non est ex medicina, sed forti natura ægrotantis, quæ per se tartarum expellit, sicque sæpius fit, quòd per sedes & vomitum febres curentur.

Omnis medicina, quæ tartarum resoluit vel expellit, febrem curat. Sic sæpe medici febres curare statuunt, & recepta scribunt ex multis simplicibus, in quibus si quæ sunt, quæ tartarum pellunt, curant. Quædam etiā per sanguinis missionem abeūt, sed raro: cùm stomachus tam fortis est, vt materiam peccantem, id est, tartarum expellit ad hepar, & sic phlebotamia iuuat. Vbi verò lapillus durissimus, vel tartarus generatur, inde febres immortales, quia tartarus resolui non potest.

Piperibus, &c. Illi qui multum piperis vel aromatis comedunt, sicut in Bohemia, non laborant orexi: & Albertus cōsuluit, vt piper comedant illi Misnenses, Bohemi, & alij, quia cereuisiam bibant piper comedant, quòd calefaciat. & quia cereuisia est viscosa, & viscositas adhæret stomacho, ideo calida cereuisia cum butyro

butyro vtuntur, ſic enim viſcoſitas reſoluitur. Ideo etiam butyrum comedũt, vt ſcilicet lubricitas fiat, & viſcoſum nõ adhæreat, cum prius ſemper ex ſtomacho laboraſſent. Ergo dolores ſtomachi omnes veniũt aut ex tartaro putrefacto, aut ex tartaro generato: putrefactum febriũ eſt: generatũ, aliorũ membrorum. Illa materia tartari purgationibus nõ tollitur niſi prius ſit tartarus reſolutus in liquorem. Sicuti enim aqua, vel liquor, ſi vult pelli, debet reſolui in liquorem, poſtea expellitur & abit. Si autem eſt tartarus putrefactus, facit febres & nonnunquam, tamen rarius, per purgationes abit.

De tranſmiſſo ad inteſtina, conſequens futuri & præſentis morbi. Anatomia doctrix huius theoricæ. Medicorum error in cauſa morbi, & veri tartari cauſa.

Caput II.

QVòd ſi in ſtomacho digeſtũ fuerit, tãquam cibus, bene eſt. Si autem nõ, ſed tranſmiſſum ad inteſtina per ſtercora, ſi vis coagulatiua abſcondita fuerit in iſta parte, & laborat in effectum, ſequitur aut vſnea, aut grando

aut gemma vtriuſq; ſpeciei, alabaſtrini, & marmorei: inde ſequitur conſtipatio vētris in ſeceſſu, tumor, tympanites, vẽtoſitas vmbilici, torſiones, cholicæ ſpecies inſanabiles, vomitus & ſimilia ſingna. Hæc per anatomiam habentur horum ægrotorum, in quibus inteſtinũ abundè cum vſnea repletum eſt, aut monocaulon, aut longaon & alia, ex quibus tartaris iſtis, priores canones traditi ſunt: vt pro cholica vẽtoſa & cauſa morbi, cholera ſignata & malè. ſunt igitur deſcriptiones authorum malè poſitæ: Nam cauſa choleræ, non eſt, nec fellis, nec conſtipatio vti dixerũt, ſed tartarus offendit locum, quare tartari cauſam recipe, non alienam.

Annotata authoris.

SI victus ſumptus, ſiue à bolo ſit ſiue à lapillo, à ſtomacho digeritur, prima ſeparatio eſt, poſtea digeſtio, non ècontra, vt Auicenna putat. Primũ enim eſt ſeparatio puri ab impuro, poſt ſeparationem nutrimentum digeritur, & membris impartitur, per inteſtina autem mittit impurum ſulphur. Si vis expulſiua debilis eſt, vis ſalis coagulatiua

facit

facit tartarum:nam illa viſcoſitas adhę-
ret inteſtinis, & facit tartarum, ſicut in
ſtomacho & orificio tartarus fit, & hoc
inde,quòd vis ſulphuris liquefacit: ſter-
cus enim aliud non eſt,niſi ſulphur ven-
tris,quod accenditur & ardet, ſicut ſul-
phur. Ergo in ſtercore ſulphur eſt, ne-
que aliud eſt, quàm ſulphur ardens. Cũ
ergo in inteſtinis eſt, adhæret illis:ſi vſ-
nea eſt, tanto leuior: ſi grando etiam le-
uior;ſi gemmæ, hoc opus,hic labor eſt.
inde ſequuntur morbi, conſtipatio pri-
mò,quãdo materia ſulphuris & ſalis cõ-
iungitur,& exiccant materiam, faciũtq;
conſtipationem. ex ea aliæ ægritudines
quę curantur per curam tarrari: quia v-
bi tartarus reſoluitur,ęgritudines abeũt:
ſed hoc non facit oleum chamomil-
læ, aut alia, de quibus Meſue torſiones
ventris pellere vult: ſic etiam clyſteria
quæ dantur, niſi ſint ex ſeminibus lini,
fœnugræci, pſilij,& mucilaginoſa: quia
in inteſtinis plus eſt de bolo, quàm de
lapillis, ideo quia illa ſemina ſunt mu-
cilaginoſa,& ſic ſimilia ſimilibus cura-
ta fuere.

Recipe ſeminis lini,

Psilij, fœnigræci ana. fiat mucilago, addatur sal.

Qui autē ipsos sequuti sunt, addiderunt laxatiua & purgatiua, hieram picrā, trociscos de agarico, Allhandal, &c. & fecere ex clystere purgationes, cum non sint aliud, nisi vt resoluāt bolum coagulatum, alioquin cum sic purgare volūt, laxant, & materiam nō resoluunt, fitq́; postea morbus peior. sed istis seminibus mucilaginosis si quis vtatur, resoluit tartarum, deinde omnia simul exeunt. Oleum etiam reijcere non possum: quia dolores sedat.

Clyster debet solummodo resoluere, aliàs, si materia tartari non resoluitur, & constipatio manet, hínc sequitur Tympanites.

Tympanites verò non est species hydropisis, sed cōstipatio ventris, vt vētus natura nō habeat ibi egressum, tum clysteres addunt, sed nihil efficiunt. Sic igitur procedendum est: Duplex tympanites est, vnus in matrice, de quo alibi, alius in intestinis, qui curandus est per resolutionem tartari, sed in quo intestino, hoc non videmus. Quando ergo

volumus

volumus tympanitē menſtruorum curare, per clyſterium fieri poteſt: Si ſupra diaphragma eſt dolor, ſumma medicina eſt, vt ſumamus mucilaginē de cidonijs, vel è pſillio, vel de alio, & cū melle deſpumato, anademus in modum ſyrupi, & & hoc reſoluit tartarum. Ergo ex cōſtipatione ventris, vt dictum eſt, fit tympanites: nam calor ventum efficit, qui propter conſtipationem exire non poteſt, ideo tympanitem cauſat.

Quod autem ventus in corpore ſit, clarum eſt: quia in ſanguine ventus eſt: quia calidus eſt: ſic etiam in reliquo corpore: vbi enim calor, ibi eſt ventus: vbi is per conſtipationem exire non poteſt, tympanites fit, nec curatur, niſi per reſolutionem tartari, hoc eſt, cōſtipatio: ſed hoc non efficit calida & excocta potio, vel herba aliqua in oleo cocta.

Torſiones fiunt ex acuitate liquoris in inteſtinis: Tympanites ex conſtipatione: torſiones ex reſolutione. Cholicam aliqui putant eſſe ex felle, quod redundans vadit ad inteſtina, & ſic pungit. Alij dicunt ex conſtipatione, quod mordere non poteſt. Sed cholica abſo-

lutè non eſt,niſi tartarus reſolutus in inteſtinis: quia tartarus acutus eſt, ideo pungit. Sicut dixi, duplex eſt tartarus: Dulcis,qui facit lienteriam: Acutus qui cholicam. cum ſic reſolutus eſt,iacet in loco fixo: quia per ſe non habet virtutẽ expulſiuam,ideo ſic iacet & pungit. Cura ergo eius eſt, vt hic liquor conſumetur,vel iterũ coaguletur in calculũ, vel vt vis expulſiua expellat: inde fit, quod oleum bibũt in cholica: quia cum oleũ adeſt,tartarum reſoluitur,ſic acuitatem tartari mitigat & ducit ad expulſum: ſic etiam dulcia vina faciunt. Quod autem vrinam effecit croceam,fel in cauſa eſt. vomitum etiam faciunt:quia cum inteſtina laborãt, laborat etiam ſtomachus.

Hepatis magium quid ſit. qui morbi.quæ ſigna.Vrinæ iudicium. Porrò de meſaraico tartaro.De infirmitatibus,& veterum erroribus.

Caput III.

SI autem digeſtum fuerit in ſtomacho prima digeſtione,& expulſum in ſecundam hepatis. Si ſeparatio fuerit in ea, in vſneam,vel gemmã,ſecũdum quod ſumptum ex bolo aut lapillo reſolutum fuerit, ſequitur cõſtipatio

in

in hepate, durities & apoſtema chronicum,ſitis,dolor lateris dextri, cõpunctiones & oppilationes facit, colorabit, labra ſpiſſa cum pruritu, & lingua exiccata adparebit:tumores in partibus inferiorum pedum exoriuntur: expulſus eſt appetitus & reiecta digeſtio: vrina quaſi hydropica, veluti indigeſta, glauca & multa. Iſta generario non tantùm fit in hepate,ſed etiam in regionibus iecoris & confinijs ſuis. Quòd ſi autem in digeſtione hepatis ſeparatio non apparuerit,eſtq; materia egreſſa ad meſaraicas lacertoſas,ſi in his lacertoſis meſaraicis ſalis communicatio fuerit, tunc ſequitur generatio vſneæ, aut gemmæ: Ex iſta generatione ſequitur dolor meſaraicarum,cõſtipatio nutrimenti,hecticæ ſpecies phtiſis principium eſt. dolor ſpinæ dorſi,coſtarum,matricis: effœminatum ſemẽ efficit, tollit appetitũ ſpermatis, eſtq; exiccatio omniũ membrorum, & magni dolores in mineralibus, de quibus priſci penitus errauerũt, atq; falſa poſuere capitula.

Explicatio tertij capitis.

SI igitur in ſtomacho, aut inteſtinis nō adhæret, vadit ad hepar, & in illo eſt ſeparatio: Vbi ergo hepar debile eſt, in venulis hepatis fit oppilatio ſiue obſtipatio & tartarus generatur: lapilli obſtruunt vias, & nutrimenta tranſire non poſſunt, inde cōpunctiones. & quia materia tranſire non poteſt, colligitur ea, & putreſcit, & fit apoſtema hepatis. Cura eſt omnium oppilationum, cura tartari. Et quādo eſt oppilatio in hepate, tunc homo diſcoloratur, ſæpe color variatur in die, & ſitis generatur: quia hepar non habet humiditatē propter oppilationem, & nutrimenta quæ tranſire non poſſunt per hepar, redeūt in ſtomachum, eumq́; corrūpunt: inde ſingultus oriuntur. Quicumq; etiam ſciſſa habent labia, ac multas pelliculas in ipſis, hoc eſt ex oppilatione hepatis, & linguę ſiccitas, & tumores in pedibus ex oppilatione procedit: quia quando tartarus ſic diu iacet, venit ad maturationem, & natura operatur & expellit. Inde tumores ad alium locum, in pedibus ſuper palpebris tumor, & vrina multa: quia liquor hepatis diſſoluitur, & morbus matureſcit,

cit,

cit,ſuumque liquorem ſeipſum dat hepar. Nam vis expulſiua vrinæ trahit,ideo accipit quod inuenit,vt de corde ſumeret ſi alioquin nihil adeſſet. Sic etiam meſaraicæ oppilãtur,iĳdẽ morbi ſequuntur:& ſi quãdo tartarus oppilatur in meſaraicis hectica febris adeſt,ita etiã phtiſis & attenuatio per totum corpus: & qui ſic conſtipati ſunt,non ſunt fœcundi.Mineralia dicuntur membra principalia,vt renes,cor,cerebrum,hepar, pulmo ſplen.

AVREOLI THEOPHRASTI PARACELSI TRActatus tertius de Tartaro, Caput I.

Tartarus vrinoſus quid.De meſaraica ſecuritate,virtutes,proprietates & dolores tatari.ſigna morbi ab externo.



Sſi ſeparatum fuerit in hepate & poſitum in materia vrinæ, ſecuræ ſunt meſaraicæ & regiones iecinoris. Nunc de viĳs vrinæ dicẽdum,id eſt,de renibus. Quòd ſi tartarum vrinæ, quod aliud eſt quàm

de quo dictum)acutius,acrius, celerius, inquietius:Nam quæ tartara ex vrina de ſcendunt,penitus ſunt aduſtiua,vim calcis habẽt,ſpiritumq́; vitriolatum ac pro prietatem ſalis.hæc ante coagulationẽ: ſed cùm coagulatio facta fuerit, recedũt dolores,vnde ſequitur dolor paroxiſma lis iuxta tempus ſuæ coagulationis, quo uſq; in coagulationem peruenit.Inſequi tur dolor dorſi,coxarum,vrinę defectus, vrina rubea, ſanguinea,citrina, crocea cum ardore,vlcerationes renũ,pus & ſaſanies in vrina, torſiones ſub vmbilico, dolores in ſchia,vomitus & nauſea,pecti nis compreſſio. Tartarus iſte tanquam tartarus in vaſe adhæret, ita in regionibus concauitatum renum,& ſi cum tem pore reſolutionem accipit, fiunt dolores grauiſſimi. Quòd ſi generatum cupit abſq; reſolutione exire in fragmento rum portionibus,propter anguſtas vias, dolores & ſigna reddit. Quòd ſi in loco permanſerit in ſtatu,bene:ſi ad augmen tum,malè: ad declinationem, malè, niſi cum cautela.

Authoris expoſitio in primum caput tertij tractatus

Heri

HEri dixi generationem tartari in ſtomacho: nunc ergo cùm in ſtomacho bene digeſtum & ſeparatũ eſt, tranſit per venas meſaraicas ad hepar,& tunc fit ſecunda ſeparatio:nam aliud ex iſta ſeparatione & digeſtione tranſit ad nutrimentum totius corporis omnium mẽbrorũ,alia pars eſt vrina: iſtud quod ex ſtomacho venit ad hepar , exiſtit in mercurio & ſale:mercurius in nutrimẽtum abit,ſal verò in vrinam vadit . Separatio autem iſta ſecundæ digeſtionis eſt, & eſt prima materia vrinæ. Nam alibi vt ſulphur,ibi ſtercus:ſic hîc,vbi ſal,ibi vrina.Vrina autem ſal eſt expreſſum à mercurialibus per violentiam ſeparationis in reſolutionem coactum. Conſiderandum eſt vobis de ſale expreſſo accidentali fumoſo,quid ſit,ſi in coagulationem abit,quid inde niſi tartarus acutus? Vrina eſt ſpiritus,qui deſcendit à forma in volatilem,à ſubſtantia propria in contrariam:quia iſta ſeparatio propter ſalem eſt abſque ſulphure.Omne id quod tranſit per venas meſaraicas ad hepar, vel mercurius eſt , vel ſal: omne enim quod edimus, ex primis tribus eſt , ex

sale, mercurio & sulphure; in stomacho igitur separatur à reliquis in stercus, sal & mercurius vadũt ad hepar. Non enim est natura stomachi hæc duo separare, sed hepatis propriũ. Hæc duo ergo priora separat hepar, purum ab impuro, postea digerit: Separat igitur hepar rubinũ à christallo: Rubinum est nutrimentum omnium membrorum, cordis, cerebri, & reliquorum christallus. Quod non est nutrimentum, expellit hepar ad renes, & est vrina. Vrina ergo non est aliud quàm sal, quod resoluitur per hepar in aquam, & expellitur, & sic rursus coagulatur, id est transit in suam primam materiam, & sic facit tartarum. Si à bolo, vel si à lapillo talem tartarum facit. Et quòd sal coaguletur, videmus, quando iuncta iusta materia potest coagulari. Quomodo autem coagulatur? ita, quando sal carnis & sal vrinæ vniuntur, coagulatur in lapillos. Prima generatio inter hepar & renes & ibi coloratur calculus in renibus, vt lapilli rubei sint: Secunda generatio in renibus: Tertia in vesica, scilicet, quando transit per renes, & non coagulatur, sed in vesica coagulatur. Et quando est calculus

culus acutus, corrosiuus, corrodit & in vijs vrinæ, & in vesica exulcerat, & sic transit pus & sanies: hinc veniunt dolores quando vlceratio est: ita tamen fit, & interdũ nõ sentiũtur dolores, sed quãdo vrina acuitur per regimen salsi alimenti, vt carnis, piscis, tum ille spiritus salis peruenit in exigua foramina, & efficit ex ulcerationes, sicq́; etiam facit pus & sanguinem mingere, ideo illis regimen ordinandum, vt caueant à salsis cibis.
Quòd si obseruato regimine sanguinẽ nihilominus mingant, scias vlcerationẽ abundare: fit enim tanquam calx, imponatur cuti & sinitur iacere, tunc continuè corrodit: sic etiã illa exulceratio est, quod tartarus per se sine intermissione corrodit: ibi dolor dorsi magnus, & sanguinem mingunt. ibi vna cura est, vt tartarus resoluatur. Nam si dolor dorsi per oleum camomelinum, aut de scorpionibus non curatur, tum scias certò, quòd exulceratio est ex tartaro: interdum consumit venulam aliquam, aliquando renem vel aliud: tunc vna cura est, vt vrina fiat tota incarnatiua, & hoc fiet per ea, quæ habent vim salis in se per incarna-

tionem: Nam sal solumodo per sal curari vult, vt sunt terpentinum lotum, trocisci thuris, alkakenge, masticis, myrrhæ mumię, stecades, & potissimùm thus, mastix, mumia: Nam illa sal sunt planè, & nihil habent sulphuris: ideo cùm veniunt ad stomachum, quia nihil hîc de sulphure est, stomachus transmittit ad hepar, ita quòd tum vrina illa tota sit & sal, & incarnatiua, & curat sic exulceratione͂: & tum nihil comedendum quod humidum est, quod duntaxat vrinam faciat: nulla offa, nec salsa vlla, sed assata & quæ sicca sunt, capienda sunt. Errant ergo illi qui absynthium, radicem raphani, mentastrum, pulegium, &c. præbent, & omnia illa quæ vrinam cient & prouocant. Nam illi cogitant sic: si calculus curandus est prouocantibus vrinam, & purgantibus vias vrinæ, herbis id est faciendum: putant enim, quæ menstrua prouocant, ea & vrinas prouocare, & ita calculos tolli, adduntque consolidatiua. Et isti asini non vident, quod istis calculus non soluitur, nec etiam vrina incarnatur. Hoc agendum est, quando exulcerationes tartari sunt curandæ,
vt

vt incarnetur vrina: alia enim, quæ prouocant vrinam, solùm transeunt & nihil agunt. Spiritus vitriolatus est, quando vrina vrit & pungit, & cùm sic est, ille homo omnium maximè laborat in calculo, & sic generatur calculus, vt sæpe duobus vel tribus annis colligatur & non dolet, & natura tam fortis est, quòd semel totum expellit. Et primò de bolo generatur qui adhæret, vt vsnea, sic adiacet renibus tanquam paruæ pelliculæ, sed in vesica ibi non potest adhærere vsnea: quia plena aquæ: verùm lapillus hic coagulatur ex acuitate salis, durus scilicet & gemmeus multis angulis, propter salis acuitatem. Quando vrina alba est & lactea, & dolres dorsi adsunt in Ischia, & tamen vrina vel calculus nõ dolet, scias in vesica esse materiam lutosam, quæ curari potest: sed si non curatur, indurescit in lapidem, qui postea propriam curam habet: sed cùm adhuc lutosa est materia, potest syringa humidum iniici, & lutum expelli, vel vt veteres dederunt coagulum ad bibendum, aut per syringam hoc latus purgare: ideo recepta quæ de calculis scibun-

tur multa ſunt, quæ pertinent ad calculum lutoſum antequam confirmatur,& ipſi vtuntur ad confirmatum, ideo fallũtur:materiam induratam ſcindere & lapideam,oportet medicinam eſſe tenuẽ ac mitem quæ ipſam inuadit, ac minuit: ea debet eſſe vrina (Hermes poſtquam comederat,ſumebat ſemper granum vnum thuris,item maſticis, vt ſcilicet vinum bibitum coagularet ſe in tartarũ) id eſt,ex ſale incarnatiua,quodq́ue fit ex mumia,thure,maſtice,non niſi ſal,ſed incarnatiuum, quod etiam exulcerationes curat:& in lapillo duro non eſt medicina præſtantior Chriſtallo, Fœlix: Felix qui eum nouit præparare.

Tartari generationem eſſe in loco,in quo dominatur ſal.ſalis Vrinæ potentia
Caput II.

SI in renibus non fuerit ſeparatum, & per vires naturæ expulſum ad orificium & collum veſicæ:Si in iſto loco ſal dominatum obtineat, coagulationis generatio ex eo ſequitur:nempe lapillus quem alij lithos,aut lithiaſen,aut calculum vocant,ego verò tartarum, propter primam

primam materiam,& bene.Istius lapidis generatio non est alibi in toto corpore, nisi in loco, vbi vrina in potētia sua fuerit: Nam sal,quod est in vrina, talem habet vim, vt procreet lapillos, & quanto longius ab origine vrinæ, tanto fortius est opus salis: vnde sequitur de pruinis, quòd tartara vrinæ sint in renibus, alabastrina, & parua, & vsneæ & gemmæ alabastrinæ, sed in fine renum, duriores maiores & fortiores.In vesica enim fortissima vis est, & potentia congelandi durissimam adamitam vltra marmoreā renum. Hæc vis est salis vrinæ, ex qua, vbiq; per totum corpus bolus vel mucilago, extraneus sumptus coagulationem accipit.Nec mirū: quia vrina principium salis nitri & principium salis petræ:Habet enim in se impropriatam naturam vitrioli & salis plumosi. Quamobrem medici, nolite esse negligentes inexpertiq; spirituum vrinæ viriumque eius, sed scrutamini studiosè experientiam, notate signa, obseruate dolores quos mouet,quorumque efficiēs causa existit vrina.Nam in lapillo vesicæ tartarus vrinæ omnia præfata signa habet,

imo & in duplo & in triplo grauiores passiones cõmouet, quàm cæteræ prædictæ ægritudines.

Annotationes capitis secundi.

CAlx & anodus sunt in nutrimentis. Anodus per venas suas, calx verò vrinam expulsionem habet: Nam calx ex sale est per spiritum vitriolatũ, inde sequitur genus corrosiui, acuti & peracuti cum talibus signis, sicuti de tartaro dictum est, & dolores & passiones chronicas facit, & lapidis & grãdinis localis. Auicēna, Valescus & alij, principiũ tartari arenam dicunt. Ego tartarũ, quia vt tartarus adhæret, & vt dixi, post primam digestionem in stomacho transijt ad secundam separationem & digestionem in hepate: postea transit ad tertiam separationem & digestionem, quæ fit in renibus: postea nulla est separatio aut digestio, sed illud sal, quod descēdit ad renes, sal scilicet resolutum iacet in renib. & separatur, superfluum expellitur in vesicam & mingitur. Si ergo spiritus salis acutus est vitriolatus, vel si habet vim mineralem, totum expellit hepar ad renes, id est mineræ, vel mineralis separa-

tio fit

tio fit in renibus, & vrina fit in renibus primùm. Et quia assant mineræ, hoc est, spiritus, cachimia, vitrioli, colchotar, alumē entali, rochæ: nam illa omnia habet in se vrina. Hæc verò expellunt renes: nam in istis dictis spiritibus non est nutrimentum, sed superfluum est, & exit per vrinam. Anodus est illud nutrimentum, quod separatur in renibus. Calx verò est superfluum &c. Vrina calx est, quia spiritum calcis habet. Si ergo separatio recta est, tunc illi spiritus calcis & minerales cum vrina transeunt: Si verò separatiua & digestiua virtus in renibus nō est perfecta, iacet in renibus, ac eos dissoluit: inde vrina crassa, pinguis &c. tunc liquefiunt renes interdum sanguis cum pinguedine exit, & hoc inde est, quod renum substantia corruptio inuaserit, & fiunt inde lumborum & dorsi dolores & coxarum, quasi forent dissolutæ. hîc non consulendę termæ: quia plus renes putrefiunt. Si verò cum his doloribus dorsi, vt sunt tormina ventris, hinc scias, & lapidem esse generatum in renibus: Errant ergo medici, qui dicunt calculum nasci ex phlegmate sicco. Quo-

modo poteſt naſci ex phlegmate, cum materia non ſit lapidis, ſed ex mineralibus naſci dicitur? Igitur cum in renibus ſeparatio non fit rectè, hinc eſt generatio nitri, id eſt, vrina incipit ac generat in ſemetpiſa ſine anodo. Si eſt materia vitrioli, facit genus vitriolatum, hoc eſt, lapideum: ſi ſpecies aluminis, tranſit ad ſpeciem lapidis aluminoſum, ideo varij colores lapidũ, aliqui rubei, aliqui cinericij, ſubpallidi, ſed nullus fit cœruleus vergens ad viridem &c. ſed non eſt de mineralibus illis color ille: ſi ex ſulphure eſſet, fieri poſſet, vt cœruleus fieret: eſt ergo generatio nitri hîc. Nitrũ dicitur vbi pecudes ſtabulãtur & mingunt. Nam illa terra, vbi mingunt, poſtea coquitur, & ſal nitri inde fit. Quia vrina nõ eſt, niſi ſal, ſic ex petra naſcitur ſal petrę, ſic ad propoſitum, ex vrina coquitur lapis & ſal nitrum. Sic quoque in corpore vrinę generatur tartarum ſeu nitrũ, & cum tempore exulcerat veſicam, & cum vrina venit ad iſtam exulcerationẽ tunc dolores incipiunt. Noſtri authores in iſtius exulcerationis cura prouocandam vrinam cenſent, & volunt per vrinam

nam causam morbi & exulcerationem curare ipsum morbũ, vt scorpio seipsum nimis cito. Tunc bene fiet, quando vrina incarnatiua fit, vt est antè dictum, sic etiam in hepate non separatur materia, vt separari debet, transit ad renes, sed illi non suscipiunt: quia tantûm separãt, quod separare debẽt, ideò transfluit in vesicam, & ibi tartarum incipit coagulare, sed est viscositas. Sed quando venit in orificium vesicæ, tunc facit lapidem in collo vesicæ. hic fit in posteriori parte apud renes sub infima spina dorsi. hinc incipit eius corpus in inferioribus contrahi, quòd non possunt ire. Hîc nõ iuuant vnctiones, balnea, emplastra. pedes extenuantur, non sentiuntur, & trãseũdum est ad illam curam, ad primam materiam: quia morbus est in orificio & collo vesicæ, hîc insedit gluten & calculum, vel lapidem generauit: nihil hîc balnea faciunt cum omnibus causticis & calidis: nihil sunt illi canones, sed spectandum est, vt materia in collo vesicæ resoluatur & trãseat in liquorem: & hoc fieri potest, si tartarus est ex bolo resoluto. Verùm si est ex lapide resoluto, non

possunt curari, oportet eos claudos & contractos vitam finere.

Omnis vrina micta facit lapidē, quod apparet in matulis, & si coquitur: ita ergo generatur calculus in vesica vt hodie paruū eijciat granulū, & cras aliud, quia sæpe vesica istis granulis plena est: interdum adhærēt venæ, & quo maior vrina, eo acutior. Ex bolo resoluto magni lapides nascuntur. Ex lapillo resoluto, parui, sed si magni ex iapillo resoluto, sunt incurabiles.

Vnde alabastrina, lephanthæa genera, tartarorum differentia, proprietas, pondus. item cutæus quid, Forma quid, signum difficile & signum fixum.

Caput III.

QVę tartara ex bolo resoluto generationē habent, in alabastrinū effectū transeūt & lephanthæū. Et quæ ex lapillis resolutis in lapilli duri finē. Sunt igitur operationes duę in generationibus tartari: vna est vis congelandi absq; spiritu vrinæ: alia est congelatio per spiritum vrinę. prima reddit molles tartaros, secunda autē duros & crassiores: & qui ex bolo, differentiā habent ab

his,

bis, qui ex lapillis sunt. Est autē generatio áliquando ex vna portione, quando natura glutinis simul & semel ad casum peruenit. Aliquãdo quotidiana, cùm cutæus labor incidit, id est, vsnea super tartarum. Est autē natura boli in forma & esse, & multiplices lapilli resoluti, vnde durior, mollior, dolorosior & lenior: quia diuersa sunt genera nutrimentorū & spirituū externorum & internorum, veluti in dięta intelligēdū est. Sūt & plura signa vrinæ, quæ ex permixtionibus, sed illa ab ægris perscrutari per experiētiam sufficit, pro genitura signū vnum, cætera consortia sunt de rebus conuenientibus nō fixis, quæ medico in libellis nō ponenda, sed de fixis, scilicet de signo fixo nō intermisso tradenda. De varietate formæ in vsnea, in grandinibus, in lapillulis, nō est de medica pꝛofessione, sed in physica habentur de forma & materia & figura.

Explicatio tertij capitis.

SI voles iudicare, an quis habeat lapidem, hæc signa erunt: Nausea, vomitus, cum quis dicit , nescio quî fiat,

ſemper euomo,tunc certum eſt eſſe ex lapide,vel quòd inebriatus fuit. Si inebriatus,tũc & caput dolet,hoc certum ſignũ eſt:ſi hoc non eſt,lapis adeſt. item coxendices dolent, dum gradus aſcendunt, mouent & contrahunt membra. Tertium ſignum, tormina ventris punctiones pedum.Hæc ſunt certa ſigna,reliqua fallũt & vana ſunt,quia obeſo corpore vir,alia habet,quàm macilentus.Et in vrina ſignum eſt: interdũ aurea perſpicua vrina eſt, vrina diuidatur in tres partes,in tres ſubſtãtias, illud ſedimẽ in fundo ſubtile eſt ſedimẽ, quod ex tertia digeſtione eſt,ex renibus:quia quę in hepate digeruntur craſſa ſunt: quæ in ſtomacho craſſiora:quę in renibus ſubtiliora, quòd ex tertia & vltima digeſtione: Ex tertia igitur digeſtione vrina, eſt in fundo perpiſcua & ſubtilis.Item ſignum eſt,quòd arena eſt in fundo, ſed hoc fallibile:quia ſæpe fit, vt arena egrediatur. Eſt etiam ſignum lapidis quòd vrina eſt lactea,vt ſerum lactis:ſignum eſt, quòd lapis ſit in veſica.

Theo-

THEOPHRASTI AB HOHENHEIM QVARTVS TRACtatus de Tartaro.

De interno tartaro ex tribus. quid viscus internus, gluten & putrefactum. Descriptio anatomiæ, generationis. Quæ signa, ægritudines, & de tartaro lacertorum.

Caput I.

QVANdo ipsa natura corporis quæ est dispositionis huius, ex tribus internis fuerit, ex spares viribus, scilicet de visco, bitumine, aut glutine albo, vel putrefacto interno, considerandum nobis, viscus naturæ quid sit. Viscus est sanguinis humor cũ sua aquositate, quæ cum sanguine apparet, à qua ista sanguinea, si sal fuerit in resolutionem abit. ex hac sequitur viscositas, de qua scribimus. Hæc viscositas si in separationem abierit, sumitque coagulationem salis cum viscositate aquæ suæ sequitur ex illa generatio tartari, sæpius in forma vsneæ vel grandinis, aut gemmarum collectarum simplicium aut diuersarum, sicuti in anatomia ista genera

tro sæpissimè fit, præcipuè castis, pueris, & extenuatis corporibus, & signa eius sunt iectigationes per membra, dolores vagantes, punctiones non fixæ per totũ corpus, aut per membra dispersæ, hinc inde per venas ambulantes: exiccat corpus, gignit naturam æqualem phtisi & hecticæ: sentiuntur febres, interdum cõsumptionem particularem faciunt, præcipuè in membro venæ istius, in qua est oppilatio hæc creata. Nec aliud habemus iudicium horum membrorum diuersæ valetudinis, nisi signa premissa. Veteres grandia dixere verba de similibus passionibus: sed principium eorum error berbericus. Et potest fieri, talem morbum generari in carnibus, musculis, lacertisque: cùm eius liquor tanquam sanguis ex substantia cecidit in coagulatiónem: sed signa eius sunt leuiora & mitiora.

Capitis primi interpretatio.

Spara est vis mineralis ex ilech, prima substãtia ex primo ente, est pars prima ex quatuor elementis (Ilech, ileias, iliadus, idem, id est, primum principium) elemen-

elementa ista sunt mineralia mitiora. genera mineralium sunt quatuor, essentiale, corporale, substantiale & formale. vt dixi falluntur authores nostri, qui dicũt ex phlegmate calculum nasci, quia lapis generari non potest, nisi vis mineralis adsit. Arena enim vel lapis est minera, ideò fieri quoque debet ex mineralibus.
Præterea corpus duplices partes habet. Est enim tartarus innatus & externus, hoc est, duæ sunt generationes tartari interna & externa: externa minera, id est his quæ ingeruntur, & ex interna: ideo ex primo ilech, id est ex astris, quæ non cogunt, sed homines deberent concordantijs astrorũ respondere. Ita mineræ quoque sunt in hominibus, sicuti in elementatis. Sæpe enim quis fit calculosus, & tum id non habet ex vino, aut cibis, nec etiam hæreditariò accepit, vt proximè dixi in spermate, quod non viderunt medici nostri, qui diętam ponunt in cura calculi, & causam morbi non intelligunt. Nam neque ex cibo vel potu habent, & si nihil ederent, tamen generaret calcul⁹. naturæ istius est tartarus intern⁹ quod sic crescit semper, & signũ est, quia

vrina crassa est tanquam sperma in vrina,& quotidie sic mingitur. Mucilaginosum & viscosum est generatio tartari interni:at semper illi qui habent tartarũ internum,habent exulcerationes, nec punctiones sentiunt,& tamen pus it per vrinam,quod est sicuti sperma: propterea quoties compressiones in stomacho exiccantur,est signum generati calculi. interni extenuantur. Nostri dicunt in omnibus morbis,qui contingũt(quia causam reijciunt in humores)esse corruptionem humorum, quod vanum & sæpius decantatum est,& tam stupidi sumus, vt quicquid authores stulti scribũt, id pro oraculo habemus.Ego autem dico generationem tartari esse generationem mineralem,& esse ex humoribus mineralibus,non esse ex humoribus naturalibus & iste tartarus est in puris salibus,non ex spiritu vitrioli,aluminis, &c. siue aliorũ salium,sed tartarus internus generatur ex vno sale ideo, quia tartarus generatur ex mineralibus liquoribus naturæ. Quapropter medico id in corpore obseruandum, scilicet quæ sint mineralia. Cura tartari interni,quia est opilatio,ideo est

deo eſt tranſcũdum ad coagulationem tartari per viriditatem ſalis. Salis viriditas curat tartarum internum generatũ: curatur autem tartarus internus,qui eſt ex bolo reſoluto: qui ex lapillo reſoluto incurabilis eſt. Vrina & vinum ardẽs eſt ſignum tartari interni. quum ſubſtantia in vrina eſt ita perſpicua atque aqua deſtillata, non adeſt hypoſtaſis, ſed planè perſpicua eſt & diaphana: ille tartarus curari poteſt per phyſicum, niſi veniret ad veſicam vt excindatur, alioquin ſolui non poteſt quicquid agas: quia eſt ex lapillo reſoluto, nec ſolui poteſt, nec curare: ideo differentia talis probè obſeruanda. Sparæ vires, &c. vis mineralis, & humor ſalis, humor aluminoſus & humor calcis, & humor vitriolatus, hi humores ſunt in corpore. Duplex eſt humor naturæ: humor naturalis, humor mineralis: ſi permiſcentur ſimul currunt in corpore: ſi per ſe ſtat humor mineralis, & facit morbum, per mineralem curari debet. Sanguis eſt humor naturalis. humor vitriolatus contrarius eſt. Hinc ſi ex ſanguine morbus eſt, ſine vitriolo curari debet per purgationẽ ſanguinis, vt gamã-

drea morea ſanguinem emendat,manna,capilli veneris:ſed ſi vitriolum coniũgitur,iam etiamſi diu ſanguinem purgãtia adhiberes,nihil efficeres, ſed arcana naturæ tranſcundum. Aluminoſus humor iuuat choleram,vt cholica non eſt ex cholera,ſed liquore ſalis:iacet in inteſtinis & ardet, & quando reſoluitur, & vis expulſiua fortis eſt,bene eſt. Quando igitur generatio tartari eſt ex interno ſale, & ex bolo reſoluto,tũc facit vſneam: vbi igitur peccant humores minerales, vt ſi vitriolatus humor coagulat ſe, & humor naturalis,id eſt, ſi ſanguis reſoluit coagulatum ſal, tunc phlebotomia prodeſt,&c.ſic de cæteris:Ideo errant aſini qui dícunt, phlegma eſt in ſanguine: quia multos píſces comedit, quod falsũ eſt.vbi phlegma veniet ad venas?quis poros illos aperiret? Sed ſal ibi eſt,& humor mineralis,ſic caro, ligamenta, &c. non ſunt niſi minerales humores,& illis adeſt humor naturalis,liquor naturæ,& balſamus naturæ,iectigationes,&c. Iectigationes fiunt vltro citroq; dolores vagantes:iam punctiones fiunt in brachijs iam in pedibus. & maximè fit in ſenibus, vbi

vbi humor ſe exiccauit, & non ſunt illæ compunctiones,nec vltro citroque huiusmodi fluxus,aliunde quàm quòd tartarus oppilauit meat⁹:ac ſæpe euenit,vt quis punctione vehemẽter afficiatur, & poſtea in anno non redit. quando hoc fit,non eſt niſi tartarus,qui ſe reſoluit,& vim expulſiuam à loco expulit. Vbi vis mineralis eſt,exiccat corpus, & non contrahit,ſed permanet dura.& eſt tartarus vbi aliquis ſic extenuatur, & maximè in ſenibus eſt ex tararo phtiſis, oppilatio,& cura eius eſt per tartarum.Iſti ædificãt domum ſuper aquam,vt humectetur,ſic hecticorum: quia omnia genera febrium generantur ex tartaro, hoc eſt ex oppilatione tartari. Quum membrum attenuatur,non eſt, niſi quod tartarus oppilauit.iſta generatio fit in muſculis:in carne adhuc non lædit morbus:quia natura reſoluit,ſed quando venit ad concauitates, ibi hæret & dolet.

Glutinis loca, eius generatio: ex quibus error veterum circa gluten. signa eius causæ doloris podagræ. comparatio morbi, finis, indicium doloris & loci.

Caput II.

GEneratio, quæ ex glutine albo, & bitumine fit, huius tartarus durior est cæteris tribus: Nam glutē est tenacissimū in natura, & vbi locum habet, ibi dolorem creat, hoc est in articulo, ligamentis, arterijs & similibus. Generatio istius est, cum seipsum coagulat ex virtute repercussiua cōtra liquorem nutritiuum suum coniunctū. Ista generatio facit membrum contractū absq; consumtione, & apud veteres pro podagra, chiragra, genugra, schiatica vocitata, & in capitulis podagræ posita est, propter locū articulosum & similes passiones similiaq; signa. Signa sunt ista, ante coagulationem continuus dolor cum clamoribus: Nam glutē sensitiuū maximū membrum, quo non est sensibilius in toto corpore infestans, efficit cruciatus in loco grauissimos. Dico autem podagram cum speciebus suis, tales dolores non

non parere, nisi tactum sit gluten, quod synonia apud chirurgos appellatur. Et errauerunt authores in capitulis podagræ, ponentes podagram fluxum esse ex natura cum talibus doloribus, quod falsum, & manifestus error est: Nam absq; glutine non est dolor in membris exterioribus. Ista quoque coniunctio extranea causa doloris, si permistionem arripit, excedit dolores rotæ ac crucis. Tartarus iste, si in coxis, schijs, aut spinis dorsi generatus fuerit, facit inferiorum cõtracturam ab vmbilico vsque ad pedes. & præter cætera signa, quæ de isto sunt tartaro, est continuus vomitus. notandumq;, vbi gluten locum habet, indicia dolorem loci ex tartaro.

Authoris expositio secundi capitis quarti tractatus.

DVrities tartari recipit coagulationem suam ex salibus mineræ. sal in hac generatione accidẽs elemẽtale est, & aqueum. liquor humoralis est & idestum. Idestum autem sine composito non est: compositum est de mineralibus per quatuor humores, hoc est elementa.

Tenacitas glutinis resina mineralis est, vt terebinthi resina arboris suæ differt à balsamo: quia salis non est dolor: est in glutine non salso, sed per sal suum, hoc sal est acetosum, nõ salsum, est dulce. Repercussiuum contra liquorem nutritiuum est, quòd sal repercussiuum, id est, acetosum gluten dulce coagulat istius loci, quia glutẽ humor nutritiuus. Sicut dixi de tartaro interno & signis, sequitur nũc generatio alterius. Omnes dolores, qui sunt in membris exterioribus sunt ex glutine. gluten album, non dolet per se, nisi habeat accidens: per se est res lucida, lucens & pura. Nam non sunt lucidiora & depuriora in corpore, quàm humor christallinus, albumẽ oculorum, & gluten album. est sal lucidissimum & dulce rectificatum, & sperma, quod crassissimum inter hæc duo. Sic ergo gluten per se non dolet, sed quando sal resolutum humor mineralis, salsus liquor transit ad gluten, tũc talis dolor, vt dici non possit: inde podagra: duo enim contraria simul stare non possunt. Ibi fit inflatio & dolor. Vbi ergo liquor salsus descendit ad membra, & non ap-

prehendit

prehendit gluten album, inhęret iūcturis membrorum, & coagulat se, & non est nisi tartarus: inde sæpe fit, quòd in podagricis lapilli excindantur, & hoc ex tartaro est, non ex glutine: ideo vbi gluten tam potens est, quòd humorem salsum & salem mineralem non suscipit, tunc non fit dolor, neque podagra: propterea podagræ cura est, vt sal resolutum expellatur. Ergo vbi sal minerale venit ad gluten per se, res est tenascissima: ideo vbi coniunguntur simul, fit durissimus tartarus: sicut etiā ex spermate fit durissimus calculus, si coniungitur cum eo sal minerale. Quatuor sunt salia, terræ, aeris, aquæ, ignis. Si in aqua, vel aliàs leuiter infrigidātur, ex sale aqueo est morb⁹. Si in nocte magis ægrotat quàm die, est terra. Ex aere non est magnus dolor, vel singularis, ideo errores sunt de doloribus schiaticis & aliįs, &c. sed salia hîc consideranda.

Idestum oportet obserues: nam si gluten peccat corruptum per aliud, rectè facis, quòd humor naturalis purgatur: quia gluten est humor naturalis: vbi ergo gluten in resolutionem venit, & ide-

ſtum eſt,id eſt duo compoſita cum alio cõiunctum,ideo hîc purgari poteſt humor naturalis. Gluten per ſe eſt humor naturalis,& in eo eſt ſal, quòd adeo glutinoſum efficit, & quanto glutinoſius exiſtit, tanto plus ſalis habet. Oportet habeamus mineralem illã reſinam.ſicut arbores cum ſua reſina naſcũtur,ita homini cuiq; ſua reſina eſt, hoc eſt gluten illud.Balſamus eſt res tẽperata,non dulcis,non amara,non põticę,ſed eſt liquor ſalis:nõ eſt ſal minerale, ſed ſal liquoris, hinc potentiſſimè præſeruat à putrefactione.

Gluten non eſt ſalſum minerale, ſed eſt res liquida, ſed cum tranſit ad id, ſal minerale, tunc inficit. Gluten per ſe, eſt ſal dulce, ſed accedit ad id ſal acetoſum ita ergo gluten à natura ordinatum eſt, vt in iuncturis,ſit,ſcilicet vt adminiſtret nutrimentum ligamentis,ſicut nos ſtomacho damus cibos, & poſt digeſtionẽ mittit ad hepar, & gluten ſuum in cibo attrahit: Nam in omni cibo gluten eſt, ideo cum attrahit ad ligamẽtũ. ita ergo in omni cibo,in omnibus commeſtis & bibitis gluten eſt naturale & minerale.

Errant:

Errant iĳ qui fortiores cibos, & genero ſa vina prohibent, cùm gluten ſit adiuuandum. Cum igitur ſal minerale venit ad gluten, gluten incipit ex humoribus ſalis & mineralibus coagulari: inde fit vt membra fiant immobilia, vt in podagra, & non poſſunt moueri: quia gluten coagulatum eſt, ideo vna cura eſt, gluten illud reſoluere, & humorem mineralem in podagra, niſi ſit quod abſtinentia aliquid liquoris conſumat. Et vt clarius ſit hoc ſecundum caput, dolores certè adſunt, quia duo contraria. Gluten eſt ſal dulce, ſed aliud eſt ſal ſalſum & minerale: ideo quoties concurrunt, fiunt dolores aliquando 5. 7. vel 14. dies, tres ſeptimanas, & aliquando diutius, donec rectè miſceantur & conueniant. poſtea dolor aliquandiu quieſcit: interim dum materia congregatur ad locum rurſus fiunt dolores, & patiens conqueritur. Eſt nobiliſſimum membrum gluten album adeo ſubtile & purum, vt nullum membrum facilius afficiatur, quàm gluten album: Si enim aer ipſum attingit, dolet inde, quòd genu inflatur non eſt, quàm quod ad gluten fluxus alius ve-

nit & pugnãt inter ſeſe in genu, vel iunctura brachij inflatur: Vbi vna cura eſt, vt liquor ſalſus qui deſcẽdit, reſoluatur & expellatur,& humori naturali, id eſt glutini ſuccurrat. Podagra non dolet, ſed quando fluxus cadit ſupra gluten, iam dolet.Errant qui putant podagram eſſe fluxum à capite deſcẽdentem phlegmaticum.Nihil tale eſt, quàm ſi podagra ex ſuperfluo humore veniret. Glutẽ non eſt in ventre, non in membris interioribus,ſed ſolũ in exterioribus,in iuncturis,vbi ſunt ligamenta,ſed quãdo gluten venit ex ſuo loco, & latius ſe dilatat, ibi rurſum contrarium eſt,& continuus dolor:Nã omnes dolores qui in iuncturis ſunt,& membris exterioribus ſunt ex glutine:ita ergo, vbi ſic glutẽ eſt infeſtũ ibi tartarus fit,aut podagra,vt dixi.Quãdo naſcitur calculus in fine dorſi,in lumbis,contrahit corpora infra vmbilicum: quia ſpiritus tranſire non poteſt,conſtipatæ ſunt venulæ,vt ſpiritus vitalis tranſire non poſſit.Nam nullus ſpiritus,tam ſubtilis qui tranſire poſſit: nam & ſpiritus ſubſtantia eſt. Ibi ergo oppilatio eſt cõtractura ſupra vmbilicum,quoties in

illis

illis locis hęret, appetitus edendi nõ tollitur, brachia bene valent. Vbi ergo calculus existit in schia in coxendice, cõtrahit membrũ obstructione, & dolet: permanet quoque donec morbus consumat seipsum siue materiã. Ita etiã fit in glutine, quòd oppilatur: iunctura intumescit ac dolet, &c. Sciendum est medico, vbi sit glutẽ, in quibus locis habitet. Nam dolores iuncturarum scire opportet, & omnes dolores in iũcturis ex glutine sunt, vbi locus glutinis, hîc dolor, petit etiam gluten cũ ligamentis: ideo vbi quis vulneratur & non iunctura est, & tamen ligamentum tactũ, ibi ipsi ponũt resinam sutoriam, quæ attrahit gluten, & postea non possunt compellere, siue sistere.

Quæ ex putrefactionibus: loca illarum & materia de spermate. huius tartari signa, vlcerationis causa. de corrosiua acutissima & media cura.

Caput III.

Porro de putrefactis liquoribus cum substantijs, vt intestinis, concauitatibus, centris, renibus, vesica & similibus, talem generationem habet. Si

ſperma generatũ fuerit & non emiſſum, abit in putrefactionem: iſta putrefactio gignit ſalia ſua in loco, in quo ſperma eſt: hoc ſal in tartarum cõuertitur: Nam ſperma criſtallinũ ſal eſt à toto diaphano perſpicuum creatum, & quaſi cãdidam maculationem accipit à turbido, ita & ſperma facilem tranſmutationem recipit. Tartarus iſte habet ſigna, vt in aliĳs, verùm non in tantis doloribus, niſi motio venerea causã reddiderit. Vrina verò etiam in vĳs ſuis putreſcit aliquoties, & propterea quod ſpiritum ſalis habet, ideo in putrefactionem abit. Et ſi is tartarus corroſiui naturam habuerit. rumpit veſicam, vlcerationem facit, corrodit venas & circumferentias ſuas. Quamuis alia tartara in ſe corroſiuum gerunt, huius tamen peſſima eſt corroſio & acutiſſima. In aliĳs verò tartari ſpeciebus, acuitas vrinæ per ſpiritũ ſalis vlcerationem facit, ſed alkakenge, & lota terpentina tollit eam, & thuris trociſcus. Huius verò generationis medicinam acriorem cupit veſicatio, ſicq; in aliĳs partibus idem eſt intellectus, vt in inteſtinis & cæteris.

Expo-

Expositio.

ALia est generatio tartari ex putrefactionibus, ideo obseruandum, quid ex putrefactionibus fiat: Nã putrefactio facit propriũ salem, ideo in intestinis est, in iuncturis, in centris.

Centrum est duorum membrorum copulatio. sic centrum dorsi, spinæ, &c. est medium membrum: Sic ille tartarus propriam curam habet. Fit & putrefactio in vesica: quia vrina non est satis acuta, vt expellat illam materiam putrefactam. Sperma est in toto corpore: nullũ membrum est, quod non habeat humorem spermaticum: ideo vbiq; est, & nõ est gluten, neque alius humor, sed sperma in membris iacet. Generatio spermatis est humor per totum corpus dispersus. Spermatis loca sunt ista, vbi gluten, vbi membra principalia, vbi mineralia, vbi humores & vbi liquores: Nam sperma est radix mineralis de radicibus humorum. Quod ipsi dicunt, sperma generari in testiculis, mentitum est: ex cibarijs & potu generari sperma, nõ est verum, neque inde generatur: sed quãdo in quiete corpus, illud quod potissimum in natu-

ra eſt, tunc mouetur, & illud ex luxuria: ſed ad materiam, principaliter ſperma non eſt niſi humor diſperſus per totum corpus, vbi gluten, vbi mēbra, & ibi ſperma: ſed eſt ſperma non ſeparatum. Et microcoſmus eſt illud ſperma, quod eſt in toto corpore, eſt in venis, in articulis, in cerebro, &c. & ſuum emunctorium non habet, niſi in teſticulis, in oſco: ideo diſperſum eſt totum corpus, & primò vadit ad ſeparationem ſuam, & deinde ad oſeum, hoc eſt, ad teſticulos: iſtic concoquitur, & fit criſtallinum ſperma. Antequam autem ſeparatur, & digeritur in oſco, ſed cùm adhuc in membris eſt, poteſt illa materia putreſcere, & fit tartarus, & illud ſperma eſt primum ſperma, id eſt, nondum ſeparatum & digeſtum, & quum putreſcit, poſtea vadit ad ſecundam generationem, hoc eſt, tartarum facit.

Sperma per ſe eſt materia diaphana: Quando loquor de ſpermate, tunc nihil loquor de ſemine, quia ſemen eſt centrum ſpermatis, in medio ſpermatis ponitur, inde generatur, id eſt ex ſemine: ſemen enim hoc dicitur quod generat, &

quia

quia ſperma res lucida,ideo facilè macu lationem accipit. Contra tartarum ſpermatis deſeruiunt medicamina, quæ habentur contra diabeticam paſſionem. ille tartarus ſpermatis non facit peculiarem morbũ,ſed quando motio fit ſpermatis in re venerea, tunc ſe ſubducit: & illi qui poſt actum ſentiunt grauitatem membrorum,& dorſi dolores, illis eſt ex tartaro ſpermatis,& qui ſic ita malè habent,cõmuniter ſunt ſteriles: pueros etiam ſi gignant, rarò tamen legitimum tempus viuunt: etiam ſi viuant ſunt miſeri,quia ſperma non tranſit ad certam ſeparationem & digeſtionem, & natura odit tales pueros:ideo vbi ſunt, aut ex viri,aut ex mulieris tartaro ſpermatis tales ſunt.Corruptio vrinæ eſt primum ſignũ lepræ:dupliciter tartarus ſpermatis naſcitur, ante putrefactionem, & poſt putrefactionem: & quando ſal in eo eſt vitriolatum, fit corroſiuum. Lepra nõ eſt niſi putrefactio,& ſignum ſecundæ generationis,ex ſpermate ſcilicet putrefacto eſt,quòd non ſinunt ſe laxare, etiam ſi vnam vnciã hellebori comederent nõ laxantur,& hoc potiſſimũ ſignum lepræ

quòd non mouentur laxatiuis:& quando vrina ita putrefactionem ostendit,signum lepræ est, quia sordet, : cura tunc est,vt vtatur alkakenge & thure.

Si tartarus ille corrosiuus, &c. omnis tartarus corrosiuum habet,sed iste pessimus est,quo ex putrefactione, quando vrina sapit,vt viola,vt ireos,est malum signum,venit à vitriolatis,est signum malè digestionis, & declinat ad putrefactũ tartarum,ita quando vrina olet,tanquã ius carnium, est signum putrefacti tartari, & quòd digestio in hepate non est recta,& transmittit ad vrinam, sicut accepit à stomacho,& est signum præcipuum putrefacti tartari: Nam omnia in corpore debent digeri rectè, vt saporem perdant.

AVREOLI THEOPHRASTI PARACELSI TRActatus quintus de Tartaro, Caput I.

De materia non coagulata, hoc est, bituminosa, vel mucilaginosa, quæ ægritudines de non mingentibus, De plurimis, de pure, sanguine. Vlcus & apostema quid, pus emunctoriale, Anodinum, item pusta quid.



VNT & quàm plures ægritudines, de quibus hîc in nostro tractatu mentionem facere necesse est: nam quæ de tartari sunt generibus, veruntamen non coagulati, sed tamen locum obtinent in nostra theorica proximum, vtpote de puribus, de coagulis, intellectum habere de his oportet: Sicut qui in vrina defectum habent, & in dorso & coxis, attamen nõ lapillus, nec gemma, nec eiusmodi bolus coagulatꝰ fuerit in loco, vt in virna. Quidam sunt, qui mingere non possunt, quidam qui sanguinem mingunt, quidam saniem, aliqui sperma, alij difficulter, quidam non voluntariè. De his in genere

consideranduũ,his qui mingere nequeũt sperma transfusum in vrina causa est. Qui autem habent vrinam ex attractione pro sua operatione, & patiuntur de pure & sanguine,cum defecerit,signum est coagulationis, sed non lapilluli, sed destructæ separationis,in qua spiritus coagulãdi nõ est,sed defecit in viribus suis. Qui autem cum sanguine,sunt qui acutum vitriolatum habent in vijs vrinæ, de quorum læsioue vena destruitur & sanguiolum, signũ futuræ vlcerationis & apostematum. Qui saniem habent, & illud quod spermatis.aut quod nutrimẽti,aut superflui est,ex diuersitate in saniem conuertitur erraticam. Vbi difficultas,signum est magni caloris ex nitri speciebus retentiuæ virtutis emunctorij huius.Vbi autem inuoluntaria emissio, ibi locus est anodinus,ex narcotico bolo tinctus,aut gemmeo:& plura noua veteraq; genera huius tartari quotidie habentur varijs cum signis nouisque morbis:eadem tamen ratio est,& causa & origo. Nam eorum quorum natura in vrinalibus est pusta:ne admireris, si morbus chronicus sit,& sit incurabilis: nam

pustam

pustam naturam medico commendauit, Ideus in tantum, quantum experientia docuit & peritia ingenij.

Expositio authoris.

ILli qui qui mingere nesciũt, sunt quorum vrina & sperma conuersum est in pus & saniem: in pure & sanie vis expulsiua non est. De mingentibus sanguinem, sunt qui indigestam vrinam à stomacho & hepate vsque ad renes habẽt, à renibus vsque ad vesicam cum coloribus suis primarum rerum: qui difficultatem habẽt, sunt hi, qui incursionem per salem & sulphur habent, vt sint de contrarijs elementatis. Qui inuoluntariam, &c. ij sunt, quibus locus & virtus expulsiua & narcotica est.

Pusta est digestio sanici innata. Hæc quatuor genera sunt quoque ex tartaro resoluto, non autem coagulato, sed quãdo materia est mineralis, sæpe putrescit antequam ad coagulationẽ veniat, inde fit pus, sanies, &c. quòd non potest vrinare, quòd sistatur vrina, aut fit ex lapillis, qui sunt in vijs vrinæ, sed quando de

lor est in coxis,quòd clamant: & tamen
non est arena hic, nec apparet in vrina,
tunc quoq; tartarus est,non coagulatus
super vesicam.& istic se colligit,& sic vri
na prohibetur per istud, & tum natura
vult expellere vrinam, & non potest fie-
ri:inde fit,quòd sic ventus ascendat spi-
nam dorsi,& facit magnos dolores,præ-
sertim quoties vrina sistitur, & non est
ex lapillo:tunc scias venulas, quæ sunt
inter renes & vesicam, constipatas esse,
& vis expulsiua nititur expellere:inde vẽ
tus,qui hinc inde currit, illinc tormina
nascuntur,& sic renes liquefiunt & ac-
cendũtur,quia corrumpitur eorum vis
digestiua:& postea hepar non potest suũ
officium facere:postea & stomachus de-
ficit:quia ventus non facit suum officiũ
inde aluus obstruitur,caput dolet, verti-
go fit,&c.ideo in hoc morbo non bonũ
est purgare:quia intestina purgantur, &
nihil ad morbum: sed cura hæc est. Bo-
lus est resoluendus, scilicet quod herbæ
diaphoreticæ coctæ posteriori & priori
parti applicandæ sint,vt bolus resolua-
tur,& per medicinam internam, & hoc
successione faciendum dies quatuorde-
cim

cim,si vno aut duobus non curatur.non medicina supra medicinam danda:ideo quia vrinare non possunt, nisi est, quòd hic viscus seu mecilago est in vijs vrinæ. qui sanguinem mingunt est indigesta vrina:nam omne quod editur & bibitur, digeri debet,color,substantia & arcanũ: ideo considerãdum medico, an vera sit digestio,an illa omnia digesta sint. indigesta digeri debẽt. Omnia habent suam tincturam,vt sanguis est rubeus, ossa alba, caro subrufa. Panis, maximè siligineus,facit colore tenuem,rubeam: vt si ponas in fimum equinũ, & sinas putrescere,postea vrgeas, rubeum exibit. Et vinum facit suum colorem, & ideo illa obseruanda, quæ stomachus primò separat,postea digerit substantiam & colorem:postea & hepar digerit. Quando ergo comedimus, primò fit separatio puri ab impuro,postea digeritur sustantia & colores: nam ex coloribus ciborũ, postea color membrorum fit ex nutrimento.Omne membrum sui nutrimenti habet colorem, sic ossa albũ, sanguis rubeum,&c.Ideo si stomachus non rectè digerit colorẽ, hinc vadit ad hepar,

illud non suspicit, quia non est sui officij, sed transmittit, ita nec renes, inde sanguinis species mingitur. Nam stomachus debet digerere colores: cor accipit rufum, splen nigrum &c. sic ergo quando stomachus non facit officium suum, & transmittit ad hepar, illud ad renes, quia non est de eorum officio, inde fit quod vrina sit sanguinei coloris. Nã si verus sanguis mingitur, est ex vena fracta, illud aliud est. Qui cum difficultate mingunt, inde fit, quòd sulphur & sal permiscetur & faciunt colorem tãtum, vt vrina sic incendatur. Cura est, vt mitigetur ille calor, inijciatur oleum amigdalarum, &c. Inuoluntarij vrinãtes inde sunt. quòd vasa spermatica stupefactiua sunt, non aliter atque manus ita stupefit vt non sentiat: ita vesica stupefit ex sal mortuo & resoluto, sicut hyosciamus stupefacit: ita sal resolutũ infrigidat vesicam & stupefacit vesicam, quòd vrinam ingredientem non sentit, tunc venit vis expulsiua & titillat, postea fluit. Alioquin vim expulsiuam nos retinere possumus, sicut scimus, sed quando vis est stupefacta in vesica, tunc vis expulsiua

siua titillat: Sed quia vesica stupefactiua & narcotica est, ideo non sentimus vrinam euntem, ideo retinere nescimus, & etiam vim retentiuam, quam volumus exerceri, sicut solemus: sed quando ingreditur vesicam, vis retentiua inuenit stupefactionem, & non potest vim exercere: ideo inuoluntaria vrinatio ex vesicâ stupefacta est, vnde fit vrina crocea, aurea, quia mutantur. Vrina autem sanguinis, est ex digestione mala, per tres digestiones. Qui sperma vrinant, vel etiam pus quandoq;, hęc causa est: quum continuè mingunt pus viscosum, signũ est tartarum vim pręsentẽ coagulationis in se non habere, sed putrefieri. & non dolet: quia sal non adest, hocq; inde fit, quòd tertia digestio in renibus, quæ substantiam in colorem digerit, deficit, & putrefit illa in renibus: quia deficit vis digestiua in renibus: & illud est, quòd pusta est difficulter curabilis. nulla digestio est minus reparabilis, quàm renum digestio. Quando egreditur sperma, fit sæpe, quòd sperma abundans vadit ad vrinam, & miscetur sicut butyrum cum melle, & illi habẽt crassam vrinam,

ſed adhæret vitro tanquam lutum diſſo lutũ. & illi ſunt ſteriles, quibus ſic ſperma tranſit ad vrinam. Sæpe quoque fit, quòd ſperma ſtatim tranſit & non incorporatur vrinæ, ſed in ſubſtantia ſua tranſit: ille autem morbus non eſt ex caſtitate, aut retentione ſpermatis. Nam ſi etiam omni nocte coiret, tum puſtam haberet, ex caſtitate non fit morbus illius. Aliqui emingunt ſanguinem verũ, & hoc inde quod cum ſpiritus vrinę eſt ex ſale vitriolato, tã acutus, eſt vt ipſius venas rodendo frangat. interdum quòd ita abundat ſanguis, vt per ſe frangant venam, ſicut in naribus in ſeptimana ſępe bis vel ter franguntur venæ. Sed quã do eſt ex acuitate ſalis, & ſpiritus quoq; venam frangit, habent dolorem in dorſo: & cura eſt, vt mittigetur ſpirit' vrinę per oleum amigdalarũ. Fractionis venæ cura eſt vulnerum potionibus. Sanickel agrimonien &c. Sanies erratica, id eſt, dum calculos mingunt ſæpe, & tribus ſeptimanis nullos poſtea iterum. hoc ex renibus fit, quòd hepar non rectè ſeparet: vrina vitrea eſt, quãdo poſita fuerit in calore, ne corrumpatur per

duos,

duos,aut tres dies, tunc vaſi adhærent parui lapilli:& quando vrina ritè calefit tunc iterum diſſoluuntur: illa eſt vrina vitrea.

Inuoluntaria emiſſio an ſit ex mineralibus,ex ſale minerali,vel ex phlegmate,hoc eſt ex humoribus naturalibus,ſic obſeruādum,vt ſcilicet poſtea ſuam curam poſſis adhibere. Sinas vrinam per duos aut tres dies ſenſim exiccādo,exiccari,in ſubſtantiam ſuam vt deueniat: ſi quod remanet, eſt vt bitumē induratū, & eſt ex humoribus: ſi aliter: eſt ex ſale. Inuolūtaria emiſſio maximè contingit ijs, qui multū de paupauere comedunt: quia faciūt veſicam inſenſitiuam. Nam facit bolum narcoticū, & medicina eſt, quādo quis vrinat cum ardore & dolore,tum detur papauer,& faciet veſicam narcoticam.

Caput II.

DIęta autē tartari eſt in hoc noſtro tractatu potiſſimum & primariū: Nam ſpiritus ille, qui cū tartaro laborat,à ſubiecto debet priuari: proinde hoc ſummū eſt in dięta tartari,quæ ſimplicia cibi potuſq; obſeruanda ſint,quæ

autem ſimplicia de his aduertendum,& ſunt iſta. In primis diçta potus, homo non bibat lacticinia: quia caſeus eſt tartarus alabaſtrinus & incurabilis, viſcus inexpulſiuus. Non bibat agreſten: nam acetoſitas omnis, tartarus eſt reſolutus ex frigido coagulato productus. nec bibat amnes alkalizatos: nam alkali, quòd fuerit in aqua, in tartarum conuertitur & propria ſubſtantia alkali eſt. Non bibat aquas lubricas: quia cum his bolus cum luto partem habet reſolutam: non bibat aquam ſaturneam: quia aqua, quę ponderoſa, ex lapillo reſoluto eſt, ea grauior eſt ſubſtantia lapidis. Non bibat vinum acetoſum, aut feces ponticas cum acetoſitate habens: nam in eo ſubiecta eſt tartari natura per ſpiritum congelãdo. Bibat autem aquam probatam prædictorum expertem, diaphanam, temperatam in guſtu, & vinum huiuſmodi. Nec curet de terræ origine: quia fluminis, vel vini principium ex Ilech, & non de ſuperficie eſt. Sic etiam de cibis, ea quę libera ſunt à reſolutis vtriuſq; generis aſſumenda. Verùm quod genera iſta carnis, leguminum, piſcium, cancrorum, her-

herbarum, radicũ, sunt ex his bolis confecta ex suo primo composito: non aduertẽdum in modum decoctionis, cum extractionis glutinis naturæ de absolutis etiam in potibus nõ puris: Nam absque permixtione existit, sed hæc tollit decoctio.

Declaratio capitis secundi.

CAsus componitur ex sulphure materiali, recipit suã coagulationem ex sale de bolo, id est, de minera & imbri. Nam imbres veniunt ex igne, & omnia quæ veniunt ex imbri intus sunt alkalizata. istas aquas stomachus quidem separat, sed non digerit, & genaratio tartari est ex rebus indigestis. Aquæ lubricæ sunt, quæ in se babent resolutionẽ boli, qui se resoluit, & est cum aqua, & exinde cognoscũtur esse aquæ, quando in stamno exiccãtur, tunc in fine, antequam sit siccitas, faciũt vsneam, & ex ista aqua generatur tartarus: qui non leuiter curatur: quia adest viscositas. Aqua saturnea est, quæ non habet bolum, nec materiam boli, sed est grauis & habet in se multum de substantia salis, & quæcumq; aquæ sunt ponderosæ,

faciunt tartarum in partibus quibusdã: Vina multũ dant aceti & tartari: in Anglia non ideo vina probanda, an libenter acescant. Omnia vina quæ feces faciunt, non bibenda, & formam de mercurialibus: procedit enim omne viscosum ex sulphure albo. Agreste est tartarus acutus lapillatus: quòd procedat omnis acetositas ex salibus de minera vitriolata permixta cũ aluminibus. Amnis alkalizatus, siue aquæducta calces tartarum & per elementa aquæ, vt imbres. Aqua lumbricata, & aqua mucilaginosa, sicut est muscus. Serum separatum, siccus est, & omne confectum, vt de claretis, de potionibus liquiritiæ, vel alijs permistionibus cum saccaro. Aqua catinea, est aqua cœrulea, vt acida. Goppingæ vina pontica, sunt vina de fecibus. Origo fluminis, vel aquę Illechi non est in loco fontis. Decoctio est ista cibi separatio siue digestio stomachi, vt dixi proximè, quòd generatio tartari veniat ex defectione separationis stomachi, vel hepatis. Nũc sequitur diæta. nec ego curo regimina veterum, quia cau-

ſas tartari ignorauerunt,ideo omnis dieta illorum eſt contra tartarum, quæ in ſe habet tartari materiam & virtutem coagulatiuam.Non bibat lacticinia. caſeus venit ex ſulphure albo,& quum venit ad interna, tranſit ad reſolutionem in ſtomacho, &c.Illa reſolutio venit ad membrum per nutrimentum, rurſus tranſit ad coagulationem: ſic lacticinia. Lac eſt ſulphur reſolutum cum viſcoſitate:& cùm ſtomachus ſeparat, non poteſt ita ſeparare, quin coaguletur,& veteres prohibuerunt lac in tartaro,ſed ideo quia oppilat, & neſciuerunt, quòd ex tartaro eſſet oppilatio. Agreſten ſunt potus ex pomis, vel ex berberis.habent tartarum:quia omnis acetoſitas venit ex lapillis reſolutis, ex frigido reſoluto,& poſtea ſe rurſus coagulat. Amnes alkalizati, illæ aquæ ſunt, quæ currunt per calces, & vbi eſt terra alba, & calces ſicut in Anglia,vbi multum cretæ eſt;& illæ terræ, q̃ quoties pluit fumũ emittunt,ſunt terræ alkalizatæ, omnes calcem in ſe continent, & omnis imber amnis alkalizatus. Digeſtio eſt in puro,non in impuro.Vina quæ bibunt tar-

tarosi debent esse vetusta, vt sepărentur feces. Sirupi qui coquuntur & iuleb in tartaro falsa sunt: quia praua materia nõ est bona, .i. aqua ex qua coquuntur: scribi enim deberet, recipe aquam temperatam, &c. Aqua probari debet per ebullitionem vsque ad fundum, item per pondus: ideo ista recepta & rationes sunt ob seruandæ, hordei aut fœniculi, &c. Et omnes syrupi, ne pecces in prima materia, hoc est in aqua, vt sit aqua temperata, id est, primo separata ne adsit tartarus. Mel est de substantia boli, & bolus re solutus & materia viscosa per se, & ipsi vtuntur in tartaro, sed debet præparari. Omnia quæ edimus sunt de materia tartari, & maximè legumina: tamen nostri dicunt, da ipsi iusculum leguminum. In summa, nulla legumina danda in tartaro. sic etiam pisces, carnes, cancri, sunt de materia sulphuris, & cùm veniunt ad stomachum, liquefiunt, postea transeũt ad suam primam materiam, hoc est coagulantur, ideo prius sunt separanda per decoctionem. Potissima cura est in tartaro, vt vis separatiua in stomacho confortetur: quia separatio prior est, dige-

stio

ſtio poſterior. Diçta morborum ex tartaro eſt, vt ſint potus & aqua præparata, quæ nec in ſe habent bolum reſolutum, nec lapillos: illa vitentur, quæ ex mineralibus veniunt: quia tartarum adiuuant, idcirco diçta non ſit ex mineralibus. De coctio, &c. quoniam quælibet medicina debet ſeparari à ſubſtantia ſua, vt virtus ex bugloſſa, aniſo, arthemiſia, debet primùm ſeparari & præparari à corpore & ſubſtantia ſua, quæ in Goppinga multum habet in ſe Saturni, ideò maximè generatiua tartari.
Acidæ aquæ ſunt, aquæ ſaturneæ.

THEOPHRASTI PARACELSI INSIGNIS PHILOſophi & mēdici, liber ſecundus de morbis ex Tartaro in ſtomacho.

Prologus de loco primo, hoc eſt, de ſtomacho tartareo.

EA quæ primi libri Theorica vniuerſalis dedit, in ſecundo hoc noſtro particularíter demonſtrabimus libello. Quos verò morbos dormientes in ſtomacho ex tartaris, in primum tractatum ordinauimus, nunc eorum ſpeciem ponemus ad ordinem, & quæ harum ægritudinū paſſiones comprehenſæ fuerint in ſua diſtantia regionis, & ortæ futuræ diſcretè deinde declarabimus, capitaque ſua ſecundum morborum differentiā ad numerum præſtabimus, & de loco propoſito ſic incipiemus. Diſtātia huius regionis ſuum principium habet à prima gutturis clauſura vſque in ſtomachi emunctorium. Porro vſque ad venas meſaraicas, & quæ in hac regione tartari genera delite-

delitescunt,sunt ea,quæ in sequentibus dicturi sumus.

Libri secundi De Orexe
Caput I.

ORexis oritur à tartaro sua sponte coagulato, comprehēdens totum primæ digestionis locum.Est enim vsnea adhærens materia, coniuncta in panniculis,quasi adusta, cementata, gipsea,decocta,ex tartaris duabus generata,bolo & lapillo,de tribus primis & mineralibus calcedonibus sumptis.Quare vapor resolutus humiditasque adposita,& cùm labefactus extranea madefactione fuerit,aut sal vi dissolutiua resolutus,nunc in ardorem,nunc in intentionem,moxq; in calcis vim transit ab accidente,insuper & sua resolutione.

Signa.

Correpti hoc malo quærunt externū aerem:guttur incalescit,fundum stomachi ardet quousque consumptus fuerit liquor & exiccatus.Mouetur à cibo salso,à fumigatis,à reptilibus,ex vino confecto, à vino mixto altero genere vini, & vini potatu duorum generum.

Curandi ratio.

Resolue vsneam, impinguesce locum & sanabitur.

Descriptio resolutionis hæc est.

Accipe Ladani puri ʒ.

Sacchari candi ʒ.I.ss.

Ambræ grana tria,

Maceris grana sex.

Fiant pillulæ cum aqua mentæ, quarum dosis sit numero tres. Dentur in paroxismo sæpius per triduum & plus.

Alia descriptio.

Cape pirethri ℥.i.ss.

Laudani scrup.ij.

Cretæ marinæ scrup.i.

Seminis fœni græci scrup.ss.

Postquam trita fuerint misce. Dosis à ʒ duabus ad quatuor vsque.

Post ista impinguesce cum descriptione ista:

Recipe olei papaueris ℥.ij.

Hyocisami ℥.ss.

Laudani liquefacti in oleo amygdalarum amarum ʒ.ij.

Misceantur, fiat potio oleata, cuius dosis ab vncia vna vsque ad vnciam vnam & semis.

Capitis

Capitis primi explicatio.

ORexis eſt cum vinum ardore corpus ita incendit, vt homo dicat, bibere non audeo, orexis me infeſtat Secundum genus eſt, cùm ſalſas carnes vel piſces comedunt, & ardor fit in fundo ſtomachi. Tertium genus eſt, quum nonnulli ferinas edunt carnes, & maximè aues, vt turdos, tunc naſcitur ardor in ſuperiori gutturis parte. Quartum, ſi ederunt ſiue biberunt, mane vexat ipſos orexis, ardor ſtomachi per duas horas infeſtat. Aliĳs autem in fundo ſtomachi ardet orexis veſperi, ſiue comederint ſiue biberint. Eſt autem locus tartari à faucibus vſque ad piloron, id eſt, partem infimam ſtomachi, & hi auidè attrahunt aerem. Item in meſaraicis, alioquin non eſt orexia, ſed in his locis, quia ibi eſt prima digeſtio. Illa orexis, quæ eſt in collo inter fauces & iugulum, facilius incenditur & peſſimè ardet: ſi ibi vſnea adhæreat & tartarus, quoties quis infundit & humectat, ardor fit: quia quando nõ eſt humidus, non etiam ardet: ideo quidam dederunt cretam, vt ſic exiccarent, aut teram ſigillatam, bolum armenũ: & ſi-

illa non iuuãt, tunc signum est, quòd est ex tartaro acuto, & cùm tempore resiccat & corrodit. & est incurabilis, nisi sint corrosiones & exulcerationes curantur. Postea est etiam orexis inter gulam & os stomachi, & cùm humectatur, vrit. Si vero in his locis non est, sed in stomacho iacet in fundo oris stomachi, & fumum sursum emittit tanquam calx esset vera: nam calcis naturam induit, & vehementer in gutture fumat ac ardet: cuius cura est panis sancti Ioannis. in medio stomachi non hæret, etiamsi insideat, tum nõ sic vrit. Aliquando verò adhæret in fundo, vbi egressus & portæ sunt ad intestina & mesaraicas, & illam orexim tollit creta, sed præcipuè terra sigillata si non est adulterata, & cum copia edi debet: sic & bolus armenus. In anatomia videmus, quomodo in stomacho adhæret vsnea, non aliter ac si quis cemẽtum agglutinaret parieti. Et in orificio etiam diuersos tartaros intrisencè, & quò candidior existit, eò quoq; acutior. Ex vino maximè fit calx, & illæ pessimæ orexes, quæ veniunt ex cibo & salibus, hoc est, ex salis carnibus & piscibus; nam calcem acutissi-

acutissimam generant. Ex aqua pota nō nascitur orexis, & si vsnea insedit, nō tamen sic vrit. Mineræ calcedoniç sunt mineræ quæ non carent calce: sicut vinum ex terra secū trahit calcē, & pisces quandoq́; ex aqua secum trahunt calcem. & quodcumq; vinū in mensa effusum maculas albas efficit, ab eo tibi cauendum, quia nisi stomachus sit valde fortis, agglutinat calcem.

Vapor resolutus, quia quādo quis comedit, tunc orificium stomachi ita occludit, tāquam homo ollam cooperculo claudit: sed vbi in orificio tartarus est, & per illud porosum vapor penetrat & madefacit, tūc incipit materia calcedonia vrere, & aliquibus incipit à prandio post horam, alijs in media nocte, & excitat: interdum fit quando stomachus bene claudit, & vapor non ascendit, sed natura per se non vult pellere tartarum, & resoluit & facit quasi ictus: & cum sic solutum est & madefactum, tūc vrit, & illi vruntur siue comederunt, siue non: & etiam si bonū regimē haberent, nihilominus vrit ipsos. hoc signum est, quòd seipsum calx & materia calcedonia re-

ſoluat & in hac orexi cura eſt. quę ſequitur in libello etiam cura eſt huius: quia non eſt ex reſolutione propria, & cū per ſe, ſeſe reſoluit, deſtillat in ſtomachū & exulcerat, & facit perpetuum ardorem. Et eius cura eſt, vt incarnetur per thus & incarnatiua aliqui cùm vtuntur, ſic in orexi bibūt lac, & hoc eſt bonum, quòd ſi quis malum vinū bibat, & timet orexen, bibat hauſtum lactis, tunc prohibet aſcenſum vaporis, & madefactionē calcioniæ materiæ.

A cibo ſalſo &c. & maximè à carnib. conditis ſale, non eſt tam malum, fumo induratas comedere: quia per fumū calcenon reſoluitur maxima ex parte: ideo ſi ægroto vis exibere carnem ſalſam, poteris modo paululum ſit fumo excepta facere: quia per calorem ignis reſoluitur ſal ipſum.

A fumigatis &c. hoc propter fuliginē, ſi non optimè aqua ab ea fuerit ablata fuligo.

A reptilibus &c. & maximè à volucribus, quia ſal terreſtre in ſe habent.

A vino confecto: quia quædam vina fiunt vt conſeruentur &c. & omnia vina

confecta orexim mouẽt, & vinum cum alio cõmixtum:quia duo contraria,hoc est duo genera vini,non simul stant,omnesque illi,qui bibunt vina duorum generum,habẽt dolores in stomacho, singulæ vuarum species seorsim sunt colligendę,sic vuas albas per se,& rubeas per se colliges ac exprimes.Sed cura est,non per laxatiua:quia abducũt quidẽ aliqua alia,sad calcenon per ea non abduci potest.Sed cura est, vt vsnea illa siue tartarus resoluatur in aquam, quòd non fit per laxatiua.

Laudandũ est capitale & potissimũ in hoc recepto.Saccarũ & ambra nõ multum prosunt,sed eius descriptionis tres pilulas recipe quãdocumq; orexis vrit & paroxismus est.si tum vstio nõ aufertur,repete denuo pilulas toties,quousq; cesset dolor:Sunt enim sæpiusculè morbi qui respuũt ad tempus medicinã,noluntq; suscipere,nisi in ipso paroxismo, sicuti multoties fit in febri,quę in interpolato,siue bono die,non capit medicinam,sed in malo.Viceriũ, hoc est, panis porcinus,hoc in succo mentæ decoquitur,& per se est efficiens medicamen.

Oleum papaueris fit ex ſeminibus eius: & cum id habes, impone panem toſtũ,qui impoſitus extrahet ſuperfluitates,vtpote aquam ipſam, & quod remanebit in fundo, erit oleum papaueris.in hũc modum oleum hyoſciami fit & corrigitur.Si vlceratio eſt, vt ſi materia corroſit,cura eſt vt incarnatiuis vteris,decoque carnem in cantaro optime obſerato abſque additione aquæ, ponito in balneum maris,& aquam ex carne collectã affunde ariſtolochiæ rotundæ, conſolidę maioris,alchimillæ,pirolę,regalis conſolidæ ana ad placitum, fiatq́; rurſus decoctio in cantaro, vt dixi, tum huius iuris bibat ieiuno ſtomacho, hoc eſt nutriatur mane & ſero eo iure, & accepto medicamine abſtineat ab reliqua victus ratione per tres horas, tum fiat repetitio &c.Optimũ etiã erit remediũ, ſi nil bibat,niſi decoctionem ſerpẽtinæ, quæ cum melle & ſerpentina fit mixta potionis vice: cõſolidatur enim mirificè ſtomachus ex his, præcipuè ſi caro humana loco alterius carnis, vt dixi,accepta ſit.

De compreſsionibus Thoracis.

Caput

Caput II.

FErmè omnia quæ habentur in stomacho mala declinãt in tartarũ genus: plures enim ægritudines sunt varijs nominibus depictæ, quę nihil nisi tartari natura aliud sunt: nos autem sub vno comprehendimus nomine scilicet, de thoracis compressionibus. Est namq; thorax vel eius compressio, morbus stomachalis, procedens ex tartaro resoluto, orexi contrario in forma, qui tollit appetitum comedendi, nauseam cum vomitu facit. Calculi significationes & grãdinum ardorem facit cholicum, illorum reddit dolorem: tremoris in corde principium, mulieribus suffocationem facit, abortum parat, sterilitatem patrat, rumpit digestionẽ, & tres separationes destruit. Tartarus ille resolutus descendit ex calce calcinata transuersa in liquorem.

Signa.

Ex parte prædicta iam sunt signa, & ex parte hæc erunt: inquietudinem in corpore imprimit, vt dormire non possint, morbum interpolatum facit, syncopim gignit, clamores efficit, & sentiunt rem

quaſi cancrenam, pectinis eſt dolor igneus, & quaſi corroſiuus, abundans in ſpiritualibus, & varia non fixa ſigna, ſed etiam adultera, noua & aliena manifeſta occurrunt, de quibus tantummodo vnum inſpiciendum, videlicet, thoracis cruciatus, vel vomitus amarus quaſi felleus, quamuis tartarus eſt amariſſimus, nilq́ue de liquoribus fellis reddit conſumptũ corpus, ſine paroxiſmo hecticam ſiccã. Mouetur autem per ſuum paroxiſmum iuxta Archeitatem tartari: quod incluſa poris eſt & compacta: laborat autẽ natura iſta calceta, quaſi de piperibus ſit in herpeta & prunis perſicis, & cęteris alterius generis corroſiuis, de quibus vide.

Cura eius morbi.

Cura eſt vt tartarus ille reſolutus à loco deſçendat, & hoc per nectaris rem ſuccoſam, abſtineat à laxatiuis, ſyrupis, & à remedijs mũdificãtibus, fel aut alia in corpore.

Nectaris deſcriptio eſt, vt accipias liquoris viticellæ ℥.iiј.

Rubedinis de colchotar ℥.ij.
& potum formes.

Do-

Dosis sit ʒ.ss.in vino bono.

Formula alia.

Recipe succi de suffo ℥.vj.
Laudani præparati,
Olei nucismuscatæ ana ℥.ss.
commisceantur.

Si vrina olebit, erit signum bonum, tumque perge medicina.

Capitis secundi expositio.

COmpressiones thoracis, quòd alij debilitatem digestionis, frigiditatē stomachi, nauseam, appetitum caninum, ardorē stomachi, syncopen stomachi, vaporē fœdum vocāt, vno nomine vocamus: quia ista omnia ex vitio tartari veniunt, & per tartari curam curantur: quocirca vno nomine voco compressionem thoracis, & vt dixi esse orexim ex coagulato tartaro, & esse à faucibus vsque ad mesaraicas, sic compressio fit ex resoluto tartaro. scilicet quando vis digestiua adeo fortis est, quòd vult separare & facit liquorem, & ille postea non expellitur: Nam duę sunt separationes, prima est puri ab impuro: alia est,

quæ separat in liquorem, qui liquor resìdet in fundo stomachi: Duplex est ille, aut tartarus dulcis est, & ibi nō magnus dolor: aut acutus, & ibi magnus dolor- & non cures vomitũ felleum, viscósum, tenacem & amarũ, vel dolorem in dorsi spina, & quando talis vomitus citrinus, viridis & amarus est, est ex felle, non quod fel abundet, aut sit vitium fellis: quia fel per se non edit, nec generat in alio membro morbum, sed ille tartarus, qui est in finibus stomachi attrahit fel, & duo illa aduersa simul esse nequeunt, inde sequitur vomitus. fel enim ex se nō exundat, nec in aliud membrum vadit, nisi attractum, sicut & sanguis manet in suis venis occultatus, & medulla in ossibus. Fel est membrum fixum, & nullum membrum est causa morbi per se alteri membro, ideo ille liquor sic separatus à vi digestiua cum in fundo iacet, & quod vadit ad fellis sacculum: hinc contraria simul stare non possunt, sed de calcinatis, vt aqua fortis, est tartarus, id est amarum & accetosum: sic tartarus est accetosus, vt fel est ros amarissimus: eaque de causa exundat, nec aliã expulsionẽ habet,

bet, nisi vt redeat per viam qua cucurrit tartarus, & fel venit ad stomachum, istic vrit, & extenuantur homines, fiunt dolores in stomacho, est discoloratio, dolor in dorso, compressio in orificio stomachi: sic certum est inditium, fel incurrere in stomachum. hinc fit vomitus, quod fel ingreditur stomachum, & stomachus alienum membrum non potest pati. sic ex felle dicunt multas ægritudines venire, & putant curam esse, vt claudatur fel: ah quomodo debet claudi? si clauderetur, vnde nutrimentum caperet? & cùm fel purgari non potest, quomodo membrum purgemus? Quatuor sunt membra à quibus nihil debet adimi, cor, fel, cerebrum & pulmo, neque his medicina adhiberi debet, quia per se se purgant si quid superfluum est: ideo medicina optima est, vt tartarus in stomacho resoluatur, & per intestina mittatur, tunc fel quiescit: ideo multi sunt qui sic vomũt, & in stomacho dolores habent: illorum cura est vt tartarus abeat. Alij sunt, qui fel non habent in stomacho, & illi dolores non habent in spina dorsi, nec vomitum, sed pati frigus conqueruntur, æsti-

uo hyemalique tempore pelle se tegũt, inditium est tartari resoluti in stomacho. præterea affectus comedendi, quia tartarus resolutus est. non est quod dicas, fluxum ex loco & deorsum motum. Vera cura est, vt stomachus cõfortetur: ideo quando illi veniunt qui dicunt, in thermis fui, purgaui, sed omnia hæc me non iuuant: tunc signum est, quòd tartarus in stomacho resolutus sit, & si lassitudinem conqueritur tibiarum, faciesque discoloratur, fitque pallida, calculus est in vesica. Sed si ita lassitudinem sentiat, & dolores in lumbis ac dorso, faciemq; rubicundam habet, signum erit, tartarum siue calculum in renibus esse: quan alij medici ex palliditate iudicent phlegmaticum hominem, nihil veritatis tamen est, sed calculus impedit, & vomitũ facit: cùm autem vis digestiua separat, & vis expulsiua expellit ad intestina, tunc sunt cholici dolores: quia intestina sunt sensitiua: & quando natura tartari resoluta descendit ex stomacho ad intestina, & statim per sedem expellitur, tunc nihil sequitur post sedem. Sed si accidat post sedem aut in monoculum resideat,

tunc

tunc adhæret:& ibi cura eſt,calidi orbes & elixa fila: ſed quādo ex tartaro eſt iliaca,& quum tartarus ſupra vmbilicum eleuatur,ibi certè fila elixa minimè prodeſſe poſſunt:quia calor non poteſt intrare vſque ad materiam peccantem, & in ſtomacho purgationes dantur,non vt tartarus purgetur,quia tartarus purgari non poteſt,ſed ſtercus,an ſimul velit ire tartarus: ſi verò non amouetur, aliam curam oportet tentare:

Tremor cordis,&c. Cor nō mouetur, ſed iacet in loco,& putatur moueri,& inde fit,quādo fel ingreditur ſtomachum attractum per tartarum, & vis expulſiua non poteſt expellere per vomitum, ſed hæret materia, tunc facit febrim & quaſſat,ac premit ſtomachum, vritq; & paroxiſmus durat quinq; vel ſex horas, & non eſt niſi febris ſtomachi,tamen nō omnia membra quaſſantur,ſed ſolus ſtomachus,& cor non tremit. Cura vna leuis eſt,quod vt febris curetur. Ipſi autem curant,tanquam foret tremor cordis, dant os de corde cerui,corallos, & volūt cor curare,cùm morbus ſit in ſtomacho, & ſtomachus affectus eſt. cor

per dandum, ne quid relinquatur.

Alia descriptio.

R. ſucci de ſuſſo: id eſt, panis porcini vncias ſex.

Laudani præparati,

Olei nucis muſcatæ ana ℥.ſs.

Fiat mixtura. In his rebus non conſideratur gradus vel complexio, ſed arcanum conſiderandum: nam illa pellunt. non hîc valent diarhodon abbatis, diacatholicon. Abſtineat à purgatiuis: poteſt quidem purgari, ſed non cogitet, quòd per illud velit curari morbum.

De febribus ſtomachi. Caput III.

DE febribus tartari omnium inprimis ſciendum, nouiſſe nos alias eſſe quotidianas, tertianas, quartanas, &c. alias itidem locum habere in varijs regionibus corporis: verùm de ijs, quæ in ſtomacho oriuntur, nunc nobis ſermo erit habendus: Cæteras enim vbi digeſtionẽ ſecundam atq; tertiã tractabimus. Porrò de febribus tartari hæc notanda, per oppilationem ſuam & defectum ſeparationis, putredinem, occaſionem

nem quærere. Hæc generatio infectio est aeris: aer ſiquidem perpetuò ſe purum conatur præſtare, contraria & impura ferre non vult. iam ſi ab ipſa fece ſe non poteſt liberare, corpus tremore angitur: nam aer ibi ſentit ſe infici à putrefactione, motum corporis & concuſſionem non aliter atque incluſus in cauernis & impuris terræ poris, terræmotum faciēs efficit, & egreſſum facere intendit. Iam vbi exitum petere incipit pro expulſione, tunc motum corporis per artus, vſq; quo putredo ad locum per egeſtionem deſtinetur, calor ſequitur, qui cauſam accipit poſt vires contrarias. Totum enim corpus incaleſcit, & locus putredinis dolet tamdiu, donec natura ab aere ſe quietam experitur: huius aeris elementi infecti, principium omnium febrium (ſi non in ſtomacho, tamen alibi) ſimiles habent naturas. Quare tempora paroxiſmi, in quotidiana & cæteris conſidera diligenter.

Signa.

Harum febrium ſigna ſunt, compreſſio in ſtomacho, nauſea, vapor fœtidus, debilitas capitis, omniū membrorū di-

ſcoloratio, ſomnus narcoticus, tremor fortis,& ex tartaris croceis mouetur mania, etiam per tartarum frigidum potatum.

Curandi ratio

Duplex eſt huius cura: purgatio ſine digeſtione, deinde pillulæ de laudano adminiſtrandæ ante paroxiſmum: De quibus purgationibus hoc notandum, quòd omne euacuatiuum debet eſſe nõ tantùm deorſum,ſed etiam ſurſum. Hæ purgationes cum vomitu debent eſſe arcanum non humorales: Eſt enim tartarus iſte ſubiectum in arcanis ſpecificũ, ſicut centaurea, helleborus & præcipitatus,ſyler,pulpa,coloquintida, & ſic de cæteris.

Deſcriptio pillularum laudani in iſta.

Accipe Laudani ʒ.ſs.
Rutæ,
Abſinthij,ana ʒ.I.
Theriacæ optimæ, quantum ſatis erit pro incorporatione. Doſis grana quinque,nec vltra.

Nectar quoque in prncipijs harum febrium adminiſtrandum eſt cum vino corre-

correcto & claro contuso ad cyatum perfectum.

Explicationes capitis tertij.

FEbrium tria genera existunt in stomacho, hepate & renibus: nūc de febribus stomachi: Putredo tartari sunt feces tartari: nam illa quæ in tartarum non transeunt, in feces abeunt, in quibus prima generatio febrilis, & febrium primum principium: aer autem corporis est internum elementū & perfectum, hinc infectio eius est à vaporibus de fecibus ex tartaro, generalis ista generatio infectio est aeris, ista infectio est causa paroxismi. Omnis paroxismus febrium tremor est & motio aeris: motio ista est elementata, sicut traditur in capitulis de motionibus terræ. Mundificatio aeris periodum habet, periodus illa ex febribus non est, sed de fecibus sumptis, non secundū naturam elementi: nam feces digestionem periodicā habent, id est digestiuam: Hæc in capitulo de fecibus. febres ex fecibus tartari sunt, fex & tartarus differentiā habent. Intus

de reſolutis non coagulatis &c. Declaratio primi in reſolutionibus tartari, hîc non dicit, ſed quòd non tranſit ad coagulationẽ, de iſto hîc dicitur. Et omnes febres ex fecibus tartari veniũt. i. ex iſto tartaro, qui non ſinit ſe coagulari, fit febris, inde aut in ſtomacho, aut hepate, aut in renibus. & non curãda ſunt genera, ſicut quartana, quotidiana &c. Ideo feces, quæ non veniũt ad virtutẽ expulſiuam, paroxiſmus autẽ ex vapore iſto tenui, qui ſe inſerit aeri, qui in nobis eſt, & in nobis quatuor elementa. Ergo vbi aer noſter ſic infectus eſt, nõ poteſt eſſe mũdus. ideo vbi ſe mundat, facit talem tremorem, & tandiu vſque dum conſumitur vapor: & ſi aer non eſt tam fortis, vt poſſit pellere infectionem, iterũ deſcendit in ſtomachum materia putrida, & premit: ideo nonnulli dicunt, non me conquaſſat ſed premit: Quando ergo ſe vult mundare aer, concutit corpus 3. 5. 10. vel. 12. horas, tremorem ſequitur calor, quia aer per iſtam motionem accẽdit ſulphur & ſpiritum ſalis &c. Quòd autem veniat tremor vno die, & altero non, & poſtridie redeat, veteres dixerũt quòd

quòd phlegma, cholera & melancholia conueniant eo tempore, & faciant tremorem: nihil eſt. Hoc certum eſt, quòd feces veniant ex putrefactione, ſed humores non putrefiũt in vllo morbo, niſi in lepra: ſed putrefactio eſt ex fecibus, feces ſunt in digeſtione ſtomachi, epatis & renum: in ſtomacho minor eſt calor, in epate maior, in renibus maximus. quare autem concutit hodie corpus & cras non, & cur ſuam habet periodum: quæ cauſa eſt? Quia feces quoque digegerunt, ſicut ſtomachus, aut epar digerit. Ideo quoties hæ feces incipiunt ferueſcere, vapor aſcendit, & inficit aerem, inde tremor: nam eſt in fecibus vis digeſtiua. Si ſunt feces ex mercurio, eſt digeſtio fecum in die mercurij: ſi ex ſalibus, alternis diebus eſt digeſtio, ſi ex ſulphure tertio die, & inde eſt paroxiſmus: & ideo nihil eſt, quod illi cauſantur ſanguinem, ſentiunt phlebotomia curari: item quòd dent frigida, vt melonem &c. & volunt calorem infrigidare, quòd nihil eſt: nam adeſt quidem calor, ſed hoc ex fecibus. Feces quę veniunt ex mercurialibus, habent ſuum paroxiſmum quoti-

dianum: nam indies habent ſuam digeſtionem, quia nulla arbor vel aliæ res ſunt, quę ſingulis annis ad minimum ſemel ſua non eijciant excrementa, ſic & feces ſuas digeſtiones: interdum paroxiſmus errat, & hoc eſt, quod digeſtio errat. & ſciat medicus, febres non eſſe ex humoribus, & debere purgari. humores non purgantur, & quilibet humor manet in corpore, in ſuo loco, & nõ pellitur, ſed feces peccãt. Tremor eſt quaſi terręmotus, & non poteſt fieri ſine aere, & quia aer non poteſt ſtatim penetrare foras, inde tremor: nihil eſt quod dicãt, melancholia & phlegma certãt inter ſe. eſt pulchra phyſica, certè digna, vt in mania pingatur. Ita in peſte aer externus non inſicit, etiam ſi ſis in loco, vbi quis infectus peſte moritur. verũ eſt, ille aer, qui ex patiente mortuo ſcilicet infecit meum aerẽ in me: nam quando quis moritur, primò elementa diſcedunt ab eo, & iſte aer quærit exitum, inde vlcera &c. Boni vapores ex iuniperis non valẽt in peſte, quia natura attrahit bonum aerem, qui ſibi placet, & ſimul etiã innatum &c. De febribus ſi eſt in ſtomacho

poſſum

posſũ dicere, eſſe ſtomachi,& quotidianã,ſic hepatis ſi in hepate,& quotidianã renum: febris erratica inde, quòd ſæpe feces mercurij,ſulphuris & ſalis commiſcentur: inde variæ digeſtiones, & varij paroxiſmi: putrefactio tartari non eſt febris, ſed quum tranſit ad digeſtionem, tunc eſt febris: nam ex digeſtione fit vapor, & inde aer inficitur: feces ex mercurio in digeſtionem facinnt in vigintiquatuor horis,ex ſulphure ter vigintiquatuor horis.

Signa febrium.)Primo ſcire debet medicus, an febris ſit in ſtomacho, hepate vel renibus, & iſta diſcuntur per ſigna. Ex ſtomacho eſt, quãdo febres habent, non tamen ratione febris ſitiũt ſi etiam incaleſcunt, attamen multum non bibunt, ſed in hepate eſt magnus calor, quia ibi ſanguis: tunc multum bibunt &c.Compreſſio ſtomachi eſt, quum pigri & adeo difficulter & tedioſi progrediuntur, vt vix pedes attollore poſſint, aut os aperire, adeo pigri & deſides ſunt,quòd ſignum eſt in ſtomacho eſſe: nam in hepate & renib.ſunt agiles. item quando dicunt,olfacio meipſum,vel vi-

deor mihi dura comediſſe oua, ſignum eſt ſtomachi. Vomitus, nauſea ſunt communia ſigna ſtomachi, hepatis & renũ: ſed eſt etiam ſciẽdum, an ſit ſalis mercurij, vel ſulphuris, vel proprij ſalis: quoties vinum non libet bibere, & antea libenter biberunt, illud ex mercurialibus eſt: Ex ſulphure quando vomunt, & nihil ferè præter ea, quæ comederunt: qui ex ſale proprio habẽt, non quidem vomunt, ſed orexim habent. curam ipſi ponunt, quòd debeamus digerere. obſecro quid volumus in febribus digerere? quum ſit putrefactio, putrefactio antea digeſta eſt, quòd natura prius digeſſerit eam: quia omnis putrefactio eſt digeſta, ſed ad purgationem accedẽdum. Quando autem volumus purgare febres, tranſeundum eſt ad arcana, & imperiti in illis melius ſciunt purgare febres, quàm doctores. Centaurea eſt, quæ purgat febres, quia ſolùm putrefactiones purgat: ſic cataputia, helleborus, præcipitatus, illa purgant febres. ſtulta ſunt illa, alephanginarum arabicarum &c. & ſi ſanãtur, natura per ſe putredinem expellit. Poſt purgationem confortatio danda.

danda. In febribus ſtomachi nullus perfectè curatur, niſi ſenſim per vomitum, quia per ſeceſsũ illa natura ire non vult: humores non purgantur: quando aer infectus eſt, & putrefactiones pulſę ſunt, aer purgari debet, vt habes deſcriptionem in libello. Nectar quoque quod fit ex correcto & claro vino: correctum eſt ex vino rubeo, vel nigerrimo, quod coagulatur: clarum ex albo eſt. etiam in febribus adhibere ſcarificationes in ſpina dorſi, & minutionem ſaluatellæ, non reprobo: quia vbi ſic ſanguis per motionem accenditur, vt aperiatur, bene fit, ſed quòd ſic hæc curentur, non eſt verũ. Etiam ſigna febrium ſunt rigores, quoties horrent non aliter, ac ſi pungerẽtur acu, ac horror corpus penetrat, quod ſignum eſt, febrem velle diu manere: item aliquibus ſignũ febris futuræ. maior corporis languor.

De lapillo inteſtinorum.

Caput IIII.

TArtarina coagulata apud inteſtina, deſcendunt ab excremẽtis, ſed quæ operationes in hiſce oſtendunt, ab ijs dolor originem ducit, de quibus

contrarietatibus, torsiones & tormina innaturalia crescentẽ flatum accipiunt, & talium est rei quoque oppilatio (quæ constipatio olim dicebatur) siue per vsneam huius intestini, siue per grandinẽ, siue lapillum, & hoc iuxta quantitatem collecti: morbus iste tartareus intestinorum, non tantùm suo membro, sed tanquam egestu repercussionum & in stomacho nocumentum facit, orificioq; & confineis suis: nam constipario è lapillis aut generibus suis, quæ facta est ex egressu, prohibet salem: prohibitio autem egressus nauseam facit ex repercussiuo, & hoc in principio clausuræ, & instrumentorum suorum: quare in hac parte de stomachi proprijs doloribus, ne dolor stomachi accidentalis, iudicio falso proprius stomachi esse iudicetur, sed locus causæ præstetur, scilicet intestinis.

Signa.

Torsiones in ventre absque contractura, & tormina prætereuntia, non fixa, constipatio excremẽtorum, aqua fellea per os, vel lucida pura aliquoties, sentiũturq; ac durities apud intestina, nodi & quasi ficus, ventositates, & similitudines mouen

mouentium,quaſi viuentium vermium & ſacci repleti,vel ſimilia, tumor aſcly-tis ac tympanitis fit, & omnes dolores horum.mouetur à vino acuto,à legumi nibus,à frigore externo, & per ſe indies cum quotidianis ſuis paſſionibus.

Cura.

Cura alia eſt reſolutionis, alia carminatiua Reſolutiua cura hæc eſt perfecta: carminatiua in accidentalibus valet.car minatiua fit per diacyminum, reſolutiua altera hyemalis, cuius formula ſic ſe habet.

R.aquæ de fecibus vini ℥.vij.
Tartari communis ℥.vj.
Mumiæ ℥.ſs.
Mellis deſpumati & colati, quantum ſufficit. fiat mixtura in forma electuarij.Doſis eſt à ʒ.iij.vſque ad vij.

Altera æſtiualis quæ recipit
Maſticis,
Been albi,
Bezuar vniuſcuiuſq; ℥.ſs.
Seminum anethi,
Carui,
Amomi, ſingulorum ℥.i.
Succi limonum quantum ſatis erit

pro incorporatione.formentur boli.Dosis drechma dimidia.

Vſus quotidianus ſuccorum ex limonibus,aut arcanis impedit generationẽ huiuſmodi tartari in inteſtinis, & generatum reſoluit:debent tamen reduci ad quartum gradum ſpagyrorum.

Commentaria capitis quarti.

TArtarina ſunt iſta, quæ deſcendunt ex ſtomacho & ſpiritu coagulato cum corpore ſicco: corpus ſiccum eſt corpus de humido coagulato, vel ſicco reſoluto.Flatus corporis eſt flatus generatus ex frigore periodico. Frigus periodicum eſt,quod temporale ſiue æſtiuale eſt,aut hyemale:& cura eius periodica,ſicut in capitulo de tempore periodico.Regreſſus autem eſt morbi conſtrictio contra emunctorium, ad primum principium faciens regreſſum: Corpus ſiccum fert duos morbos. Humidum coagulatum eſt lapillus in inteſtinis, de quo præſens caput tractat. ſiccum reſolutum cholicam ſeu cõtracturam facit, & hoc caput pertinet ad tartarum in ſtomacho:ſed ſi ſtomachus ex tartaro non

corrum

corrumpitur, quod ſtomacho nihil adhæreat, ſed ſeparat rectè purum ab impuro, & fert ad inteſtina, in inteſtinis illis inter ſtomachum & longaon adhæret: ideo habent tartarum de tartaro ex ſicco coagulato: itaque in inteſtinis, vt in ſtomacho, poſtquam primo ſtomachus ſeparauit, mittit etiam ad inteſtina: ipſa inteſtina quoque intra ſtomachum & longaon ſeparant ad ſeceſſum, & vim habent ſeparationis, non quòd ſeparent purum ab impuro, quia omnia in inteſtinis ſunt impura, ſed ſeparant materiã à ſtercoribus: ſtercora ad longaon mittunt: de alio nutrimentum ſuum habẽt: nam proprium nutrimentum habent inteſtina: reliqua enim membra omnia per totum corpus ab epate ſumũt nutrimentum, ſola inteſtina inde non accipiunt nutrimentum. & quia à nullo mẽbro poſſunt habere, neque ab hepate neque renibus, vt in anatomia eſt videre: ideo oportet vt ſtomachus cum impuro ſeparato quoque inteſtinis ſuum nutrimentum mittat: ſicut à puro reliqua membra nutriuntur, ab impuro inteſtina, ſcilicet ex ſtercoribus ſuccum ſibiac

commodum attrahunt,vnde pinguedines,quæ solent ab intestinis abradi, etiā in pecudibus & homine attrahunt:item separant intestina solùm,non digerunt. Posteaquam illud egressum fuerit quod intestinis bonum est, quod nutrimentū est eorum, tum reliquum est stercus, sicut vinum euaporatum fit statim acetū, & materia non curat,sed vadit per egressum:ideo vbi à stercore intestina non bene separant suum nutrimentum, fiunt ægritudines,& si nimiùm attrahūt,morbi quoque inde fiunt, & lapilli nascuntur:vbi ex stomacho,sulphur, id est,stercus expellitur:si in eo est salis vis, tunc lapides generat, & fit inde constipatio, vt excrementa eijci nequeant, sicut Duci à Landshut euenit. habebat in intestinis lapidem, &c. vt materia neque sursum neque deorsum ire potuit, sed similis erat lapidi scissili.Dicebant ex auro comesto esse,sed nihil est:quia nullum metallum adhæret, non vadit in substantiam, aut digeritur,præter ferrum: quod cùm bibitur,limaturæ scilicet ferri bibitæ coagulantur, & faciunt dolores intestinorum,&c.ideo quando in intestinis fit lapis,

pis, non generatur ex offis aut carnibus, aut aliis cibis, sed debet singulare quoddam esse, scilicet, si quis multum vtatur medicina, vt est aurum potabile, luna soluta, limatura martis, dulcedo saturni, extractio cupri, iupiter calcinatus, sic chimolea, asphaltum, marcasita, antimoniū &c. Illa si danrur in medicinis, coagulantur in intestinis: nam non manent in stomacho, neque ad hepar transire possunt, ideo ad intestina vadunt. Nullum metallum vsurpari debet, nisi fiat medicina, & præparetur. item perlæ resolutæ, hiacinthus, saphirus, &c. non satis est quòd soluantur in aceto, quia ad primā naturam transire, id est, regredi possunt: ideo vsurpanda non sunt. De his ergò malè scripsit Vlstadius. Vbi ergo generatio lapidis incipit, primò flatus & vētus veniunt, & ille ventus habet suum proprium tempus, vt si nascitur in æstate, habet suam curam, si in hyeme, suam curā: vt si quis in autumno plus sentiat flatus aut torsiones illæ certè habēt generationem lapidis & curas, & curari debēt per medicinam autumnalem vel hyemalē: & si in vere, per medicinam æstiualem.

Porrò & aliæ ægritudines inde fiunt, ex lapillo ſcilicet, quòd inteſtina conſtipet, & fit vt ſtercus rurſus aſcendat in ſtomachum, inde fœtor oris, & ſtercus per os egreditur, quod certiſſimum ſignum eſt eum adeſſe, quia lapis conſtipauit. Sæpe fit, quòd per purgationem violentam materia expellatur aquoſa, quia tenuis: ideo etiam penetrat, & hoc ſignum tartari, ſed materia ſtercus non tranſit, ideo ſignum ſit lapillum generari. Quando purgatione ſolùm aqua egreditur, tranſit, quia propter lapillum non poteſt materia ſtercoris tranſire: præterea qui tormina ventris ſentiunt, & balneis vtuntur, nec tamen per ea contrahuntur, ſignum eſt lapilli in inteſtinis. Tormina ſcilicet cum dolore dorſi, ſignum eſt lapidis, & ſi inungatur cum oleo oliuæ, vel camomillino. ſi tranſeunt tormina, & tamen dolor dorſi manet, eſt ſignum lapidis. Similiter conſtipatio, vt in octo diebus vnam habeant ſedem, & poſtea in tribus diebus non: & omnes qui ita conſtipati ſunt, vt conquerantur, ſe non poſſe ſedes habere, ſignum eſt lapidis ſiue tartari, & non eſt quod dicas,

ſtoma-

ſtomachum non poſſe digerere, & eſſe frigidum: nihil eſt, ſed lapis eſt. Adhæc quando aqua fellea cum egeſtione, id eſt, quando in ſuperiori parte flaua eſt aliquantum, ſignum eſt lapidis, & quòd proximè apud ſtomachum locum habeat, & eſt collectus, durities & nodi in ventre, quaſi quis tangendo ſentiat apoſtemata, vel puſtulas & verrucas lapidis: id ſignum eſt: & non eſt quòd dicas ſplenem eſſe obduratum: item ſi in lateribus fiunt roſiones quaſi vermes eſſent, ſignum eſt non lapilli, ſed grandinis. & quoties huiuſmodi roſiones fiunt ſolent porrigere ſeminis ſancti: & eſt malum medicamentum, quia ille puluis ſæpe generat vermes, & eo mouentur. Ruminationes ſi fiunt in ventre, ſignum eſt tartari vel lapidis: vinum acutum ſi bibunt, lapillus mouetur. legumina faciũt ventoſitates, quia venti exire non poſſunt propter lapillum: inde fiunt tormina. eodem modo quum languidi dicunt ſe ventoſitates ſentire in ſuperiori ventris parte, ex lapide eſt illud. Cura carminatiua eſt per dyaciminum: per clyſteres non debet fieri, ſed carminatiua cu-

ra non tollit,nisi accidentalia. Si torsiones ventris,vel ventositates & ruminationes quodam sono existant, prosunt aquæ de fecibus vini.Aqua de fecibus vini fit ita:feces postquam vinum sublimatum est ab ijs extractum proijci debent in ignem & calcinari,vt fiant cinis albus carens posthac omni fumo. Deinde cinis hic,in humido loco positus,resoluitur in aquam:non est cura melior in intestinis contra lapidem, & omnes eius generationes: ea quoque limonum in quartum spagyricum gradum reductus, multum prodest: similiter succus de arancijs, nisi quod reduci ad quartum gradum spagyricum potest.omniaq; remedia quæ posuit Auicēna in cura morborum ex intestinis nihil sunt,nisi carminatiua:sed dixi duplicem curam esse.

De cholica & iliaca,contracturisq́;.
Caput V.

CHolicæ & iliacæ morbus est intestinalis, sumens initium à tartaro resoluto,pontico & pontagio, habet locum per vniuersam regionem intestinorum:ponticum autem pontagiumq́·
centrum

centrũ morbi occupat,& non diſtãtiam vniuerſi inteſtini. Eſt enim centrũ morbi paruũ in pede, verùm natura ſenſitiua cũctum circulum aſſumit cũ dolore. Igitur non materiæ reſolutæ, ſed loci ſenſibilitati vitium attribuitur: materia vero ex tartaro acuto eſt diſſoluto apud inteſtina ex pontico ſale exorta, contrahit per ſtipticitatem innatam, torquet ex ponticis zinziberatis. Ex his autem duobus aſſignatis cholica & iliaca ſecũdum locum, diuiſim recipiunt cauſam ſuam, videlicet per ſtipticum & ponticum. Quòd ſi fuerit generatũ hoc paruum,& reſoluatur,in cholicam abit,aut iliacam grandiſſimis torſionibus & cõſtipationibus:nã illud ea ratione, quòd ſint natura ſtiptica, quæ claudit monocolon & inteſtina, ſtercoraq; in aerem vertit, & inteſtina lædit vagando: & ſi jam morbi tartarus ille reſolutus conſumptus non fuerit, nec expulſus, quòd in ponticis & contrarijs non eſt vis expulſiua & in ſtipticis, imo potius eam corrumpit, deſtruit excrementi egreſſum:vnde poſt iſta, ſi morbus fuerit extenſus ad membra per regreſſum reper-

cussionum, hinc inde in loco suo, tunc aer de stercore, tribus primis sumit generationem: aer verò ille, nil nisi planè acetosus obambulans vltra intestinorũ loca, videlicet in stomachũ, à stomacho in fel, in hepar, deinde per venas: à venis ad carnes externas, ab his ad ligamenta, in quibus contractionem facit, sicut stipticum acetosum & pontagiosum: nam contractura nihil est aliud, nisi infectio membri ab aere intestino de tartaro resoluto producta: nam ille penetrabilis est, & subtilissimus, facilè relinquẽs post se vitium acetosum & stipticum, ex quo contractio, carnisque consumptio exoritur. Omnis autem dolor huius morbi nihil est nisi tartarus resolutus, in aerem conuersus, cum substantia & corpore transmutatus in ventum, vti de sulphure exemplum habetur.

Signa.

Torsiones vẽtris, dolores spinæ cum constipatione, compressio thoracis, vomitus felleus, amarus, nausea in comedendo, vox exigua, membra minima quasi mortua, insensibilia motiuæ virtutis, punctiones per membra vagantes:

mo-

mouētur à ſtipticis & pōticis, ſiue ex cibo potuq;,vel ex balneis,aut ex retētione fecum,& huiuſmodi alijs.

Cura.

Arcana huius curæ ſunt in pinguedinibus, & oleis,& axungijs,ſine additione aquarum: oleum datur ſtatim venenatis:ſi comederit,bibat illud:ſi vulnus, adhibeatur butirum,vel oleum:pinguedines verò debent reſpondere mumiæ. olea maiora proſunt, alia non. Quòd dixi de contractura, maximum eſſe in cura cōſiderandum de medicina ſtiptica & pontica,& illud quod in ijs duabus ſpeciebus acetoſis exiſtit, nempe, quòd illa,quæ ſunt contra naturam ſtipticam, & pontagioſam, ſunt de pinguedinibus ex arcanis: nam pinguedines (& ſi non omnes) in contractura ſuo tēperamento abſque dubio ſaluberrimæ habentur. Et licet in medicina plura ſint aduertēda de generibus remediorum, attamen in vera medicina, vnum eſt conſiderandum,quòd eſt in hoc morbo potentiſſimum, taxus videlicet & vulpis. Sed quid nobis de particularibus, vnum & hoc potentiſſimum de Galbaneto, &

aliud de ſerpentina, pro exterioribus: pro interioribus nihil exiſtit violentius iuniperata & oliueta: adhuc verò vnum eſt omnium efficaciſſimum, quod abſq; admiratione vix creditur, liquor ſcilicet auri, & mumiæ: nihil autem ſcribimus de clyſterijs, quòd apud nos viliſſimum, abſurdum, atque turpiſſimum exiſtimetur: nec etiã de laxatiuis aliquid ponim⁹: quia laxatiua cõſumunt mẽbra & deoppilant, quod malum eſt. Augent enim corpus in contractura generatum: eligimus verò nil, niſi arcana præſtantiſſima, & apud ſpagyros laudatiſſima, nẽpe liquores de auro, mumiam atq; ſerpentinam Bemontis: licet iaſſa magnarum ſit virtutum, tamen gradum ſaltem primum attingit.

Sequitur Vnguentum penetrans ligamenta.

Recipe pinguedinis taxi.

Vulpis, abiectis fibris, ſingulorum libram mediam.

Olei de maſtice ℥.iiij.

De ſpica ℥.1.

Aceti ʒ.iij. fiat vnguentum cum diſſolutione.

Galba-

Galbaneti descriptio.

Accipe olei oliuarum libram,
Laurini quadrantem,
Resinæ de botin lib. iiij. fiat destillatio per alembicum: Deinde recipe huius Galbaneti lib. ij. quas iterum destilla per alembicum in modum balsami.

Aliud de serpentina.

Accipe, serpentinæ Bemontis lib. iij.
Olei oliuæ lib. vij.
De papauere ℥. iiij.
De spica ℥. ss. reduc in balsamum.

Diaiassæ egregiè valens in contracturis procedentibus ex ira, serpentis instar.

Accipæ, Iassæ lib. i.
Olei de botin lib. ij.
Masticis ℥. ss.
Gummi hederæ ℥. i.
Gummi helenij ʒ. iij. Reduc ad balsamum.

Capitis quinti interpretationes.

Pontagium res est mixta ex pontico & amaro, vel stiptico & pontico, sicut in aceto, in acatijs & similibus: nũc de ex tartaro resoluto morbis. Vnus

& idē morbus eſt iliaca & cholica, & ſi ipſi diuiſerunt, idē tamen morbus eſt, & conſiſtit intra ſtomachum & monocolon, & in cura vnus idemque proceſſus eſt. Quod ipſi dicāt, cholicā eſſe ex cholera, ac vrere & pungere, nihil eſt: nam etiamſi cholera veniat ad inteſtina, tamen cum ſtercoribus exit, ſed potius nō eſt cholica aliud aliquid cum pendet in inteſtinis, niſi tartarus reſolutus: ille facit tales dolores: ſi in ſuperiori parte, iliacam: ſi in inferiori, cholicam. idem eſt vtriuſq; principiū. Hic morbus cholica, eſt morbus contracturæ: Cholica & iliaca non ſunt propriè morbi, ſed ſolùm principia contracturæ: ideo capitulum eſt de cōtractura non de cholica, vel iliaca, vt ipſi diſtinxerunt. Hic morbus ideo cōtracturę dicitur, quòd finiatur in cōtracturam. ſicut principia lepræ, etiam lepram dicimus, id eſt, non appellatam proprio nomine: & principia febrium, febres, quia finitur & clauditur re quæ morbus debet ab ea appellari. etiam ſi hîc contradicant authores, non refert, quia eorum receptam cholica & iliaca eorum quoque errorem oſtēdunt. Niſi curam

curam eorum cōtracturæ accipias, tum cholicham etiam curabis. Laxatiuis nō abiges cholicam, nisi tartarus sit tam facilis resolutionis, vt per se abeat: ideo tartarus est acutus, qui cholicam facit. Itaque cum contractura sit verus morbus, in contractura procedere debes. Punctiones quæ sentiuntur, non sunt morbus, sed signa & principia contractionis. Nam etiamsi foris membra non sunt contracta, tamen intestina cōtracta sunt, maximè quum conquerendo clamant. quia intestina contractionem patiuntur, ille morbus solùm est in intestinis, & incipit in intestinis, etiam si nondum venit ad extrema: ideo prima cōtractura, id est cholica, est in intestinis & curatur, si vis pōtica & stiptica & tartari stiptica tollitur. cholica siue iliaca dici debet prima cōtractura: in cōtracturis, vel in cholica in intestinis morbus exiguū spaciolū occupat. & hoc est certum, vbi guttula tartari adhæreat, nos ignorare locum, nunc in superiori nunc in inferiori parte intestinorum est. quocumque guttula cadit, efficit dolores, ex minutissimo tamen loco. Quandocum-

que tartarus resolutus vnius pisę magni tudinis adhæret intestinis, tunc intestina sunt tam sensitiua, vt hoc sentiant, et si in paruo exiguo loco sentiuntur, tunc tamen vbique per totum vẽtrem quem totum commouent: ergo ad quid ego propter paruam guttulam clysteria infunderem? quid iuuaret? fortasse guttulam non attingerem. interdum clyster quidem dolorem sedat sua vnctuositate, sed tamen morbum non tollit: ergo paruula ista gutta debet à medico considerari, vt vis stiptica põticaq; eius tollatur: ideo medicus propter guttam illam, non debet stomachum, omnia mẽbra, totumq; corpus purgare, sed potius morbum ipsum. Quid enim hæc gutta ad stomachũ aut hepar, quum talis fiat contractura? summa est ille tartarus, qui adhæret intestinis, in illo stipticitas est, acetositas, & vis pontica, vbi adhæret, ibi totum ventrem perdit. Et quemadmodum tartarus mẽbra ad se trahit, sic spasmus à se extendit. Ita tartarus est illud stipticum, quod est in illo tartaro, & contrahit non aliter atque pruna sylue-stria os, & pontica vis, quæ est in illo tar-

taro

taro dolorem facit. Dolor itaque venit propter ponticam vim, contractio verò propter ſtipticam vim:nam pontica vis dolorem, ſtiptica verò contractionem inteſtinorum facit: inde etiam ventus, dolor eſt & morbus, qui poteſt dici cholica, propter locũ, quòd colon cum hoſpitio accipiat, alioqui non eſt, niſi contractura: poſtquam contractio venit, dolor pungit, & contrahit, & non ſinit ſtercora exire, ſed repelluntur ſæpe, & quum illa ſtercora exire non poſſunt, deliteſcunt, hærent, & conſumuntur, & mutantur in aerem, id eſt, ſtercus exire non valens tranſmutatur in aerem: aliud corpus, mutat aliud corpus in aerem: ſunt quibus alui obſtruuntur, multas habent ventoſitates, ſequitur conſtipatio: Ergo nunc quum corpus ſtercoris incitatum eſt in aerem, quomodo per laxatiua aerem purgabis? ideo laxatiua & colocynthis non purgabunt hoc, quia non eſt amplius ſtercus: igitur iſte aer, qui ex cõſtipatione ſtercoris cauſatus, non tranſit per purgationes, ſed alia conſiderare oportet: præterea ſtercus non exit niſi per virtutem expulſiuam, ſicut nec vri-

na per se exit, sed per virtutem expulsiuam. si stercus illam nō habet, non egreditur, sed vbi stipticum est & pontagiosum, ibi non est vis expulsiua: ideo pontagiosum est tollendum. tum persæpe stercora exeunt, quia expulsiua vis redit, quod vnicum & potissimum est in cholica, vt per se stercora vadant: stercus ergo quod transire non potest propter stipticitatē, cùm sic in intestinis est, & mutat se in aliud corpus aerem, tum tartarus ponticus contagiosus ascendit, & misceetur illis, & separat se ab intestinis, & transit in aerem stercus, id est secundum corpus stercoris, idest, cùm sic intestina excitantur vt per balnea, tunc aperiuntur intestina & meatus: nam per balnea, pori & intestina deoppilantur, tum ille aer transit ad stomachum, & inde ad hepar, & postea se extendit ad omnia membra: ille aer siue ventus vadit ad omnes poros corporis, & facit contracturam membrorum. primò in stomachum vadit ille aer mutatus, scilicet ex corpore stercorum, vocem constipat, vt fiat exigua magis, post ad alia membra & carnem transit, & mutat eam in spongiosā: deinde

deinde apprehendit ligamenta: ad ligamenta quum venit acetoſum & ponticum: quia prius in primo corpore, id eſt, dum tartarus in inteſtinis adhærebat, fuit ſtipticitas, ponticitas, & pontagioſum: ſic in ſecundo corpore, id eſt, aere, tunc fit contractura. Quid poſtea proderit purgare & laxare? poſt ligamenta tranſit & penetrat oſſa in medullam, vnde oriũtur iectigationes. Ita ergo vbi tartarus adhæret, torſiones adſunt, & contractio inteſtinorum: poſtea vbi ſe reſoluit, fit aer, & hoc maximè per balnea, quæ reſoluunt omnes poros per totum corpus, & vbi cholica eſt, id eſt, cõtractura interna, tunc aer aſcendit ad alia mẽbra, vt ligamenta, & externam facit contracturam. Sic & ita in cholica prohibita eſt, quia ita deoppilat ſicut balneũ, neq; adhuc probatum eſt, quòd ira veniat ex felle, ſed dico iam, quòd ita deoppilãtur pori, vt ex balneo: & ſi quis ex ira contrahitur, oportet vt prius cholica præcedat, & antea habitet: Nam nullum membrum ita mouetur ira, vt ſtomachus, & cogit ſtomachum, vt expellat aerem iſtum (de quo dixi) in reliqua membra,

vnde contractio. Nota in balneis consulendis obseruandum. Sunt fluxui obnoxij, ne consules vt lauent, quia poros omnes aperiunt, sed si quid foris aperiendum, vt exhalet ex cute, &c. tunc consule. Quidam solùm manibus contrahuntur, & hoc ideo, quòd sæpe oppilationes in ligamentis existant ex tartaro, vel alia causa, & quod ita non potest aperire vel soluere balneum, tum illud membrum non contrahitur: nota, sanguis accenditur per aerem, de quo supra ligamenta caro, &c. Dulcia sunt, quæ si acetositas inuadit, corrumpũtur: aliqua in ligamentis dulcis est, itaq; per ponticũ & acetosum corrumpitur: ligamenta habent dulcedinem, & quam diu seruant, bene se res habent: sed quando perit, & accedit acetositas, actum est, nec membra amplius moueri possunt, sed contrahuntur. Cura ergo est, vt acetositas pellatur, & dulcedo permutet in ligamentis. non est quod purges: nam sapores membrorum obseruandi sunt: sic sanguis salsus esse debet, fel amarum, caro, ligamenta & splen dulcia. Quodlibet membrũ in suo esse seruari debet, & non vult suũ

saporem

ſaporem corrumpi: ſi ſit, deficiunt.

Signa.

Sæpe torſiones in ventre & pedibus ſunt, & quando ſedes habent torſionib. tunc etiam torſiones abeunt: hoc non eſt cholica, ſed quādo torſiones ſunt cū conſtipatione, ſignum eſt principij cholicæ: & dorſi dolores, quia compatiūtur, id eſt, illa membra confinia ſunt. Compreſſio thoracis, quod ſignificat, cholicā eſſe fortem, & aſcendere in ſtomachum, vomitus felleus, quoniam abundat felle ſtomachus (atque in ſtomachum incurrit aer) mittit ſtomachus ad fel: fel autem non poteſt pati ſuum corrumpi ſaporem, ideo expellit & fit vomitus: Et quando valde frequenter vomunt, ſignum eſt perfectè cholicæ. Amaritudo oris, nauſea comedendi, hoc non eſt ex debilitate ſtomachi, vt nonnulli dicunt, & non opus eſt confortatione ſtomachi: ſed materia peccans, ſcilicet ex iſto tartaro tollatur. Vox pauca, & quando organa vocis corrumpuntur, tunc ſignum eſt occupari membra, quia aer incluſus, qui adeſt, vi aſcendit, & oppilat meatus, & implet vocis organa exulceratione:

meatus maiores obſtruit: quia organa vocis triplicia ſunt, & ille aer maximè maiora oppilat & comprimit, non tamē contrahit, quia ligamenta non adſunt: vel potes dicere, quòd cōtrahat tanquā inteſtina,& non refragatur:ſignum quoque eſt brachiorum inconſtans motus: deoppilant ergo & reſoluunt balnea, & ita tertium eſt per purgationes, quibus ſcilicet faciunt materiam redire in ſtomachum.

Cura.

Heri dixi,curam eſſe vt tollatur ſtipticum & acetoſum,& ponticū,tunc cōtractura iliaca & cholica tollitur: clyſteria laxatiua nihil hîc faciunt:ſed ſpecialia arcana curant cholicam.Frigidum vel calidum,vel complexio non curat:ſed arcana cholicæ vel contracturę latent in pinguedinibus & oleis:per ea curantur contracturæ & ſpecies eius: reliqua,vt artemiſia,pulegium, abſynthium, coquuntur & applicantur,imponūtur ventri, & dolorem tollunt non morbum: ſed tollere morbū medicinæ eſt.Tria enim ſunt quæ faciunt morbum ſtipticum, pontagioſum & ponticum,vel acetoſum: ideo illis

illis oportet occurrere. Tartarus est causa morbi, prima scilicet: sed nihil est, quod compescere possit tartarum præter pinguedines & olea, sicut venena bibita. & bibitum oleum post venenum haustum, venenum submergit & supprimit. Quemadmodum etiam in exterioribus partibus, quando corrosiuum applicatur venenum, vt arsenicum, & nimium agat, nihil melius est quàm in vulnus infundere oleum vel butyrum, vel quicquid pingue est, tũc illud venenum suffocatur, quod chirurgi ignorãt: ideo sæpe homines occidunt corrosiuis talibus. sic quoque illa stiptica pontagiosa ex tartaro veniunt, & tartarus comprimi non potest, nisi per oleum: nam vbi oleum in intestina venit, tartarus se ipsi miscet, & abit oleum, & morbus compescitur: sed non omnia olea ad hoc prosunt, vt de paruis seminibus oleum, papauer, &c. non facit, sed de maioribus, vt de lauro. Multum habent aquositatis olea in paruis seminibus: quemadmodum oleum non assumit aquam, id est non miscetur illi, sed supernatat, ita ille tartarus resolutus non est, nisi quæ-

dam oleitas,& vbi aqua eſt,non commiſcet ſe:ſic etiam pinguedines, vbi veniũt ad inteſtina attrahunt ad ſe tartarum reſolutum,& commiſcentur ei qui non eſt niſi oleitas acida,ideo miſceri debẽt:ſed hoc fieri oportet ſine aqua,quia oleum, vt videmus,nõ ſe miſcet aquæ: ideo Hollandi rarò laborant eo malo,ſemper veſcentes butyro. Quum igitur ſic miſcentur,faciunt ſedem aut vomitum:ſi vomitum,tunc tartarus altè iacuit. Hoc dictũ de primo morbo, id eſt, de cholica, ſeu prima cõtractura, & prima generatione tartari. In ſecunda contractura,ſiue generatione, quando aer diſperſus eſt: & quia aer eſt vnctuoſus, ideo pinguedines& olea vſurpanda ſunt, quò aer ſe ipſis miſceat,& reuertatur ac redigatur in oleitatem: inde fit etiam, quòd pingues non contrahantur, quia pinguedo illa non ſinit vt contrahantur,niſi vinũ ſit tam plenum,vt in Tirolenſi comitatu & vicinia,quod vocãt Traminder. Ideoq; in ſecundo corpore, id eſt, redacto in aerem, vſurpandæ pinguedines & olea,vt aer acetoſus,iſtis ſuffocetur, quia omnis aer acetoſus illis ſe miſcet. Pinguedo

guedo taxi & vulpis bona sunt medicamina: nam taxus in se habet pinguedinem, quę nonnihil respondet pinguedini humanę naturę, nisi quòd sit nimium detorta, & crassior quàm nostra pinguedo, sed non nocet: ita hæc duo sunt mumia quasi tecta. Ideo in Italia pro cõtractura bibunt pinguedinem taxi, etiam si valdè ferinum habeat odorem, qui est sanitatis signum: sic & pinguedo vulpis ab extra applicata non ab intra, quia non bibitur. Et omnia quæ instar vulpis rufæ naturæ sunt, vt etiam gallinaceæ, multum de mumia habent: ideo etiam præparatum quoque bonum est. sed nihil de istis particularibus, id est, multa sunt alia, quibus vtũtur, verùm ista præcipua sunt taxus & vulpes.

Sequitur descriptio.

Recipe pinguedinis taxi,
Vulpis ana lib.ß.
Olei de mastice ℥.iiij.
De spica ℥.i.
Aceti modici. fiat vnguẽtum cum dissolutione, acetositas tamẽ inuidet renibus: cur igitur acetum addis? ideo quòd ducat cætera ad ligamenta. & pin-

guedo taxi quoque foris inungitur, & valet ad extenuationem membrorum. Bona quoque est felina & canina pinguedo: quæ sunt coloris ruffi, & naturę vulpinæ: Summa, non est melior medicina in contractura omni, quàm Galbanetum (Galbanetum balsamus) qui penetrat venas & ligamenta, cuius hæc est descriptio.

Galbanetum.

Recipe olei oliuæ lib. i.
Olei laurini ℥.iij.
Resinæ de botin lib. iiij.

Destilla per alembicũ, deinde recipe huius galbaneti libras duas, iterũ destilla per alembicum in modũ balsami. Omitti autem potest oleum oliuæ: nam superfluũ est. Ille ergo balsamus de galbaneto sine destillatione nõ potest præparari, quia in botin est vnctuositas, quæ potentissimè ad cõtracturam pertinet: illa non potest alia ratione elici, quàm per destillationem: nam alioquin resina de botin per se non est, nisi quod consolidet: quando autem destillatur, & fit oleum, nihil prętantius est in contractura: oleum quoque laurinum bonum est,

sed

ſed craſſum & indigeſtum penetrare nõ poteſt, niſi ſubtilietur per deſtillationẽ, tum fit penetratiuum: ille balſamus in membris exterioribus contracturã certè curat, quia aer, qui eſt in membris, qui eſt res acetoſa, ſtiptica, ponticaq́ue, tranſit in illam pinguedinem, vel balſamum illũ: quia eſt tã ſubtilis ille balſamus, vt penetret aerem, non ligamenta, & poſtea incorporet ſe in iſtud oleum, vt illa accetoſitas ſic tollatur. Aliud medicamẽ ex ſerpentina, quod generale tamen apud quoſdam eſt, vt omne, quod vulnera curet, ſerpentinam vocent, ſed ego voco ſerpentinam, quæ in Pedemõte in Italia arduo caule, variatis maculis, vt ſerpens naſcitur, & non vidi alibi creſcentẽ: in Heluetia naſcitur herba, habet vnum caulem, vnum folium, in quo eſt lingula, ſed non eſt ſerpentina, quæ contracturam curat: illæ ſerpentinæ præparatæ ad cõtracturam ſunt omnium præſtantiſſimæ.

Præparatio ſerpentinæ. Deſcriptio ſerpentinæ eſt tanquam conſolida.

Recipe ſerpentinę Pedemontanę lib iiĳ.

Olei oliuæ lib.vij.

Olei de papauere ℥.iiij.

De ſpica vnciam mediam. Reduc in balſamum.

Hæc ſunt contra contracturam in exterioribus membris & perfectè curant. Similiter liquor auri, & liquor mumiæ efficaciſſimi ſunt in contractura. Sixtus Groningenſis ſic curauit Laudebergum quinquennio ex contractura laborante, in nouem diebus curabat cum liquore auri: ſic & liquor mumię valet, quòd mumia traſmutata in oleum ſit efficaciſſimum medicamen in cõtractura. De clyſterijs quid dicam, turpiſſimum medicamen eſt. catapútia cocta in ſero lactis valent mulieribus, quum exulcerãtur vbera. Iaſſæ ſunt parui flores in pratis tanquam conſolidæ minoris, flaui, virides, albi, rubei &c. ſed non ſunt aquilegia: illa iaſſa in principio contracturæ remedium ſingulare, & præcipuè mulieribus ex ira contractis.

Eius deſcriptio.

Recipe Iaſſæ lib.1.

Olei de botin lib.ij.

Maſticis ℥.ſs.

Gummi

Gummi heredæ ℥.1.

Gummi helenij ʒ.iij. & ſs. reduc in balſamum, id eſt, deſtilla in oleum. Dicta in contractura eſt, vt moderatè iſtis vtantur, quibus delectantur: nam tempeſtiuus rerum vſus eſt optimus.

AVREOLI THEOHPRASTI PARACELSI DOCTORIS medici, liber tertius de ęgritudinibus hæpatis, ex Tartaro prouenientibus tractans.

De diſtantia regionis hepatis.

Caput I.

REgiones autẽ hepatis à meſaraicis vſque in principium renum, deorſum locum habent: ab vtraque quoq; parte, quæ inter inteſtina & latus locum ſeruant, diſtantiam tenet. In his enim regionibus, horum membrorum origo quærenda eſt, omnes opilationes ſcilicet, cum poris carnium,

venarum, tum & in aeris chaos: nam apud nos medicos, hæc ſunt diſcernenda de oppilationibus, quæ ſubſtantia ſunt, & quæ de aere. Oppilatio quippe duplex eſt, vt in capitulo ſuo de ſequentibus, & quę ægritudines, ſiue de narcoticis, ſiue cicatriſantibus, vltra etiam regionem ſuam, ſcilicet in gutture, huius de generibus ſunt: porrò & quæ ægritudines diſcolorationem reddunt, & ſanguinem calcetum, ponũtur in hunc tractatum, & quę exiccãt, ſitim prouocant, punctiones oſtendunt, ad hepatis dolores referũtur: item & omnium febrium genus nullius periodi exceptarũ. Quòd ſi in ſuis interpolatis diebus aufert nauſeam, tollitque ſitim, ex hepate hanc febrim eſſe generatam. Atque genera hydropiſis, quæ proueniunt cum ſiti inextinguibili, locum ibi & originem ducũt, ea præcipuè, quæ ſunt ſtabilia citra regiones exteriores, ſcilicet hepatis: & omnis mors ſuperueniẽs de cauſa ſciſſuræ hepatis. Nam mors hepatis prouenit ex acutis. præterea in ſequentibus capitibus aduertendum eſt, ne quis ſe ſeducat ex ſententijs ſumptis, ex erroribus

anti-

antiquorum canonum, quia aliter alij dicunt. Alium morbum posuerunt sophistæ, nos autem tartareum: nam tartara hæc faciunt. hoc ex passiuo membro iudicamus, perscrutati sumus exactius, & palam fecimus hoc his, quibus inest tartari qualitas acuti: nam in hepate sicut in stomacho & in renibus, ita iudicandum. Quæ membra sequestrationis sunt, & communia digestiua principaliora non patiũtur, nisi ex tartaro. Quare in his causis morborum præfatis, nihil de quatuor humoribus, nihil de tribus primis sentiendum est, sed ea prorsus, quę sunt de tartaro.

Commentationes in primum caput de hapate.

TRes digestiones sunt, scilicet in stomacho, hepate & renibus: absoluimus morbos stomachi, nunc de regionibus hepatis, qui morbi ibi cõtineantur, nota. Hepar nõ laborat, nõ fouet morbos, sed de morbis dicturi sumus, qui in regionibus hepatis dominantur: Ergo distantia illa, quæ est à stomacho ad hepar, ab hepate ad renes, id est, quæ

intra stomachum & renes sunt, & ab intestinis ad latus regio hepatis est, & omnia ad ipsum pertinent, & omnes morbi ad hepar referendi sunt. Itē quæ inter intestina & latus sunt, ad hepar pertinēt, vel intestina & costas. Hic hepar suos morbos facit, non hepar quidem, sed ei tantùm attribuuntur: hepar per se non habet qualitatem, nō infrigidat, nec calefacit, id ést, non elargitur compressiones & morbos: ideo omnes isti morbi sunt nisi attributi hepati ex tartaro: sic per se stomachus, hepar & renes non faciunt ægritudines, sed tartarus in eis eos causatur. Omnes oppilationes hepatis, siue sint in venis, in sanguine, siue in meatibus qui transeunt hepar (nā venulæ per hepar trasèunt) vel in carne intra costas, vel intra spatium illud hepatis, ex tartaro sunt, & phlegma huc non descēdit: nihil loci hîc phelgmati est, sed omnis regio seruat suum morbum in se, ideo oppilationes hepatis oriuntur in regionibus hepatis, & illic manent, non transeunt in alium locum, siue regionē: sicut & paralysis & epilepsia manent etiam in sua regione. & non est verum,

quod

quod vulgo dicunt,morbos siue humores cadere: ideo quæ alioquin hepati attribuuntur,malè attribuuntur,cùm scilicet morbus,vel oppilatio est in alio loco. Oppilationes duæ sunt, vna in substantia,id est,per substantiam tartari, vt in prædictis dictum est:altera aeris: nam aer transire debet per totum corpus:elementaris aer(vt feruntur in corpore elemẽta esse)debet transire per vniuersum corpus:vbi ergo tartarus obstruit vias, iam aer retinetur,& transit in crassitudinem,id est,in secundam generationem: ille aer quum ibi est,vbi fit resolutio ex tartaro,tam crassus est,vt transire non possit. Omnes oppilationes epatis quæ in lateribus sunt,ex oppilationibus hepatis sunt ex tartaro, & tam spissus aer ascendit & descendit: iam hîc est, iam rursus alio in loco:locum fixum non habet,& illud est oppilatio aeris in regionibus hepatis.Ex illo aere fit pestis,sicut pestilentia:nam ille aer,qui est per se elementalis,transiuit in secundam generationem, & fit spissus: & flatus, qui hinc inde vagatur, & transire non potest,& sic oppilatus facit pestem: sicut & aliàs

dixi, aerem in nobis non externum causari pestem. Bolum armenum ad cor cõfortandum dant in peste, item terram sigillatam, & bene: talis aer quum inuadit hepar, nulla amplius cura est, sed quã diu in regionibus hepatis alioquin circumfertur, non nocet. præterea omnis morbus narcoticus, id est, qui vrit adeo, vt videatur hominem redacturus ad insaniam, sicut brunella, inde fit quòd ille aer cùm per se penetrat, & quòd sibi ipsi faciat exitum, & quòd ascẽdat in altum, & tunc efficit ardorem in collo, & in lingua nigras pustulas, & vbi istud signum est, dico quòd oppilatio est aeris in hepate, & ille inclusus aer in hepate ingressum sibi fecit, vnde colli ardor, gutturis pelliculæ detractio. & est morbus mortalis: quia aer ille est pestilentialis: ideo aqua prunellæ, & illa medicamina non iuuant nisi ad hoc, vt illa membra confirmẽtur & infrigidentur, alioquin cura ipsius aeris assumenda est, & ille aer internus quoq; facit pleuritim, & eadem quæ pestis causa est: ideo omnes morbos, qui palatum & collum incendunt, dicite, ab hepate, non ex sanguine, vel alia cau-

lia cauſa eſſe:hoc propterea,quòd aer illeinclusus exitum fecit,& illi morbi narcotici ſint,qui inflammant homines, vt tandē neſciant quid agāt,id eſt,deſipiūt, & excicatrizantur,hoc eſt, cutis in collo diſcedit.

Diſcoloratio)Omnes qui pallidi ſunt, ex hepate palleſcunt: nam color ex hepate venit, & qui malum colorem habent, indicat morbum in regione hepatis eſſe,& debet ſtatim medicus quærere à patiente,an punctiones in dextro latere ſentiat,& ſic vrinam iudicare, & non eſt,quòd volumus cor confortare, vel ſplenem incuſare:illa omnia non faciunt malum colorem:ſed ille malus color eſt ex hepate,per iſtum aerem: item ſitis innaturalis ſemper ex hepate venit, & quòd diabetica paſſio ſitim quoque excitet, inde eſt, quòd à renibus etiam per hepar tranſit,& aſcendit ad collum: itaque ſitis,prunella & peſtis ex vna cauſa veniunt,id eſt,ex aere illo incluſo, niſi quòd vnus morbus remiſſior altero ſit: nam ſitis in primo gradu,prunella in ſecundo,peſtis in tertio: ſic & febres quæ ex hepate ſunt,ſi poſt paroxiſmum in

diebus bonis,vrina bona eſt, & poteſt patiens comedere & bibere.In ſumma,dies interpolatus ſi bonus eſt,& patientis, vt ſani conuerſatio, non ſitis adeſt,non calor,&c.illa febris eſt in hepate,non in ſtomacho. Febres quòd non ſint moleſtæ, niſi in acceſſione,id eſt in paroxiſmo, ex hepate ſunt,& obſeruãda iſta ſunt: nam authores multa genera,vt ſex genera febrium ſcripſerunt,ſed regiones non obſeruarunt.Porrò ſi quotidiana,& poſt paroxiſmum etiam rigores, ſemper ex hepate.Si autem nauſea,vomitus,&c.eſt ex ſtomacho:ſæpe fit,vt coincidant multæ febres,tertiana,duplicata tertiana,quartana:ſed hoc non curandum medico,ſicut dixi,quæ cauſa ſit,ſcilicet, quòd aer ex putrefactione tartari ſe expellit,& corpus commouet:nam illum aerem natura nititur expellere.

De hydropiſi.) Hydrops quædam eſt in hepate,alia in renibus,in ſplene, ex hemoroidibus,ex matrice,&c. ſignum autem eſſe in hepate, eſt ex apoſtemate, quod ſcilicet ſi quãdo pũctiones in dextro latere ſunt, tunc apoſtema hepatis eſt,non quòd hepar habeat apoſtema,

ſed aer

ſed aer & chaos: quæ circumiacent, faciunt apoſtema in concauitate ventris, in qua viſcera continentur, intelligitur. Hæc de morbis, nunc de morte. Omnes qui laborant ex hepate & moriuntur, habent hepar ſciſſum: hepar enim non putrefit in morte, ſed ſciſſuras facit, & quũ incipit findi, mors adeſt: item ſciſſuris exiſtentibus, ipſi quoque pedes tumentes ſciſſuris afficiuntur, & lethale eſt. Inde ſi fiſſuræ vbi hepar iacet, tunc hydropiſis, quæ eſt ex hepate: pedes quoque adipiſcuntur ſciſſuras, & tum mors adeſt, & tum vrina rubra, mors in foribus. Pudenda ſi in hydropiſi nimium intumeſcant, ſignum mortis eſt: ita etiã in peſte, quando peſtis eſt in regionibus hepatis, & hepar incipit findi, labra & lingua fiſſuras habent, ſignum eſt mortis: ſed ſi dolor in regionibus hepatis permanet, & conpunctiones durauerint, ita hepar non computreſcit, aut alioquin afficitur, ſed ſaltem rimas ducit: nam ſæpe etiam labia ſcinduntur, etiamſi non fiat ex peſte, ſed ex calore hepatis: ita in prunella, quãdo in faucibus nigræ puſtulæ apparent, ſignum mortis eſt: ita etiam in diuturnis

febribus ex hepate, quando post paroxismum adhuc conqueruntur compũctiones in lateribus,& labra scinduntur, signum est mortis. Itẽ etiam qui dicit, ego semper sitiui,& siccitate afficior: stultitia est, quòd volo medicamen contra sitim & ariditatem dare: quia reuertitur, etiãsi semel depuleris: sed ad principium morbi transeundum, quia solùm sitis ariditas,& scissura labiorũ, signum est, quòd magnus morbus sequatur. Nota, oportere medicum obseruare præmissores, sicut est sitis,& alibi spasmus, &c. quæ nõ morbi sunt, sed morborum præcursores. sic sæpe rubræ pustulæ in facie oriuntur, sic habẽtur & in pedibus,&c. & cum tempore per se sanantur,& post aliquod tempus redeunt,&c. solummodo preambula sunt futuri morbi: ita & sitis & siccitas signa sępe hydropisis: ideo talia signa & præambula obseruent, & ex eis iudicent, quis morbus sit sequuturus. Qui præcursores non obseruant, nõ possunt iudicare: nam ex his cognoscere oportet, vt morbum quem indicant præueniamus: sic quòd sæpe dicunt crura intumescunt,& pustulæ innascuntur,& ite-

rum

rum euanefcunt, ac redeunt vnius anni vel dimidij fpacio,&c.hæc non funt proprij morbi, fed folummodo præcurfores morborum futurorum. Quòd nunc velim hos morbos confiderare ex complexione hepatis,vel ex tribus primis, nihil eft, tartarus eft qui hîc peccat, & omnes ægritudines inde veniunt. Omnes ægritudines in regionibus hepatis ex tartaro originem ducunt, non ab hepate, quafi hepar refrigeret aut calefaciat,fed tartarus in caufa eft.

De oppilationibus hepatis.
Caput II.

OPpilatio eft conftrictio pori & fubftantiæ,eftque ea, quæ fit ex conftrictione corporea cum corpore: & eft duplex, vna in circumferentia regionis,altera elementata ab aere fecundum corpus.De prima animaduertendū quòd quæuis oppilatio eft compreffio, fuæ regionis propter fpiritum yleydum, qui cùm egreffum non habet, in feipfo in putrefactionem abit,hocque fine caufa exterioris regionis : fecunda verò eft

pestifera,aerea,nunc pestem,nunc pleuresim faciens,nunc crisim hepatis prępa rans.Hæc sunt notanda,non punctiones & vagationes,sed quæ pestis,quæ pleuresis sunt & crisis. Quia punctiones signa sunt morbi, nos autem dę morbo ipso non illa exilia & parua tractamus. Sed quid pestis?Pestis est aer suæ regionis ex primo corpore generatus, & oppilatus sine egressu de materia arsenicali & opprimothioli: de illo autem tartaro vel locis mutationis dicendum est, qui fit pet digestionem naturæ: nam aliqua ad biennium,alia ad triennium,alia vltrà,alia citrà,alia ad quoduis tempus: ideo quæ de peste sunt scienda, ea sunt, quæ existunt de digesto ex tempore, scilicet hoc tempus vitriolatum,& hoc est, prunella:aliud ogerotum,hoc est pleuresis: aliud arsenicale,hoc est pestis. Quia ibi fundamentum est huius regionis morborum,& quæ de pleuresi,sale ogertino habentur. Nam secundum quod tempus fuerit ogertini salis, pleuresis generatio,id est oppilatio pleuretica: & quæ oppilationes arsenicæ sunt,sunt de peste & quæ ogerti,pleuresis:quæ vitrioli,prunellæ.

nellæ. Hoc ſit apud vos magnificum ingenium, oppilatio quid ſit, & in ipſius materia tres ſpecies eſſe, tempus quoq; alternum, & nouum aereum: ſed quæ ſit differentia in oppilationibus iuxta textum notandum eſt, ex parte ægritudinum differentias, & hoc in textu, tres ex oppilationibus morbi ſuas ducũt origines, peſtis hepatis, pleureſis hepatis, & brunella hepatis: vera eſt peſtis, vera pleureſis & brunella, ex ſuis ſalibus exortę ſecundum digeſtionem. Rationes autem ex metallis habent ſecundum primum digeſtiuum & tempus & minerã. Ex his enim ſumma authoritas & medica maieſtas pro ratione inducitur, & bene: nam idem eſt peſtis & res ſua, idem pleureſis & ipſius materia, brunella & ipſius eſſe, tempus & digeſtiuum, maturatio & trãſmutatio vtriuſque ſexus ſui elementi.

Explicationes capitis ſecundi.

Oppilatio ſic in hepate facit pleuroſim, peſtẽ & brunellã, & ſic cordis oppilatio facit pleureſim, peſtẽ &

brunellam,ſic etiam reliquorum præci-
puorum membrorum oppilationes fa-
ciunt pleureſim, peſtem & brunellam.
Medici dicunt,quòd pleureſis ſit apoſte
ma in prçcordio,ſed nihil eſt.nõ eſt apo-
ſtema,ſed oppilatio fieri poteſt, vt in ma
turatione & perfectione redeat in pri-
mam materiam,& computreſcat,& po-
ſtea fiat.

Signa) Quæ præcedunt ſigna ſunt
non morbi, criſis quoque inde eſt, vt ſi
nunc morbo afficerer,vtpote apoſtema
te mortali,poſt quatuor vel ſeptem dies
ſi criſis vel bona vel mala fuerit,poſſum
inde iudicare,qüid de ægroto futurum
ſit. Circumferentia hepatis, regio eius
eſt:nam incluſum eſt tanquam oui vitel
lus & albumen vndique pellicula inclu-
duntur.Ileidus eſt aer elemẽtalis, in no-
bis eſt ſpiritus,qui tranſire debet in om-
nia membra. quemadmodum in ouo
pellicula totum cingit, ita debet ileidus
tranſire per omnes poros, qui ſi obſtru-
untur,hinc morbi ſequũtur. Oppilatur
autem aer,ſi in iſta regione materia eſt,
vt tartari, ſi illa conſumitur & tranſit de
corpore in aerem, aer ſolum fit: ille aer
facit

facit postea pestē, pleuresim & brunellā, itē crisim: sed si de his tribus rectè scire volumus, de peste, pleuresi & brunella, tria sunt, vnde generantur illi morbi: est spiritus arsenicalis, auripigmenti, & vitriolati, vt in textu: sed hæc tria in tartaro abundant: si ergo arsenicum in peste alicui restet ex tartaro, per vrinā expellitur, non fit pestis. Item si auripigmentū pellitur per vrinam propter emunctorium, & digeritur, non fit pleuresis. Tertiò si sal vitriolatum transit per vrinam, non fit prunella: omnis res continet in se spiritus illos tres, arsenicum, auripigmentum, vitriolatū: qui si rectè digeruntur, nō sequuntur illa acuta apostemata: ita enim res est disposita, vt mineræ omnes in corpore contineantur, & bonum & malum simul commixta sunt, & similiter est in omnibus herbis. quòd verò ex astris sciamus futura, vt pestem, id physicam rationē habet, quòd astronomi præuident pestem, quia nondum sumus separati ab elementis, & omnia elementa mineralia in nobis sunt, sicut in omnibus herbis: quia quicquid terram afficit, aut aquam, ignem, aerem, & ho-

minem afficit, quia quod ipſa in ſe habent, etiã in corporibus noſtris eſt: nam omnia in nobis ſunt, ſic & elementa in nobis: nunc autem quemadmodum, aurum vitiatur & moritur per arſenicum, ita & mineralia omnia quæ auripigmẽtum habẽt, aut alium ſpiritum, corrumpuntur: ita & balſamus naturæ cõſumitur per ſpiritus illos & per mineralia. Oprimethiolim dicitur fumus mineræ: eoſdem morbos habẽt mineralia, quos nos habemus: peſtis nõ eſt aliud atq; aer arſenicalis incluſum in regionibus hepatis, & inde generatus: quando ſpecies arſenicalis ſeparauit ſe ab yleido, id eſt ſpiritu elementali, & ad tartarum ceſſit, tũc eſt natura arſenici vrere, incẽdere ac tumorem facere, ſicut & in peſte fit prime ardor cõtinuus magis ac magis creſcẽs: ſic & tartarus nunc ab arſenico ſeparatus facit paroxiſmum febrilem, venit calor ac frigus & venenũ arſenicale aſcendit, ac in ſuperioribus partibus erumpit quòd ſic fit: venulæ, quæ per corpus trãſeunt, inficiuntur: nam arſenicus accendit ſanguinem ac putreſcit, quum peſtis eſt, intus facit & apoſtemata ſub axilla:

iſtud apoſtema non eſt peſtis, ſed ſimile communi apoſtemati, ideo quòd phlebotomiæ fiant, non faciunt ad peſtem, ſed ad apoſtema, & prodeſt: quia minuit ſanguinem & refrigerat. Præterea pleureſis eſt ſimilis peſti, niſi quòd ſit ex auripigmento, quod ſe ſeparauit ab yleido, & iacet in regionibus hepatis (iacet tãquam ouum in pellicula in teſta, ſed ad ſuperiora aſcendit) & putreſcit: inde punctiones in lateribus, & appetitus comedendi tollitur. Vnaq; cauſa eſt & peſtis & pleureſis, ſed diuerſa materia, quia arſenicus fortior, qui peſtem facit, quàm auripigmentum, quod pleureſim: & ſicut arſenicus extrinſecè corpori alligatus calorẽ excitat, ac nauſeam mouet comedẽdi, ſic & in interioribus: ſic & auripigmentum cum in regionibus hepatis eſt, & hepar inuadit, fit mors, & omnes qui moriũtur in pleureſi, ex auripigmento moriuntur. Sic ſi quis punctiones habeat in ſiniſtro latere, etiam pleureſis eſt, ſed pleureſis ex auripigmento eſt, quod ſe ſeparauit ex yleido. Ita in ſeptem membris principalioribus, vbi peſtis, pleureſis & brunel-

la ex eadẽ cauſa eſt:ſic brunella ex vitrio lo,vbi ſe ab ileido ſeparat aſcendit:ita ille ſpiritus vitriolatus ad collum aſcẽdit, & accendit illud,& tumorem conciliat.

Digeſtiuum tempus) Sicut marchio digeſtiuum tẽpus habuit. Digeſtio eſt, quòd omnis res debeat digeri,id eſt malum à ſe emittere, & in ſuo eſſe manere ſicut creata eſt:& vbi vitiatur,purgat ſe, & laborat vt redeat in ſe. Inde aſtronomi,hydromãtici,& geomantici poſſunt ſcire & prædicare peſtẽ:quia terra, aqua & reliqua elemẽta cum aliquid perdunt ex eo ſtatu,quo creata fuerunt,tunc patiuntur,& nos compatimur,quia purgari debent & digeri. Hoc ergo obſeruabis in ſeptem mẽbris.ſi ſpiritus ileidos à ſe ſeparat arſenicum , peſtem facit:cura eſt quod debeat reſolui, & exitũ habeat ille aer,& diaphoretica debent darí,quæ conſumunt aerem : ſed ſi teſta fortis ita oppilata eſt,vt quemadmodum ſpiritus arſenicalis egredi non poteſt,ita medicina penetrare non poteſt.Ideo fortiſſima diaphoretica in peſte vſurpanda ſunt, vt penetrent. Correctum vinum ardens eſt , quia nullum vinum ardens,

ita

ita ſubtiliter eſt ſublimatum, vt non habeat in ſe aquoſitatem ſeu aquam: ideo poſtquam bene deſtillatum eſt, iterum per alembicum eſt deſtillãdum, ſed media pars duntaxat extrahenda, quòd altera medietas aquoſa remaneat in vitro: aquoſitas enim craſſitudinem facit, vt penetrare non poſſit. Deſtillatę proba hæc eſt, infundatur parum in ſcutellã ſtanneã, ac incendatur, ſi flamma omnia abſumat, vt nihil viſcoſitatis aut pinguedinis remaneat, ſatis deſtillatũ eſt illud vinum: ſin verò pinguedo aliqua relinquatur, iterum deſtillãdum, ac id toties faciendum, donec nihil viſcoſitatis remanet: ſi enim ſic non fuerit præparatũ, non poteſt penetrare: vbi autem ſic correctum eſt, ſtatim penetrat ad membrũ principale, quod laborat, ſiue cor ſit, ſiue hepar, cerebrum &c. & vbiq; quia aperit poros, & ſudorẽ prouocat, & expellit materiam peſtis peccantem quoque ſimul, & eſt optimum cohob &c. Vnam & eandem medicinam bis vel ter adminiſtra quoties morbus non vincitur, & hoc cohob eſt, quod medicus obſeruet: nam nõ ſemel debet medicina admini-

ſtrari, ſed pro morbi vigore medicinā adminiſtrari debet. & pręſeruatiua in peſte dari non poſſunt, niſi ea quæ deoppilant, & illa non ſinūt oppilationes fieri, id eſt vt originem poſſit habere peſtis. Aqua prunellæ valet in peſte, & in pleureſi, ideo prunella detur: quod eſt præcipuum præſeruatiuum, quòd in ſe maximum arcauum habet aqua eius deſtillata. Præterea vbi fit, quòd ſpiritus arſenicalis accendit venas, & facit apoſtemata ſub axilla, non eſt peſtis: ideo ſi etiam apoſtema aperiatur, & pus effluat, ſæpe homines moriuntur, ibi non eſt peſtis, ſed apoſtema infectum ex materia mala: ergò apoſtema eſt, ſicut aliud apoſtema, quod hincinde in corpore naſcitur. Quādo phlebotomia fit, refrigerat ſanguinem quidem, ſed nō mutat peſtem.

De peſte. *Caput III.*

PEſtis eſt ſeparatus morbus ab yleido arſenicali. Arſenicalium genera plura ſunt, nempe tria cineritia, & iſta

tria

tria sunt in mẽbris principalioribus. Est enim pestis morbus simplex contagiosus, per elementorum coniunctionẽ, elementi aeris, & alterius ex aere, per poros cruoris, vel per orificia inferna, aut sublimia ad egressus, & est morbus digesti temporis. eadem ratione digestio separationem facit, separatio autem morbum. Separationis quidem tempus est, vnde tempus est hoc, & hoc quæ composita sunt, & discompositionem habent. Discompositio procedit à primo composito secundum tempus arlatum. Arlatum tempus est sequestrandi cõtra ordinem yleidi: nam iste yleidus habet periodum: periodus est triplex, prima videlicet, secunda & tertia ætas. Primi iuuenilis est, ad statum pertinet absque separatione: Secuuda est morbi, & ad secundam partem mundi declinat & ætatem, affert sanitati cõtrarium: Tertia finis est, & mortem affert: iuxta hanc distinctionem omnes mineræ, spirituumque sequestratio & sani & mali initium ducit. In his enim ętatibus Pyronomus, Hydronomus Geonomus & Augurineus artem quærit suam: inde enim fluxit illud, quod di-

cunt futurum eſt. Ex hoc loquitur dē his,de quibus priſci mētionem nullam fecerunt,parumq́; intelligebant.modus ætatis talis eſt.Diſpoſitum eſt ſeparatio per naturam ab ilech: inde fluit tempus reſoluendi,ſcilicet moriendi,rei per rem,materiæ per materiam, naturæ per naturam,corporis per corpus, per ſpecies,per genera,per ſimiles,vnum poſt aliud vſq; in conſumptionē materiæ primæ in vltimum ens.Cùm mortis ſeparatio incipit in ileida,ſequitur morb⁹: quoniam morbus ſeparationē ſequitur. hæc vſque quo totum minerale conſumptū fuerit,tum & morbus conſumptus apparebit,& non amplius notus medicis: ſic morbi peribunt,ſic mortis genera declinant vſque in curam mortis,ſcilicet vltimam in ente cōſtitutam:iam peſtis, iam pleureſis,iam aliç ægritudinum cauſç & morbi euaneſcunt. Sed quid de temporis periodo dicendum aduerte.ex his ſcire poſſumus quæ ſunt Delphi: Nam ſcimus arſenicum delphinum poſſe ſe ſeparare in ſeptennio in vno loco. ſcimus in alio loco naturam,materiam numerūq; Hæc omnia apud paramira noſtra abſcō dita

dita latent imperitos: nam ſicut flos qui eſt ſpecies mineræ huius arboris, ab alia arbore cadit, inde fructus, inde herbæ, inde locuſtæ, inde arida ætas & conſumpta mortem ſequuntur in fine generationis: ita & iliadus, flores ſcilicet ſpiritus minerales peribunt, ita & morbi & morborum mortes: ſed quid de regeneratione noui maij ignoramus.

Signa peſtis ex terra.

Apoſtema cum peſtilentia primum ſignum terræ.

Ex aere.

Tibiarum hinc inde iactatio cernitur.

Ex aqua.

Sitiunt & potare nolunt, & ipſorum pedes intumeſcunt.

Ex igne.

Indeſinenter dormiunt.

Cura peſtis ex terra.

Accipe radices vngulæ caballinæ vncias tres.

Armellis ſcrupuli ſemiſſem,

Anthos vel anthoſton ʒ.vij.

reduc in liquores. Doſis à granis ſeptem ad quatuordecim vſque.

Ex aqua.

Cape de liquoribus ſambuci.

Anthoris cheirorum ſingulorum vnciam.

De liquoribus cachymiæ,

Corallorum alborum,ana ℥.ij.

De liquoribus ametiſtæ drachmã & ſcrupulum medium: duc in formam potus.Doſis à drachma vſque ad tres & ſemiſſem.

Ex igne.

Accipe de ſpeciebus iringi.

Corallorum rubeorum,

Spodij,ſingulorum vnciam:Reduc ad liquorem.

Cura in peſte eſt diaphoretica & reloſutiua, cuius eſt iſta deſcriptio.

Accipe vini ardentis & correcti vncias decem.

Specierum ducis,

Lithotripon,

Betzuar,ſingulorum ℥.ſs.

Theriacæ alexandrinæ,

Mithridati ſelecti,an. vnciam cum ſemiſſe

ſemiſſe,miſceantur. Doſis eſt vncia vſq; ad vncias tres,pro natura infirmi & iudicio præſentis boni medici.

Commentationes in caput quartum.

DIxi proximè, peſtem eſſe arſenicalem morbum,brunellam vitriolatum,pleureſim ogertinū,&c. Hoc eſt iliadus,quòd omne elementum in ſe habeat ſpiritum mineralem, & ille facit omnes morbos:& niſi eſſet, quòd ſpiritus mineralis faceret morbos, cur herbis & mineralibus vteremur,& morbos curare poſſemus? quòd ſcilicet herbæ ſint mineralia. Si humores facerēt morbos,non haberemus externos humores quibus curaremus: ideo omnia quæ generantur ex elementis,habent in ſe ſpiritum mineralem,qui eſt venenum, ſicut anthos,muſcus,&c.Non eſt tam nobilis res,quæ non in ſe etiam habeat venenū: nam bonum & malum coniuncta ſunt in omnibus rebus quæ producunt elementa: ideo quæ intus ſunt in corpore, ægritudines ſunt:quæ foris ſunt,medicinæ exiſtunt:ſolus iliadus facit criſim,ſci-

licet quando ſpiritus mineralis ſeparat ſe ab iliado, tum criſis incipit. Quare medicum obſeruare oportet, quando incipiat, & cuius mineralis ſit ſeparatio, vt ſciat quàm diu ſit duratura: & non eſt, quòd criſim ex tempore iudicemus. In ephimera eſt ſal acutum, & criſis eſt in nono die, in iſtis nouem diebus criſis aut mortẽ facit, aut abit in putrefactionem: quòd peſtis ſit contagióſa, non eſt verum, niſi hoc ſit, quòd ſpiritus arſenicalis incluſus in teſta membri principalis incipiat & egrediatur, tunc infici aerem exeuntem in nobis, & ſic in nos trãſit: aer externus non inficit, ſed ita aer, qui eſt in patiente, quum rumpit teſtam ſicut rumpit quando mors vincit: & ſi membra inficit, vt per poros ſudor egrediatur, ille ſudor inficit aerem quoque, ideo & aer in nobis inficitur: aerem verò illum, quem attrahimus & reſpiramus, non eſt aer in nobis, ſed eſt elementum externum: ille autem aer in nobis, qui eſt noſtrum elementum, tranſit per vniuerſa membra. Quando pyronomi dicunt futuram peſtem, inde ſciunt, quòd iliadus in aliquo elemento externo vult

ſe ſepa-

se separare, quia videnti in igne separationem alicuius mineralis spiritus, & nos compatimur.

De ætatibus.

PRima ætas est Iliadi, quamdiu est incorruptus, etiamsi homo sit 70. annorum, si non sit morbo correptus est in prima ætate: sed quamprimum ili adus est infectus, tunc secunda ætas existit. Tertia ætas est, quando ad mortem est. In prima ætate non est medicamentum, quia non eget: in tertia quoq; non iuuat, sicut in secunda: sic mineralia habent tres ætates vt cachimia, talcha & marcasita. Quum sunt integra, in prima ætate existunt: quando patiuntur, tunc in secunda sunt: inde iudicium est hydronomo, & pyronomo ex elemẽtis: sic quã do illa patiuntur, tunc dicit hydronom⁹, si arsenicalis resolutio est, tunc pestis futura: si aluminosúm, tunc brunella abundabit, sic de pleuresi, &c. Ideo illi homines, qui abundãt in elemẽto aquæ, illi eo tẽpore patientur, & pestẽ habebunt, cæteri homines non patiẽtur, nisi per aerẽ ex alio homine inficiãtur, sed nõ moriũ-

tur:ideo in aqua ſunt quoq; medicamina adminiſtranda : ſic & Geonomus ex terra,vt cæteri ex aliȷs elementis. Et medicus aduertere debet, quando veniat peſtis cum nauſea & tremore cordis,tūc medicus dicet,elementum verè affici,vbi ſicnon venit,nō morietur ex peſte:per ſe curatur .Duplex mors eſt,ab iliado & ente:cùm ex iliado veniente pugnamus contrà ex ente venietnē nihil poſſumus: verùm arſenicus in prima ætate nō fuit ſeparatus ab iliado:ideo à principio non fuit peſtis:poſtea arſenicus ſeparatus eſt & cœpit peſtis, & adhuc durat.Ideo adhuc eſt in ſecunda ætate, & tandem etiā ſe ſeparabit, & arſenicus prius reſoluetur in iliado,& putrefiet.& tum erit vltima ætas. Nam per ſe arſenicus tandem ceſſabit,& peſtis ceſſabit, & quanto plus fuerit peſtis in aliquo loco, tanto citius ceſſabit: & multæ ægritudines fuerunt apud Hippocratem, quæ ceſſarunt hodie,ſic & pleureſis tardè incepit. Nam quod illi olim vocarunt pleureſim, non eſt ea quam nūc habemus: ſed veterum pleureſis peripneumonia eſt, nō noſtra, ſed inde ex ſale pleureſis eſt. poſtquam

illud

illud sal se prorsus ab iliado separauit,& veniet etiam ad tertiam ætatem, id est, transibit ad corruptionem & cessabit: sic brunella non diu durauit. Incepit dũ suum sal se separauit à suo iliado; fuit antea in prima ætate, nunc est in secunda, diu durabit vsque ad tertiam ætatem: quia vix septuaginta annos fuit. brunella nouus morbus est. Sic morbus Gallicus incepit, quum sal cariosum se separauerat ab iliado: nõ diu morbus ille fuit, est in secunda ætate, & non cessabit, donec resoluetur, & ad tertiam ætatem veniat. sic iliadus facit omnes ęgritudines quum aliquid separat se ab eo. & quando sic rursus resoluerit se, putrescit, tunc totaliter cessat &c. Paralysis, apoplexia &c. non sunt ex iliado, sed veniũt ex elementato: veniunt ex resolutione liquoris naturæ, id est balsami. Omnes cæteri morbi ex iliado veniunt, præter eos, qui ex gutta. Edelphus dicitur, qui prognosticat iuxta naturã elementi, sicut pyronomus, qui ex elemẽto ignis prognosticat: id est, ex carbonibus cœli: nõ debent dici astronomi, qui nihil ex astris dicere possunt, ignorant enim suum nomen.

De tertia ætate) Arbor quæ crescit, expellit à se omnia mineralia quotãnis, vt quum flores reijcit, est mercurius: postea locustas abijcit, & est sulphur: postea fructus, & est sal. Ita iliadum totum quotannis abijcit, sed reuertitur iliadus. hoc in alijs non fit: nam omnes morbi, qui in iliado transeũt ac euanescunt, nõ redeunt, sed mors adest vltimo.

Cura in peste.

Si est pestis ex elemento aquæ, aeris ignis & terræ, id est, si horum vnum patitur, ex isto elemento medicina accipi debet.

Medicamen in peste ex elemento aquæ.

Recipe liquoris sambuci,

Antheræ, floris cheiri ana ℥.I.

De liquoribus cachimiæ,

Corallorum alborum singulorũ drachmas duas,

Liquoris ex ametisto ℥.I. & scrupulum. Reduc ad potum: Dosis à drachma vsq; ad tres & semissem.

Vbi aqua patitur, pestis ex elemento aquæ est, tum nõ debet vsurpari vinum ardens.

In tertia specie pestis, id est, ex terra.

Reci-

Recipe vngulæ caballinæ, id est, nenupharis ℥.iij.

Armellis ſcrupulum medium,

Anthos vel anthoſtum ʒ.vij.

Reduc in liquorē: Doſis à granis 7. vſque quatuordecim.

In quarta ſpecie, ſcilicet ignis

Recipe de ſpeciebus iringij (eſt radix parua, & ſolùm in hyeme naſcitur, longitudine vix excedit articulum digiti.)

Corallorum rubeorum,

Spodij, ſingulorum ℥.1. Reduc ad liquorem: Doſis.

Signa peſtis terræ, id eſt, ex elemento terræ. Apoſtema cum peſtilentia, terræ primum ſignū, hoc eſt, ſi arſenicalis ſpiritus in elemēto terrę ſe reſoluit, & in homine reſoluit ab iliado: ideo ex terra vrere medicaminibus: apoſtema eſt ex terra, quando apoſtema tanquam puſtulæ naſcuntur. Quando autem crura non poſſunt vno loco retineri, ſed vltrò citroque mouentur, tum ſignū eſt ex elemento aeris: quando verò cōtinuè dormiunt, ex igne eſt: ex aqua eſt, quando quis in peſtilentia edit, ſed non vult bibere, & pedes tument, tunc ex aqua eſt:

Secundum illa signa pro ratione elemẽtorum debent medicamina administrari, cuique elemento suum.

De pleuresi. Caput IIII.

PLeuresis est morbus inclusus in mẽbris principalibus: locum habet in regionibus illorum ex oppilatione tartarea sine resolutione, vel per resolutionẽ: & est passio aerea de corpore reducta in corpus ex sale ogertino, ex speciebus pestis & brunellæ.

Signa.

Tremor corporis cum frigido & calido sine multitudine, faciei discoloratio, membrorũ debilitas & inquietudo, calor finalis ascendens, punctura capitis & laterum, præcordiorum, & sub thorace: & vbi passio, vel dolor, ibi regio morbi. Si nulla punctio sentitur nullibi, & tamen reliqua habet signa, erit pleuresis in capite. Dięta non est obseruanda, sed potius medicamenta.

Cura.

Duplex est cura eius, ex tartaro & Syleto. Prima cura.

Dia-

Diatartari descriptio.

Accipe tartari albi lib.1.

Aquarũ vitæ (ex vino rubeo optimo & aqua melissæ, destillatarum) librã mediam,

Baccarum iuniperi,

Florum gamandreæ,

Cichoreæ ana ℥.iij. Reduc in aquam: Dosis est drachma vna ad vnciã mediam in vino maluatico, vel aqua prunellæ.

Si sudorem non prouocarit &c. repetatur diebus singulis.

Alia descriptio diamumiæ.

Recipe aquæ prædictæ lib.1.

Mumiæ claræ & selectę ℥.iiij.

Aquarum prassiæ & menthæ ana. ℥.mediam. Fiat mixtura: Dosis ab ℥. media vsque ad integram: mane & sero secundum cohob morbi.

Descriptio syleti.

Recipe diamumia ℥.vi.

Salium gemmæ,

Colchotar,

Aluminis scissi, singulorũ ℥.mediã,

Aquarum melissæ,

Absinthij, vtriusque tres drach-

mas commiſceantur.

Doſis ſunt grana ſeptem ad quatuordecim vſque.

Alia ſylueti deſcriptio.

Accipe trium ſalium ℥.1.

Tartari vtriuſq; ana ℥. mediam,

Mumiæ electæ ʒ.1.

Aquæ meliſſæ,

Conſeruæ bugloſſę, vtriuſq; quantũ ſatis erit pro incorporatione, deſtilla per alembicum: Doſis à ſcrupulo vſque ad quatuor.

In cura pleureſis in cerebro, hæc eſt deſcriptio.

Cape laudani puri, id eſt, liquor ſeparati, ſcrupulum.

Olei de muſco, grana tria,

Camphoræ, grana ſeptẽ: fiant pilulę cũ aqua de ſpicula: Doſis à granis ſex vſque ad ſeptem, vel nouem ſecundum cohob.

Cura ſpecialis in pleureſi, quæ extrinſecè valet, fit per vnguntum de murmẽtis, cuius compoſitio talis eſt.

Accipe pinguedines murmentorum vncias quatuor,

Olei laterini ʒ.1.

Amigda-

Amigdalarum dulcium,

Laurini, ſingulorum ℥. iij. fiat vnguentum molle ſecundum artem cum modico ceræ, quod adminiſtretur loco dolenti,& non ceſſa vngere,donec punctiones deſiſtant.

Commentarij in caput quartum.

EX iliado omnes ægritudines veniunt,& dies critici hoc probant: in iliado eſt ſpiritus mineralis,& in iliado omnes res, omnia ſimplicia cõſiſtũt, & alia ſanitatem dant, alia ægritudines. Primus morbus qui in mundum venit, fuit ex ſale corroſiuo,& ſimilis huic morbo,qui dicitur ephimera:ſecundus ex ſale vitriolato,qui deſcendit in ligamenta & tamen paralyſim non facit. Sic de cæteris morbis iudicandum: quomodo autem creuerint morbi,inde ſcitur,vt ſciamus quàmdiu ſalia in iliado operationẽ habeant,prima dies morbi,criſis vltima cretica,tempus quod interim eſt, ſtatus dicitur:vltima enim dies, aut ad ſanitatem, aut ad morbũ abit: ſed ſunt multi morbi,quorũ vltimam criſim nõ poſſu-

mus ſcire, quia morte finiuntur: ſic apoplexia & hypoſarcha ſunt, ſuum diem creticum per mortem finiunt: quando enim hepar efficitur, tum mors adeſt, & vltima criſis in morte fit: vbi ergo morbus occurrit, vt eſt hydrops, tunc debemus ſcire, quæ ſalia peccent, & poſtea quamdiu moueāt, & ſic iudicare quàm diu morbus duraturus ſit. poſtremò ſic in icteritia debeo cogitare, ex quo ſale fit: ſi ex ſale ogertino, huic criſis eſt nona ſeptimana, ſi ex ſale ogertino acuto, ſecundo anno primò: ſic ergo debet medicus ſcire, vnde ſit & quādo incipiat morbus, quò dicere queat, illo die morbus aut ad bonum, aut ad malum mutabitur, ſed ſunt morbi, in quibus non poſſumus dicere terminū, vt podagra, epilepſia: Nam finitur vltima criſis cū morte: cum mors adeſt, tum eſt vltima dies cretica: ſic quoq; in generibus febrium conſiderare debeo, an ex tartaro ſit. ſi ex ſtomacho vel hepate, vt poſſim dicere, tam diu morbus durabit, & poſtea vel per ſe ceſſat morbus, vel moritur: reliqua ſalia, vt arſenicalia ſtatim criticantur, vt peſtis, brunella &c. Ideo primò ſcire

re debemus, quis morbus ſit, & quàm diu operationem ſuam exerceat, & quæ ibi ſit minera. In febribus acutis, vt ſynocha ex ſale acuto eſt, & in ſeptem diebus ſuam malitiam abſoluit, poſt in ſeptimo die aut ſigna mortis apparent, aut morbus ceſſat: & vbi ſic dies critici vincuntur, poſtea non moritur, & morbus non recipit augmentum, ſed ſtatus eſt inter initium morbi & vltimum diem criticũ, hoc eſt, morbus non creſcit, ſed permanet in eodem ſtatu, in quo generatus eſt. Quum verò ægrotus magis ac magis ægrotat, efficiuntur maculæ cutis fictæ ſignum mortis: nam morbus ipſe ſic quoque non declinat, niſi poſt diem criticũ, & dum adhuc adeſt, tunc imbecillus adhuc eſt ægrotus. hoc non ad morbũ pertinet: quia ſemel tranſit cũ criticus dies eſt, ſed relinquit imbecillitatẽ, morbus autem non amplius adeſt, &c. & vt dixi, omnes ægritudines ex ſale veniunt: & quemadmodum eſt operatio ſalium & ſpirituum, ita morbi criticãt. Ergo morbus, ſi ex ſale non ſublimiter acuto fuerit, breuiter criticat, ſi ſublimiori diutius &c. Vbi ergo talis morbus offertur, quæ-

rere quando morbus inceperit debeo: si nunc scio, quàm diu adhuc tempus est vt criticet: si non habeo medicamen accommodum, & adhuc quinque hebdomadæ restant ad criticum diem, tunc do aliquid pro forma, quovsque criticus dies veniat, postea per se curatur, quia critica dies liberat, sed hoc in morbis, qui non criticant ad mortem: nam in talibus statim medicamina applicari debent: in exterioribus etiam critica dies obseruatur, vt in noli me tangere, criticat in tertio anno: si in die suo, tertio anno non criticat, nisi varia crisis, prima, secunda crisis, nouus morbus incipiat, id est, vt foramina fiant, tunc incurabile: sic ignis persicus, in primis ardor initium morbi, vbi tumor accedit, secūda crisis: postea vlcera veniunt, & tertia crisis: postea accenditur, & cùm verè vrit & exsiccat, tunc quarta crisis est, & in quarta die criticat, si verè adest, & sese liberat ipse morbus: sin minus, benedictio nō ꝓdest, sed tamē post crisim emplastra applicāda sunt quæ corrosā & œchspharā & putrefactā carnem auferant: si perstiterūt post

post suum criticum diem, non possunt curari,& frustra tentatur. Cancer inter omnes morbos in chirurgia criticat, sed inconstanter

De brunella. *Caput V.*

BRunella est passio principalis cum paroxismo proprio existens in caloribus,ducens originem ex salibus vitriolati contra regionem propriã,& cõtra testem speciei,vna de speciebus pleuresis & pestis cum caloribus vitriolatis.

Signa.

Accedit tanquam pleuresis (quamuis signa verà sint in fine morbi) calor gutturis cum rubedine: Deinde calor persicus cum cœruleo colore mixto nigredini,& calor prunus cum apostematibus vsq; ad extremitatem linguæ cum humoribus adustis.

Cura.

Brunellæ curam auspicare sicut pestis.

Compositio diaprunellæ.

Accipe aquarum prunellæ libram. Laudani puri drachmam mediam, misce,fiat haustus secundum cohob, & gar-

garismus cum mundificatione linguæ, & est vltimum medicamen in brunella.

Explicationes capitis quinti.

ET vt pestem facit sal arsenicale separatum ab iliado, sic ogertinum pleuresim facit in membris principalioribus, & eadem cura est pleuresis hepatis, splenis, cordis, pulmonis: solùm cura pleuresis in capite singularis est, & ab his differt. Veteres dixerunt, pleuresim esse apostema pulmonis: sed nõ est verũ, quia sine periculo maturari non posset. Quia quando in pus transit, si apostema est in hepate, ad mortem est, sic in corde, splene: quia pus illud accendit ac vehementer inuadit, sed pleuresis est, quod ogertinum sal separauit ab iliado, & tartari sal: & si in regionib. hepatis est, est pleuresis hepatis, si in splene, pleuresis splenis, sed pleuresis in cerebro propriam curã habet, & vehemens immediatè efficit fugile, quod fugilatiuum dicitur.

Signa.

Si horror frigidus inuadit cum calore ac concussione membrorum, scilicet quum frigiditas primum est, & post paroxismum calor, qui durat, signum pleuresis:

resis: ideo quando dicunt ægroti, inuasit me morbus rigore, iam verò aduror: pleuresis est, si tātùm semel corpus quassat: nam si bis vel sæpius concutit, febris est, non pleuresis. Faciei decoloratiò quia si quis pallet, facit rubeum: si rubet pallidum, semper per contrarium: calor finalis, qui perpetuò durat vsq; ad mortem, vel neque curatur: & si calor ad caput ascendit, & sentitur in capite, pleuresis est, & puncturæ sentiuntur in fronte & reliquis partibus capitis, & tunc signũ quòd calor finalis ascendit latus, & efficit punctiones in latere: & in quo latere pungit, ibi morbus: si in præcordijs, tunc in pulmone: si in coxendice & pudēdis, est in renibus: si in sinistro latere, tunc in splene: si circa vmbilicum, tunc in corde: si in dextro latere, tunc in hepatis regione. Hæc præcedentia signa omnibus membris principalioribus communia sunt: sed quando infrà non sentiuntur punctiones, sed solùm in capite, tunc est pleuresis capitis. De diæta non est vt simus soliciti, edant vel bibant quicquid libet: abundantia verò nocet, tempestiuitas est obseruanda: sic de cibo nihil at-

tinet quicquid edant, quia omnia in stomacho manent, nihil transit ad membra principaliora: nam in morbis peracutis, & acutissimis & acutis, cibus solũmodo in stomacho manet, nihil transit ad membra principaliora, quia iam stomachus caret vi expulsiua, & hepar ac reliqua membra vi attractiua.

Cura.

Aqua vitæ ex vino optimo rubeo, destilletur, aut vinum ardens, postea aqua melissæ, accipe ad æquales partes, & simul rursus destillantur, & fit aqua vitæ de qua hîc loquimur: ideo si pleuresis adest, tunc eadem cura, si solùm nõ est in capite, & per cohob administranda est medicina, sed obseruandum an morbus alteretur, & quomodo alteretur: sed hîc nihil clysteres aut purgationes prosunt: laudanum purum nõ est, à quo cortices & putamina vel squamæ ablata sunt: sed quando purum ab impuro separatum est, scilicet quod in liquorẽ transeat, sic de thure, mastice & mumia intellige, scilicet purum ab impuro separandum

dum.Brunella, ſigna eius ſunt: primò in faucibus & lingua euenit, poſtea niger color. Tertiò apparent carbones inhære re linguæ: & naſcũtur puſtulæ in lingua & duo vel tres colores ſunt: vera iſta ſunt brunellæ ſigna: reliqua ſigna ſunt, vt in pleureſi & peſte: Cura eſt ſicut in peſte, ſed ſi illa iuuare non poſſent, ſequitur compoſitum vt eſt in textu, lingua abſtergatur ac fricetur panno coccineo, vel aliquo lineo, & fiant frequentes gargariſmi, & poſtea iterum lingua purgetur fricando: oportet bene purgare linguam fricãdo, alioquin lingua moritur: ideo fricare linguam donec ſanguis etiam exeat, nihil nocet.

De hydropiſi. *Caput VI.*

HYdrops eſt paſſio in regionibus hepatis orta ex tartaro aluminoſo ſub primo corpore per reſolutionem propriæ naturæ, deinceps per ſpiritum mineralẽ illius membri, vnius ex ſeptem totius corporis: is poſt reſolutionẽ primã, ſecundam ſequitur: hoc eſt, extrinſecè, vel extra regionem per totum

corpus:ſic & in aliјs membris principalioribus hydrops ducet originē per modum,vt dictum eſt.Propterea ſeptē ſunt genera hydropiſis, quòd ſeptem ſint membra,&ſeptem ſpecies minerales:eſt enim ſpiritus mineralis particeps cum membro ſuo,& hydrops extra membrū de inflationibus capitulum habet, quia ſpecies aut morbus hydropiſis verè non eſt.

Signa hydropiſis ex hepate.

Dolor partis,ſciſſuræ labiorum & linguæ,& ſitis, paroxiſmus longus, tumor in pedibus,præcipuè iſtius lateris, cùm tanguntur ſigna tactus aliquantulum cernuntur.

Signa ex ſplene.

Dolor partis,tumor pedis huius,lateris,punctiones in loco,& prædicta ſigna præter ſciſſuras.

Signa ex pulmone.

Nigredo ſanguinis cum guttis citrinis, aſhma,& anhelitus difficilis, tuſſis cum dolore pectoris & chronico tempore,tumor in pedibus æqualis, fœtor oris.

Signa

Signa ex cerebro.

Grauedo capitis, catharrus, hemicrania cum punctionibus, tumores palpebrarum, & faciei pallor.

Signa ex felle.

Color citrinus, vt in icteritia est, nausea cũ appetitu, vomitus amarus, compressio thoracis, anhelitus durus & asper cum tremoribus & consumptionibus corporis, hoc est, pedes intumescũt & membra cætera corporis consumuntur & arida fiunt.

Signa ex renibus.

Sitis excellẽs, libido cum auaritia, tremor ossei, tumor ossei & testiculorum, erectio frequens, pũctiones spinæ dorsi, membra quasi stupefacta, inferiora & grauiora cum tumore in pedibus.

Signa ex corde.

Debilitas omnium membrorum, tumor partis, consumptio membrorum, tumor vtriusque pedis (& rarò vltra genua) & cętera signa pręter scissuras. sunt & alia genera plura in hydropisi, quæ sunt permixta, videlicet ex duobus mẽbris principalioribus, vt ex hepate & renibus, vel ex splene & corde, aut ex pul-

mone & felle &c.ſicut in cura.

Cura hydropiſis.

Hydropiſis cura ſeptuplex eſt, præter ea remedia,quę dixi in ſuis lectionibus: & primo de cura cordis.

Formula recepti curans cordis hydropen.

Accipe corallorum rubeorum ℥.i.
Mannæ electæ ℥.mediam.
Dialaccæ ℥.ij.
Raſuræ eboris ʒ.v.Reduc in liquorem. Doſis ſit drachma media, aut integra,detur manè &ſero,& deſinet tumor, atque hydrops per vrinā expelletur.Purgatio.nec non prodeſt,ſi ſingulis menſibus purgetur,ſed poſtliminio redit,ſi arcanū non ſubſequatur: ſunt enim recepta aliorum omnia vana.

Purgatio ſic fit.

Cape ſerapini ℥.i.
Throciſcorum ex agarico,
Alandahal ana ʒ.iij.
Diagridij præparati ʒ.ij. fiant pilulæ, pro 3. poſtea ſtatim ſequantur arcana.

Cura hepatis.

Accipe croci martis ʒ.iij
Boli coagulati & aduſti ʒ.ij.

Reu-

Reubarbari ℥.mediam.Fiat puluis: Dosis est vncia: hac vtendo est cura ad septimanas tres.

Cura splenis.

Recipe lapidis lazuli calcinati ℥.iij.
Spodij ℥.mediam,
Mumiæ adustæ ad pondus omniũ: fiat puluis:Dosis à ʒ.v. vsque ad septem: & hæc cura perseueretur in tres septimanas,si sit opus.

Cura renum.

Accipe colchotaris ℥ vij.
Olei vitriolati ℥.mediam: fiat bolus:Dosis est ab ʒ.I.vsque ad iij.

Cura pulmonis.

Accipe melissæ.
Marrubij ana manipulum,
Vini corecti lib.I.
Theriacæ optimæ,
Conseruæ rosarum ana ℥.vi. Reduc in aquam: Dosis est cochlear vnum & prouocentur sudores. Et si primo die nullum sentiat leuamen,iterũ detur,postero die iterum,donec redeat liber halitus,postea cessa vsq; ad nonum semper, vel decimum diem,si tũc reuertatur dis-

ficilis vis ſpirandi, ilico repetas medicinam hanc, nec multum cures tumores, ſed aſthma potius.

Cura fellis.

Accipe carabæ deſtillatę in oleo. Dóſis grana decem, vel duodecim, donec ſigna habeant: nec cures anxiè tumores: nam poſtea ex ſe diſcedent.

Cura cerebri.

Accipe ſibedatæ vnciam, reduc in alcoli: poſtea recipe vnicornu drachmam, & muſci ſcrupulum dimidium: fac puluerem. Doſis ſcrupulus ſit ad duos: detur ad tres vel quatuor dies: & ſi tumor, in facie ceſſet, perge doſi: ſi nõ ceſſet, ſignum eſt, quòd medecina non peruenit ad caput: proinde in modo cataplaſmatis frontiſpicio applicabis aquam vitæ ter in die. quod ſi & tum tumor non diſceſſerit in quinque diebus, lethale eſt.

Generales ad omnes ſpecies hydropiſis.

Accipe tartari rubei lib. 1.

Hyrundinariæ lib. mediam,

Colchothar ℥. viij. ſs.

Vini ardentis quãtum ſufficit pro incorporatione. deſtilla per alembicum.

Doſis ʒ. ſs. in vino maluatico adhibea-

hibeatur manè & ſero, atque ſic pellitur hydrops per vrinam valde fœtidam, nec ceſſetur, donec ſigna cuncta recedant.

Alia cura.

Recipe melois ℥.x.

Seminis raphani vnciã mediam: Reduc in liquorẽ: Doſis eſt drachma vna, & tres aliquando in conſumptionẽ tumoris & ſignorum.

In caput ſextum commentaria.

De hydropiſi) Aliſ hydropiſim ex hypoſarcha fieri, aliſ ex ſiccitate hepatis, & aiunt ad pedes delabi poteſt, ſed vbi nullum alumen aluminoſum, ibi nulla hydrops naſcetur, qualiſcumque fuerit ratio victus. In cuiuſlibet membrorum principalium regione fit hydrops, non autem ex virtute digeſtiua, quandoquidem hæc nullum poteſt generare morbum, ſed fit illa, vel ex natura, vel accidẽtaliter ex tartaro reſoluto. Phtiſis quidẽ, vt hectica febris, ex ſale ſicco oritur, hydropiſis aluminoſo, cui vis penetrandi ineſt acutiſſima: ſiquidem quod ſubtilius eſt, per hepatis regiones ſubinde colatur, craſſa & impacta materia hæc effi-

cere non poteſt. Olea) porro quæ foris applicantur aluminoſa virtute acuti ſpiritus intrant facilè corporis meatus. Sal illud cũctis vniuerſi corporis membris, nõ ſolum hepati ſitim inducit. Proinde radix corporis, cibus & potus omnibus reſpondẽt: ſal aluminis glaucum efficit colorem. Primo reſoluto ſale apparet cineritius color, deinde croceus. omnia ſalia cum luna motum habent ſui augmenti: vnde plenilunium hydropicis ſępe mortem, ſale ad regionem hepatis reuerſo minatur, ac tandem inducit: eius euidẽs indicium eſt vrina rubea, & modicum ſpiſſa & crocea: illud quanto eſt vetuſtius, tanto redditur acutius. Hinc ſuas veſtutate occidendi vires colligit, id fieri videmus, cum ſal illud in alumen ſpiſſum tranſmutatum eſt, cumq́; deinde violenti morſu cutis fiſſa copiam croceæ vrinæ effundit, perpetuus eſt morbus nec iuuat hauſiſſe aquã, vel ad ſummum exiccatio: ille reuertitur, arroditq́; tandem cordis capſulam, ſplenem ſuffocat: alia vi membra principalia non aggreditur: Igitur ſale aut liquore corrupto de vita actum eſt.

De febribus hepatis.

Caput VII.

FEbris eſt calor ex oppilatione generatus ex generatione tartari in re-regionibus hepatis.

Signa.

Tremor durus, lateris punctiones, calor durus & vēhementiſſimus, diſcoloratio faciei, tumor pedum. Si tumor perdurauerit ad tres ſeptimanas, ſequetur alius morbus, aut hemicrania, aut hydrops, aut icteritia. Si vrina ante paroxiſmū, magna oppilatio, poſt verò deoppilationem, nota eſt, febris breuis.

Paroxiſmus inconſtans, nota eſt variæ decoctionis.

In quotidiana, tertiana & quartana ſcilicet ex hepate, vna eſt cura.

Quicquid tremorem cauſat, ex oppilationibus eſt: vnde deoppilatio cura eſt omnium. Oppilatio eſt duplex, vtpote particularis & vniuerſalis.

Omne putrefactum eſt frigidum, inde tremores.

In vrina ante paroxiſmum collecta, oppilationis ſigna videntur, poſt paro-

xiſmum vrina deoppilationis notas indicat. Omnis febris tandē curatur per ſe.

In febribus ante paroxiſmum exhibeatur medicina.

Signa quotidiana.

Pulſus velox, vrina alba.

Tertiana.

Pulſus velox cum vrina digeſta, hoc eſt, cum habente hypoſtaſim.

Quartana.

Pulſus tardus cū quarto tactu, hoc eſt vbi ſani hominis pulſus quater pulſat, febricitantis id temporis ſemel.

Febris cum tremore & calore citam requirit curam.

Membra languida indicant febrem adhuc immaturam curam.

Cura febrium hepatis triplex eſt.

Deoppilatio, mundificatio & reſtauratio.

Deſcriptio deoppilationis.

Accipe tartari liquefacti cum vino & aceto libram.

Oppopanaci vnciam mediam: Reduc in liquorem. Doſis à drachma vna vſq; ad tres ſecundū cohob naturæ. detur ſemper ante paroxiſmum, & ſæpius

ante

ante ſecundum, tertium & quartum. poſtea cùm calores incipiunt, ſequitur mundificatio.

Formula mundificationis.

R. Laudani puri, id eſt, præparati vnciam mediam,

Liquoris corallorum ſcrupu. duos: fiat mixtura, aut formula pillularum cõmunium. Doſis à ſcrupulo dimidio ad integrum: ſi diu duraret calor, in quarta hora iterum detur atque iterum.

Formula reſtaurationis.

Accipe cinamomi,
Mirrhæ,
Mumiæ, ſingulorum ʒ.1.
Vini correcti ℥.ſs. fiat hauſtus: poſt calores dandus eſt ſemel in fine tertij paroxiſmi, & ſi non redierit ſuo tempore, detur tamen nihilominus.

In caput octauum commentaria.

De febribus hepatis.) Febres conſiſtunt in ſtomacho, hepate, & in renibus: Et quemadmodũ in ſtomacho tertiana, aut quotidiana, aut quartana eſt, ita ſimili modo in hepate & reni-

bus,ac venit ex putrefactione tartari,qui vbi vadit ad putrefactionẽ facit paroxiſmum.Illa putrefactio enim tartari,id eſt illi⁹ putrefactionis ebullitio deberet penetrare per poros in vias vrinæ,& cùm vrina exire,quæ ibi oppilatæ ſunt, facit: & inde venit tremor, ſicut olla quæ habet operculum:quando autem feruet, vel operculum decidere debet,vel olla frangitur:ſic in digeſtione materiæ putrefactæ,quændo feruet, tunc facit vaporem ſeu ventùm,& cùm non poteſt penetrare in vias vrinæ ille vapor, facit paroxiſmum,horrorem & tremorem, ſed quando viæ rurſus deoppilantur, id eſt,quando paroxiſmus deſinit, & ſolùm calor ſentitur, nec redit paroxiſmus, ſignum ſalutis eſt,& tunc non amplius eſt tremor,ſed ſolùm aliquis calor: ideo cura eſt ſaltem ex febribus,vt viæ deoppilentur & reſerentur. Propterea in regionibus hepatis, cùm omnia ſint obſtructa & viæ,per quas materia in vrinam exire deberet,occluſæ, tunc feruet materia,& quum egredi non poteſt, facit tremorem,concutiturq; totum corpus, &tremor durat tam diu, donec exitum inueniat

niat,& donec ſeipſum deoppilet,& tranſeat ad vrinam in aquam,& conſpiciantur ſigna,quòd regiones hepatis laborarint.Nota in febribus, quando paroxiſmus ceſſare debet,ſolùm fieri debet, vt per ſe faciat exitum & deoppilet: Sæpe fit,vt aliquot viæ,quæ tendunt ad vrinã, ſint oppilatæ, & tunc medius duntaxat paroxiſmus ſentitur, & interdum interpolatus paroxiſmus eſt, qui octo ſeptimanis ſemel redit ſcilicet inde, quòd iterum prius reſeratæ viæ obſtructæ ſint.
Ergo in ſumma,ex oppilatione venit febris, quòd ille ventus exire non poſſit, & calor venit ex paroxiſmo, & calor deoppilat vias.Ideò omnis febris ſeſe curat tandem,niſi ad ſecundam criſim veniat. Frigus autem & algor ex putrefactione veniunt: quia omnis putrefactio res frigidiſſima eſt.Ideo calor ex putrefactione quando feruet,per ſe res frigidiſſima eſt. Quando alteratur paroxiſmus,inde fit, quòd duplex materia putrefacta adſit, vel triplex, vel quadruplex, & quælibet ſuam habet digeſtionem:vel quòd materia ſit conſumpta,& non tantum adſit quantum in prima

vel quòd materia succumbat:& inde fit quòd cessat,& rursum postea accipit nouum paroxismum, quod sæpe fit, vt etiam in vno tres,quatuor vel quinque paroxismi veniant ex oppilatione. cura est ex deoppilatione. Et præterea sæpe fit tremor, qui frigore incipit,& primò quum videmus, nescimus an sit brunella,pestis vel pleuresis, quartana vel tertiana: & vt certò de his possit medicus iudicare,signa habet in textu.Sciendum etiam medico,quàm diu velit febris durare,& quando cura adhibenda sit, quia sæpe febres non volunt in principio deoppilari & deoppilare, nisi prius materia sit tota putrefacta,&c. nota, illæ febres quæ concutiunt corpus, simul calorem & frigus inducũt,volunt curari:sed quando post paroxismum calor primũ venit,& membra grauia redduntur, tũc signum est, materiam nondum digestã esse,& aliquãdo sex vel nouem dies cessandum est,donec materia digeratur. Quando tremor & calor simul veniunt, tum cura adhibenda est. De diæta nihil disputandum est,sed agendum,vt deoppilatio fiat:quicquid ederit non refert.

INSIGNIS PHILOSOPHI THEOPHRASTI PARACELSI liber quartus, de Tartaro, tractans morborum existentium in regiobus renum causas, signa, & curationes.

De regionibus renum. Caput I.

REGIO renum descendit à prima generatione, hoc est, ab hepate vrinæ vsque ad finem emunctorij istius. Resolutum sal, id est, vrina summum capitale est in his regionibus, & cẽtrum morbi in medio renum. Aegritudines renum sunt istæ, diabete, sciatica, sclirosis, arena, calculus, oppilatio, vlceratio, pus, & sanies vrinæ, lac caseatum, in quod si inieceris coagulum, fit caseolus: & fit separatio si vinum infundas.

De *diabete.* Caput II.

DIabetica passio est sal siccum resolutum & scissum per ingressum acuti salis, positum in medio centri huius membri principalis. Hoc sal est

chronicum permanens & fixum.

Signa.

Sitis cum chronico tempore, dolor ſpinæ, tumores in pedibus æquales, vrina multa crocea & rubicundiſſima, pulſus velox, dolores in ſchia.

Cura.

Cura debet fieri per anodina, quia ſal ſciſſum alias non recipit curas, & ea extrinſecè applicantur.

Anodini deſcriptio.

Accipe de liquoribus papaueris,
Hioſciami, ana ℥.ſs.
Lolij ʒ.1.
Camphoræ ʒ.1. cum dimidia,
Roſarum,
Plantaginis,
Solatri, ſingulorum ſcru. medium:
Reduc in formam liquidam.

Alia formula.

Recipe ſpernioli ʒ.iij.
Olei camphoræ, ʒ.1.ſs.
Fac mixturam, inunctio fiat lumborum mane & ſero, tunc ſitis ſedabitur: deinde purgetur purgatione hydropiſis, ſi pes intumuerit.

Alia.

Accipe electuarium cubebæ,quod exhibe poſtea ad menſem mane & ſero, cum iam curata eſt.

In caput primum & ſecundum libri quarti explicationes.

Diabetica paſſio,&c. Quum ergo vrina ſit de proprietatibus nitri (nã ſic conſiderari debet, alioquin nihil dictum eſt)quod dicunt eſſe colamẽtum:ſed ſciendum eſt,quid ſit vrina, & vnde.Vrina igitur eſt ſal ſciſſum,hoc eſt, quod acetoſum eſt, & eſt tanquam ſal petræ,alumen ſciſſum ex vrina eſt ſalpetræ:Et ſicut ex vrina tormentarij ſalem petræ conficiunt, ita in corpore quoq; fit: ideo quum ſal vrinæ venit ad renes, adhæret tanquam tartarus in vaſe illud alumen ſciſſum, ſpiritus eius penetrat ad renes,& excitat ſitim in ipſis. Nam ſitis ſemper venit ex ſale, ita hoc ſal renes efficit ſalſos.Illa autem membra,quę debent humiditatem habere,per vim attractiuam attrahunt humiditatem, & illa attractio per ſal eſt.Et vbi habuerint hu-

miditatem,contenta ſunt:ſed in renibus illud alumen ſciſſum perpetuò petit humiditatem:ideo homo eo malo laborãs ſatis bibere nõ poteſt,& cùm homo ſemper bibit, nimium humectantur renes, qui non emittunt per vrinam, vt deberent:nam vis expulſiua expellere non poteſt tantum,& ſic totum non tranſit in vrinam,ſed ad reliqua membra abit: inde humor venit,& pedes tument.Aliȷ vocant hydropiſim,ſed non eſt: ſed virtus expulſiua non potuit per vrinã expellere, & deſtillatum eſt per poros carnis deorſum:quia omne graue deorſum, & tument pedes, quia virtus expulſiua nõ potuit expellere, quemadmodum & ijs euenit,qui ſe inebriant: & cum virtus expulſiua non poſit expellere totum, ideo in alium locum abit. Remediũ eſt, duos dies ieiunare,quò vis expulſiua reliquum poſſit expellere:propterea vt dixi, cùm virtus expulſiua expellere nequeat,mittit ad pedes, tumorem facit. Vetulæ & circumforanei repercutiunt cum tumorem, ad renes redit, ac mors adeſt.Diabetica paſſio inde eſt,quòd ſpiritus ſalis renibus inſideat, ac nimium

ipſo.

ipsos sale inficit. Signa in diabetica passione sunt ista, satis cum chronico tempore, id est, si habet diuturnam sitim, & postea pedes tument, est ex diabetica. Item dolor spinæ, & ille dolor in nucha incipit, in occipite punctiones, & vadunt vsque ad coxendices, principium diabeticę: similiter in pedibus tumores æquales, vrina multa crocea, & rubicundissima, hoc est vrina per se russa, & cum imponis ipsi pannum & exiccas, pannus est croceus. Itaque crocea est, quòd croceo colore tingat. Pulsus est velox, & dolores in schia, quasi contrahantur: & quum aliquandiu sedent, ac postea surgunt, dolent, donec aliquãtulum ambularint, est signũ diabeticæ, si etiã sitis est. Cura diabeticæ passionis, per anodina fieri debet: nam sal & alumen scissum mortificari debẽt, sicut arsenicus, qui per se est venenum magnũ, sed iniectus in vlcus & additum oleum, rectificatur: oleitas enim vim eius restinguit, sic & sal hoc restingui debet, & nõ iuuabit refrigeratio hepatis, aut quicquam contra sitim bibere &c. sed sal in diabetica mortificari debet, & anodina

C

foris applicari: nam vapor in anodinis penetrat & potens est, & fit non aliter ac si mercurium crudum accipias ac per duas horas retineas os supra mercuriũ, fumum non videbis, dentes tamen statim dolent ex fumo saltem, & spuere cogit: sic diabetica substantia nõ potest ire ad renes, sed saltem vapores, quos senties cum applicas: sic etiam flores betonicæ hortensis virtutem cum odore emittunt, & quũ exiccati sunt non olent, tum etiam virtute carent. Ita etiam vapor ex anodinis transit ad renes & extinguit, & dolorem salis scissi aufert.

Descriptio anodini.

Recipe de liquoris papaueris,
Iusquiami ana ℥.ß.
Lolij ʒ.1. &c. vt in textu habetur

Alia descriptio anodini.

Recipe spernioli ʒ.iij. & reliqua vt in textu habẽtur &c. Isto liquore præcedẽte debent lũbi inungi ad renes per quinque vel sex dies manè & vesperi, tũc sitis cessat: & si tumor adest in pedibus post inunctionem & sitis sedationem, purga humorem peccantem cum descriptione, quam in hydropisi tradidimus, sic secunda

cunda quoque deſcriptione: pro tertio poſtquã curatus eſt ex diabetica, vel matrice, tum per menſem vnum, duos vel tres vtatur deſcriptione diacubebę, quia tantùm potu hepar & ſtomachus infrigidata ſunt, vt reſtaurentur, & valet deſcriptio diacubebæ.

Quando de receptis loquor, ſemper volo, vt in ſpeciebus purum ab impuro ſeparetur, ideo quod dico de papauere, dico de eo, in quo ſeparatum eſt purum ab impuro, id eſt, papauer pręparari debet, & ſic pręparatum dat liquorem. Iuſquiamum & papauer recipe, ſemen & herbam totum contunde, & pone in ollam vel cantarum bene perlutatum, & ſine bullire in balneo maris, duos, vel tres, vel quatuor, vel quinq; dies, & poſtea cola per pannum, & tunc coque vt euaporet, & accipiat mellis ſpiſſitudinem: iſte eſt liquor de papauere & iuſquiamo & alijs. ſic purum ab impuro debet ſeparari.

De lapide exiſtente in renibus.
Caput III.

PRimus liquor essentialis ex virtute digestiua positus & separatus in partem regionis, morbus lactis est, & lac natum. Hoc lac primum est in digestione renum: secundum est sanguinis: tertium de substantia rei. Lac verè lapidis naturam, & lapidis separationem recipit: inde sequitur coagulũ, luscum, acetosum, coagulatio particularis, & serũ.

Signa ægritudinum lactis.

Sanies vrinæ, pus vrinæ, oleosa consumptio, & vrina colore similis bletæ albæ.

Cura coaguli ad retentionem vrinæ.

Accipe hematitis ʒ.vij.
Boli armeni præparati ℥.iiij.
Dragacanthi ʒ.ij.
Seminis plantaginis,
Lactucæ ana ʒ.v. fiat puluis: Dosis à drachmis duabus vsque ad quatuor, manè & sero: & vrina iudicanda indies, donec appareat sana.

Alia quæ confortat renes.

Recipe gummi arabici dissoluti in aqua rosarum ʒ.i.
Terpentinæ lotæ per aquam plantaginis ʒ.iij.

Succ.

Succi alkakengiæ ʒ.vi.

Thuris albi ad pōdus omnium: cō miſceantur:Doſis à tribus drachmis vſque ad quinque mane & ſero.

Cura luſci.

Accipe terpentinæ lotæ in aqua roſarum vnciam,

Troſciſcorum de thure ſcrupulos duos.

Liquoris mumiæ ℥.& dimidiam.

Liquoris mirrhæ ʒ.v. fiat in modū boli: Doſis eſt drachma vſque ad tres.

Cura alia.

Accipe ſeminis raphani ℥.mediam,

Maſticis ʒ.iij.

Myrobalanorum ana ʒ.vij.

Gūmi arabici diſſoluti in aqua' ſa-hię quantū ſufficit pro incorporatione. formentur trochiſci:doſis drachma vna & ſemis vſque ad quatuor mane & ſero.

Phthiſis, hectica, diabetis vnam iſtam habent curam.

Accipe agarici puri & humidi ℥.I. cum ſcrupulo vno.

Seminis papaueris ʒ.iij.

Hematitis ℥.mediam,

Magnetis, calaminatis ana ſcrupu-

los duos:misceãtur cum succo de limonibus,vel arancÿs in modum electuarÿ: Dosis est à scrupulis quatuor vsque ad drachmas duas, manè & sero ad octo dies,& post annum iterum.

Contra hydropisim ex ista generatione.

Recipe serapini.
Laudani,
Galbani,ana ʒ.1.& mediam,
Lapidis lazuli,
Hermodactilorum, singulorum ʒ. mediam.
Conseruæ rosarum, quantũ opus est pro incorporatione: Dosis aureus medius:si redierit vtere denuo.

In caput tertium commentaria.

DE lacte) Liquores qui generantur in stomacho,id est quod editur & bibitur,in stomacho separatur:impurũ sulphur vadit per excrementa,reliquũ in liquorem digeritur,& ille liquor seruat colorẽ cibi,vt est cibus:ille liquor transit ad hepar, & ibi colorem assumit rubeum.Nam hepar suum nutrimẽtum inde sumit:postquam digessit,reliquum

acc

ad renes mittit. In renibus primo album postea rubeum, & ibi est tertium nutrimentū: sic liquor essentialis est ille, vnde membra nutriuntur: nam eorum, quæ edimus, vnius libræ vix est semuncia liquor essentialis: sic in toto boue vix sunt octo libræ liquoris essentialis. Ergo stomachus facit liquorem, postea hepar at trahit, & separat purum ab impuro, & accipit suam partem, reliquum ad renes mittit. Renes digerunt, & prima digestio est alba, vt lac, quia sulphureitas in liquore: secunda digestio rubea est, pro tertio separat, & inde suum nutrimentū accipit, reliquum per vrinam quoque emittitur: ergo renes in prima digestione, quæ alba est, si secunda digestio non bona, tunc manet in renibus alba digestio. Nam renes habent suum tempus digerendi & operationes centum quinquaginta minuta. prima digestio alba habet. 50. minuta, secunda totidem, & tertia totidem: & tunc venit virtus expulsiua & expellit quod impurum est. si rectè sunt omnia peracta & digesta, tūc bene est, si non, id est, si secunda digestio mala, & non facit suum officiū, tunc ex-

pellit. Si prima digestio est, & secunda nondum incipit, tunc vrinant, & expellitur vrina, vt lac, & est lac. & si post vrinationem proijciatur in illam vrinam coagulum, siue stomachus coagulationis, tunc coagulatur, & in fundo colligitur serum: vel si acetum infundis, fit separatio: vbi tale vides in vrina, iudica secundum digestionem malam esse, id est, expulsum antequam rectè digestum est, & virtutem expulsiuam superuenisse, & expulisse. Ideo non est pus, sed lac, vt dicunt: eiusmodi albam, crassam materiã Hanoniæ apud sarctorem vidi & tenacem. Vidi etiam medicum, qui in quintum annũ lac minxit: & adeo debilitauit eum propter malam secundam digestionem, vt mortuus sit: & quando medicus ille vinum vel acetum in illud lac infunderet, coagulabatur: si etiam duos vel tres dies in vase reliquerit, colligebãtur pingues lactis flores, ita quidem lac est. Lactis ægritudines) Illud sanies proprie est, quum res sanatur & efficit pus: Sanies sponte fluit, pus autem adhæret emplastris, ac sub ipsis est: maximè considerandũ medico, quid sit vrina, & quæ

ægritu-

ægritudines, vnde veniant: sic vrinatur lac ex secunda digestione, quòd imperfecta sit: sic etiam quando secunda digestio bona est, & tamen sal, vel alumē scissum de membris cecidit in centrum: vel quòd sal vrinæ ex hepate descendens præuenit secundum digestionem, & nimis citò se separat, & vrinam secum educit, quæ tunc existit quasi lactis serum, & fibræ commiscentur, scilicet ex coagulo: & si illud coagulum non totum per vrinationem expellitur, iacet in renibus & putrefit, & inde pus mingitur: Hinc cura est, vrinæ succurrere, ne maturius fiat separatio ab hepate, & ne spiritus eius anticipet secudam digestionem, vnde alba vrina, & phtisis sæpe: hæc cura est, vt in textu, Vbi pus, &c. Quando vrinæ pinguedo innatat, aut muscus: dicunt illud esse ex resolutione pinguedinis renum ob calorem, quod verum est in aliquibus morbis, vt in febribus, quòd renes ex calore liquescāt: sed an ex morbis sit, scilicet febribus, an ex musco. proba est, vt tollas ab vrina & imponas asseri, si tunc fœtet vt pinguedo, est ex renum pinguedine: si non sordet, muscus

eſt: Muſcus inde fit, quòd cùm ſecunda digeſtio eſt imbecillis, & prima digeſtio per ſe eſt, vt omne lac habet pinguedinem innatantem, & ſi illam ad digerendam ſecunda digeſtio non aſſumit propter imbecillitatem, poſtea egreditur cum vrina, & in ſuperficie vrinæ apparet, & eſt muſtus: inde fit quòd ſecunda digeſtio pinguedinem non accipiat. Tales vrinæ in fundo minutim habent albam calcem: & vbi illud album exiſtit, muſtus eſt.

Cura luſci.

R. Terpentinæ lotæ ℥.1.

Trochiſcorum de thure ſcrup. ij.

Liquoris mumiæ vnciam vnam & ſemiſſem,

Liquoris mirrhæ ʒ v. fiat in modũ boli. Doſis à drachma vna vſque ad tres, mane & ſero. Hæc medicina adminiſtrãda eſt tam diu, donec nulla pinguedo amplius inſit vrinæ, & nulla calx alba amplius in fundo inueniatur: ipſi putant quando calx alba, ſiue arenula alba in fundo eſt, calculum in veſica eſſe: ſed nihil

hil eſt, quia oleitas in ſuperficie, & arenula alba in fundo muſtus eſt.

Bletæ.) Sæpe vrina coloris eſt albæ bletæ, & quādo eleuatur verſus lignum vel murum, vt communiter examinando teneri debet, non verſus cœlum (quia ſic fallit) ſed lignum vel murum, & tamen in claro loco, ipſi dixerunt, iſtiuſmodi colorem prouenire ex indigeſtione ſtomachi, alij ex indigeſtione hepatis: nam in tali vrina non eſt hypoſtaſis, nec erimoides: ideo debet ex ſtomacho eſſe, quum nihil deficiat in ſtomacho, nihil eſt, ſed edere poteſt patiens. Quomodo ſciunt, quòd hypoſtaſis in renibus & hepate alteretur. ſi vrina olet vt vrina, tunc ex hepate eſt: ſi non ſapit, ex renibus, & illa vrina betæ coloris accipit ad ſe muſtum, id eſt, pinguedinem habet, & coagulat, id eſt oleitatem, ſiue pingue viſcoſum, ſed ſerum lactis non accipit, ideo habet ſuum colorem, albæ betæ.

Certum ſignum eſt, quando vrina in manu ſplendet tanquam aurum tūdendo diductum & propriatum, eſſe ex ſanguine: ſi verò flauus eſt color, & nō ſplendet, tunc eſt ex hepate.

Cura quando vrina est coloris bletæ.

℞.seminis raphani ℥.ss.
Masticis ʒ.iij.
Foliorum indi,
Mirobalanorum omnium ʒ.vij.
Gummi Arabici dissoluti in aqua saluiæ quantum sufficiat pro incorporatione: fiant trochisci. Dosis à drachma vna & media vsq; ad quatuor mane & sero: vbi ergo huiusmodi vrinæ erunt, vt nunc recensui, & permanẽt, id est, per annum durant, quatuor ægritudines generantur, phthisis, hectica, diabetica, & hydropisis, non quidem veræ, sed verisimiles, vt hæ verarum quasi filiæ sint. Phtisis oritur, quum in renibus est coagulatio, & digestio non adest, tũc renes nutrimẽtum non habent, sed consumũtur, & appetitus comedendi deficit: fiunt dolores in coxendice, inde totius corporis consũptio sequitur: quia membra principalia, quando suum nutrimentum nõ habent nec accipiunt, tunc totius corporis consumptio sequitur. Sic hectica ex regionibus hepatis, quòd scilicet in renibus per ista oppilatio sit, & facit tremorem, sed nõ magnum, calorẽ verò diuturnũ, &c.

Diabe-

Diabetæ quia cum nutrimentum ſuum ire non poteſt ad renes,tunc exiccantur & fit ſitis.Hydropiſis quia coagulum , vbi ſic in renibus iacet,& vis expulſiua pellere non poteſt,tunc deſcendit per carnis poros,& facit tumorem :ſed non eſt vera hydrops, ideo vbi præcedentia remedia non iuuant,vt hectica, phtiſis, & & diabetica,tunc illo vtere medicamine,vt præuenias.

R.agarici puri ſcrup. iiij.

Seminis papaueris ʒ.iij.

Hematitis ℥.ſs.

Magnetis Calaminatis, ſingulorũ ſcrupulos duos : miſceantur cum ſucco de limonibus aut arancijs in modum electuarij.Doſis à ſcrupulis quatuor vſq; ad drachmas duas mane & ſero.Illa medicina adminiſtranda eſt per octo dies, & poſt annum rurſus,ſicque ſemper pergendum.Sic præueniri etiam debet iſto medicamine hydropiſis,quod recipit

Serapini,

Galbani,

Laudani,ana ʒ.1.& ſs.

Lapidis lazuli,

Hermodactili,ana ʒ.ſs.

Conferuæ rofarum quantum fuffi ciat ad incorporationem Dofis aureus medius.aureus eft drachma vna cum di midia.Illa medicina detur,quum quis ti met pedum tumores,poftquam tumor defiit, à medicina quoque ceffandum, & poft annum fi reuertitur, rurfus dandum:nam alioquin non eft cura morbi, fed præferuatio.

De febribus renum. *Caput IIII.*

FEbres ex renibus de febribus tartari tertiæ feparationis initium habent, & fecundum tempus digeftum horam paroxifmalem faciunt, & tremorẽ corporis iuxta naturam oppilationis: renum febris eft periculofiffima propter fal.in ftomacho eft feparatio craffa: in hepate eft fubtilior: in renibus autem fubtiliffima:nulla digeftio ceffat: nifi vi narcotica.

Signa.

Compunctiones in fchia oriuntur ex oppilationibus: inde quoque tormina in ventre,dolores capitis & fpinæ, pedes quoque nonnunquam tumefcũt, fplen laborat

laborat, vrina est omnino rubea, & contingit plerunque, vt quartana ex renibus eueniat.

Cura.

Purgatio non fiat nisi ex arcanis: fiant autem omnia magna cura.

In febribus his omnibus.

R. alkali de testudinibus ʒ.1.
Cristalli bene triti & calcinati ʒ.ß.
Mumiæ scrupulum.
Fiat puluis. Dosis, totum.

Aliud.

R. de liquoribus laudani scrup.
Croci,
Aloepatici, ana ʒ, iij.
Fac pillulas communes aqua absinthij.
Dosis grana septem.

Aliud.

Recipe alkali soluti ex cineribus absinthij semidrachmam,
Olei de colchotar scrupulum:
Misce. dentur hæc ante paroxismum.

Explicationes capitis quarti de renibus.

Hæ febres, quæ oriuntur in renibus veniunt quoq; ex putrefacto tartataro, vt alij in ſtomacho & hepate, ſed febres in renibus ſunt omnium vehementiſſimæ: Quia nullum eſt membrum quod adeò affligitur atque renes quando afficiuntur. Ideò vbi ægritudines in renib. ſunt, morbi exiſtunt omniũ difficilimi & peſſimi. Quoniã febres quæ in renibus ſunt, ex putrefactione venire debent, & illa putrefactio acutiſſima eſt, mitior in hepate, magis mitis in ſtomacho: ſed in renibus quicquid eſt, ad eos deſcendit ex ſecunda digeſtione in tertiam per vrinam, & quod deſcendit ſubtilius eſt, ideo vbi afficiuntur, acutius eſt. Nam in ſtomacho craſſiſſima digeſtio, in hepate ſubtilis, in renibus ſubtiliſſim, ſcilicet vrina eſt, & inde nutrimentum ſuũ ſumũt renes, reliquũ expellũt. Igitur ſi illud putreſcit, acutiſſimus ſpiritus eſt, ſcilicet, quando in renibus non eſt digeſtio perfecta: & hoc fit ex vi narcotica: ſi vel parua vis talis ſuccedit renibus, tunc dormiunt, & tum digeſtio in ijs ceſſat, & tum dolores in tergo: frigiditas eſt, ſun horribilationes, &c. & ſignum eſt, quò

digeſti

digeſtio in renibus dormiat,& tũc quod ab hepate tranſmittitur nõ poteſt digeri,& nõ habẽt renes nutrimentũ ſuum. quum verò non digerunt, venit virtus expulſiua & expellit: ſi non expellit, tũc materia putrefit,& fit fuligo, quæ in regionibus renũ inſidet,& tum ſalia, quæ ſunt in regionibus renũ reſoluũtur, quia ex putrefactione fit vapor: & cum egredi nõ poſſunt, ſcilicet, quod ille vapor ſe in poris coagulet,& ſic oppilet, ſic fiũt pũctiones in ſchia, dolores in lũbis,& punctiones in pudẽdis, dolores capitis. Punctiones in ſchia oriuntur ex oppilatione: quia ſpiritus vitalis vbique tranſire debet, cum vi erũpere vult, efficit pũctiones etiam quoties venit inter membrorum artus vel iuncturas: etiã non eſt peior febris quàm in renibus,& propè inteſtina ſunt: ideo tormina, cõtractiones & punctiones, doloreſque capitis naſcuntur. Quia cum in renibus nõ ſit digeſtio, & virtus attractiua non habet quod attrahat, renes tum ad hepar confugiunt, quia oppilatum (vt in anatomia cõſtat) & tamẽ oportet eos habere humiditatẽ quam bibant, ideo per ſpinam dorſi at-

trahunt à capite nutrimentũ, & primò in occipitio, poſtea in hemicranea fit, interdum totũ caput occupat. Quia cũ virtus attractiua renum trahit nutrimẽtum capitis, quò caput nutriri deberet, & ipſos fluxus attrahit. Et ſic materia in renibus per fluxus, & ſimul febris augetur. Ideo in hemcriania, & omni dolore capitis, ſola cura eſt, vt renes prius curentur: ſentitur dolor hic in coxendicibus, quia renes non quieſcunt in attrahendo: magna enim vis attractiua in eis eſt. Inde colli & dorſi dolor. Ipſi iubent ſcarificari per ſpinam dorſi, & purgare ſtomachum, quod nihil prodeſt, ſed in cephalica omni (excipio quod ex ſanguine eſt) ſemper quęrere debes, vtrum adſint dolores in ſchia, tunc ex renibus. dolor capitis etiam ſemper. ita etiam quãdo capitis oppilata eſt regio, & tum in ſplene, ſi deoppilatio à ſplene attrahit & in ſplene dolor exiſtit. Præterea non ſemper dicat medicus, cum patiẽs dicit, ſchię mihi dolẽt, quòd ſit arena, aut calculus: ſed ſigna conſideret, videat vrinã, quę ſi fuerit ſubrubea, tenuis & perſpicua, ac in eius ſuperficie paruę bullę, tũc

arena

arena eſt. Item quãdo ſeparatur, & inferior pars rubet, ſuperior alterius coloris exiſtit, tũc etiam arena eſt. Igitur qui rectè vult conſiderare, prius non corruptã videat vrinam, poſtea ſinat eam corrũpi, vt poſſit iudicare: ſimiliter quando premit in mictu etiam arena eſt, ſed quũ hæc ſigna non ſint, verùm vrinæ color vergit ad flauum, vel ſubflauum, qui aliquantũ pallet, vt corpus humanũ, vel colorẽ mixtũ ex cæruleo & flauo, & ſit turbida, tũc dicas renes laborare. nõ eſt cõſideranda hypoſtaſis, quia ille color nõ habet hypoſtaſim, ſed quando vrina ſic eſt, tunc principiũ putrefactionis, id eſt, febriũ: quia digeſtio non valet, & virtus expulſiua tamen expellit. Interdũ etiam cõtingit, vt vrina hodie bona ſit, cras nõ. Quia interdum expellitur, interdũ non: ſed quando ſe cum tempore tollit, & vapores nimis ſint multi, tunc digeſtio commouetur, & vapor ſit, imò acetoſitas. In putrefactione facit dolores, ligamentorum punctiones, conqueruntur patientes ſibi dorſum dolere: & iſti vapores nimis quum multi ſint, tũc regionem hepatis corrumpũt, & oppilãt totã

tum fit vt putrefcat,& fic cõmouet totũ corpus, hocq; tam diu, donec digeftio, in putrefactione ceffet. Omnis quartana communiter ex renibus eft,nõ fplene, & durat paroxifmus,donec digeftio ceffat, & expellitur vapor. Ille vapor cũ exit per corpus,tum fequitur calor,quia in fanguinem it. Ideò fi quis poft paroxifmum det plantaginis aquam, vel nenupharis bonum hauftum, tum nõ fentitur calor quia oppilat ftatim, fed immenfus dolor dorfi fequitur. Ideo paroxifmus ceffat quando vapor exit è corpore, fed putrefactio adhuc in renibus adeft. Propterea vbi poftea digeftio fit, rurfus venit paroxifmus &c. Sunt quoque febres, quæ nec ex ftomacho,hepate,vel renibus veniunt, fed fic generantur. Quum oppilatio fit in vena aliqua, tunc etiam putrefactio eft, & faciunt quoque tremorem.& in fumma veniũt ex oppilatione, & tremor eft, vt in febribus ex renibus. Illæ febres curantur ex phlebotomia, quæ eft facienda illic, vbi in venis febris feu oppilatio eft. & hoc in anatomia obferuandum, quî fieri poffit vt in venis febris effe queat

&

& totũ corpus nequeat concutere. Ideo de febribus in venis, vt si in saluatella febris est, non queras in principio manus, sed in radice eius, scilicet, quid virtus attractiua attraxerit de tartaro, quid oppilauit. Illa sunt signa febrium in venis, quod venæ extensione indurantur scilicet, quòd patiẽs dicat se post paroxismũ venas spasmate affici, quod certissimum est, febrim esse in venis. Sæpe febris in hepate & venis simul est, & duplex paroxismus: sic febres non in vno loco sunt, sed alia in venis, s. quũ illic punctio nes & putrefactiones adsint: nec cesses ante paroxismum venã, in qua punctiones erant tundere, tunc senties melius. nota, omne, quòd tremorẽ efficit, siue in feste siue alijs morbis, ex digesto tempo ris. Sæpe per se cessat febris, quia per se quoties putrescendo consumitur, tunc cessat. Sæpe etiã febres sunt in spina dorsi, quas scarificatio per spinã tollit, maximè quartanam dum est in fine. Nam sæpe fit, quòd cum in renibus febris sit, & dolor capitis, & de capite traxit nutrimentum, & quum cessat putrefactio in renibus, vt in vijs illis putrefactio sit,

tunc ſcarificatio in ſpina dorſi curat in fine quartanę: tunc ſcarificatio per ſpinam dorſi valet.

Cura febrium in renibus & hepate non valet per purgationem centaureæ & hellebori, quia eò non deueniunt: ſed quando in ſtomacho eſt, tunc valet purgatio. nec etiam dięta curanda in renibus, ſicut Itali. Admitto carnes porcinas nõn eſſe bonas, quæ multos humores habent quibus morbus augetur: ſi autẽ omittantur, non ideo patientes curantur. Eadem eſt ratio acetoſi oleri ſiue cõditi: quòd ſi medicus bonus eſt, integrã ſuẽ etiam ſi commederit, nihil nocet: quia medicina potentior. nec etiam cõplexiones medicinarum obſeruãdę, ſed arcana, quæ carent complexione.

De vſnea, grandine & lapide in veſica. Caput V.

SVperius ſatis abundè tractatum eſt, quid ſit vſnea, quid grando, quid ue lapis. Ex prima ſcilicet ſeparatione tartari vſneã fieri, ex ſecunda gradinem ex tertia lapidem, conſtat. Proinde curam horum morborum nunc conuen[it] enarrar[e]

enarrare,vbi ſigna aliqua præmiſſa fuerint:prius tamen notandum,quẽuis hominem habere vſneam & grandinem, lapidem autem non.

Signa.

Lapides mouentur ſuo tẽpore digeſto, & ſubtus vmbilicum eneruant.

Grandines dolores inferunt inſtar cultelli ſcindentis.

Vſneę afficiunt ſpinam dorſi & ſchiã.

Cura.

Reſoluatur tartarus in liquorem,aut puluerem. Quamuis lapis in veſica ægrè aut nunquam reſolui poteſt,attamen vbi ex vino aut rebus acerbis eſt , interdũ reſolutionem ſuſcipit. Nos igitur vſneæ & grandinis curam in tartaro acuto hãc ponimus.

Recipe colcotar rubicundiſſimi lib.x.

Alcool vini ℥.vij. Fac mixturam in phiala ſecũdum proceſſum retorti cum deſtillatione à primo vſque ad quartum diem , & exibit oleũ rubicũdiſſimum ex igne ardentiſſimo. Cuius doſis eſt vna gutta in vino optimo manè & ſerò.

Alia cura liquefaciens lapidem tollensq́ue morbum.

Recipe de ſcorpionibus ʒ.i.
Lapillorum cancrorum.
Radicum aquilegij ana ʒ.ij.
Berilli peſpicui ℥.i. Fac mixturam cum alcool vini & pinguedine.fiet vt oleum, in hoc madefac lineum pannum, & applica lumbis.

Medicamen in reſolutione Vſneæ & grandinis quod tollit dolorem non morbum.

Recipe medonis lib.i.
De radicibus raphani,
Aquilegij ana.ſemunciam.
Specierum lithontripõ drachmã: commiſceantur & decoquantur ad cõſumptionem partis tertię: detur in potu calidum.

Alia deſcriptio in grandine & Vſnea.

Recipe ſeminis raphani ʒ.i.
Foliorum de rapis ʒ.ſs.
Croci orientalis ℥.iij:fac ſacculum, vtere iuxta morem conſuetum.

Aliud.

Recipe tartari deſtillati,
Seminis fœnigræci,
Pſilij,ana ʒ.ij.
Berilli præparati.ʒ.vij.
Fiat puluis aut compoſitum. Doſis à drachmis

drachmis duabus ad tres vſque.

Notabis ſaxifragium lapidem frangere facilè:ſed fractum pellere, Sampſonis eſſe opus.

De vesica. Caput VI.
Laxatiuum calculi in vesica.

R. locuſtarum ſambuci primarum ℥.
Sileris montani ʒ.ij.
Saccari taberze ℥.ij.
Cinamomi,
Maceris,
Muſcatæ ana ʒ.1,& ſs.

Fiat puluis: Doſis à drachmis duabus vſque ad tres: Si ſiſtetur ex calculo, vrina prouocetur.

Recipe liquorem croci, qui ſic paratur. Crocum in vino poſitum, pone in fimum ad putrefiendum, poſtea coque in vino. Item cantharides, quæ tanquam liquor croci parantur. vt aqua ignem, ſic liquor croci calcem calculi extinguit. Quæcunq; menſtrua prouocant, eadem & vrinam. Vrína vrens retinetur à calculo. Putrefactio quoque in veſica plurimum officit, quia veſicam exulcerat, &

putrefacit, curamque non recipit, nisi mundificetur illis.

Additio trochiscorum alkakengiæ.

R. trochiscos alkakengiæ, aut thuris,
Seminis lactucæ ʒ.1.
Terpentinæ destillatæ ʒ.ß.

Additio trochiscorum thuris.

R. Mumiæ ʒ.ij.
De lacca rubea scrupulos duos.
De sperma te ceti scrupulos duos & medium. Detur opera ne acutæ medicinæ exhibeantur calculosis, quum aliàs sint valetudinarij.

Saxifragium in calculo ex bolo.

R. Corallorum alborum ℥.1.
Magnetis ʒ.ß.
Hematitis ad pondus omnium.
Fiat puluis. Dosis est scrupulus in vino bono albo. Vrina omnis ipsius obseruetur, & si puluis albus in fundo manet, notat calculum teri: postea ponderetur an plus habeat ponderis, quàm ille prius acceperat.

Aliud in cura lapilli ex gemma resoluta.

Recipe citrini vnciam.
Carabæ vtriusque ana ʒ.iij.
Reubarbari scrupulum medium.

Fiat

Fiat liquor in modum alcoli. Dosis scrupulus medius in vino bono.

Saxifragium lapilli ex Visco mucilaginoso.

Recipe visci quercini vncias tres.
Seminis citoniorum.
De persicis amaris ana ʒ.ij.
Florum aquilegij scrupulos iij.
Sanguinis draconis drachmas ij.
Mellis roacei quantum sufficit pro incorporatione. Dosis est ʒ. mediam.

Aliud saxifragium in calculo durissimo.

Recipe liquores de cantharidibus ʒ.i.
De radicibus aquilegij drach. ij.
Agalliæ ʒ.vj. Fiat mixtura cum terpentina lota.

In caput quintum & sextum commentarium De *Lamentarijs.*

De lapide in vesica, vel de vesica. In vesica quæ sunt ægritudines obseruari debent. Prima est lapis. Secunda exulceratio, quæ foramina efficit Tertia putrefactio seu limus. Primo de calculo in quo est difficilis cura, quia difficulter in liquorem reducitur, sed in al

coli. Verùm cauẽdum, quando calculus eſt, ne veſica purgetur aut laxetur. Communiter ſunt conſtipationes ipſis, qui calculum habent. Laxationem mediocrem non moleſtam indicabo.

Laxatiuum in lapillo veſicæ.

Recipe locuſtarum ſambuci primarum (locuſtæ iuniperi quoque id faciũt) vnciam vnam.

Sileris montani ʒ.ij.
Saccari taberze ℥.ij.
Cinamomi,
Macis,
Nucis muſcatæ ana ʒ.i.ſs.

Fiat puluis. Doſis a drachmis duabus vſque ad tres. Locuſtæ ſambuci ſunt primę extremitates, dum recentes ac teneræ exiſtunt: exiccentur in vmbra & ſeruentur. Illud laxatiuum non purgat nec laxat, ſed mouet naturam, vt ordinarias habeat ſedes. Ideo vſurpandum & vitandum turbith, ſenæ ſuppoſitoria, &c. tamen vitanda etiam ſunt ijs, qui cõquerũtur ſe ex ſtomacho laborare: quia ꝓprietas eſt, vbi calculi, quòd continuò doleant in tergo & ſchia, ſed illud laxatiuum ſeruat naturam in ſuis ſedibus. & hoc etiam

tiam faciunt locustæ iuniperi, &c.

Alterum accidens est, quòd non possint vrinare. vrina prouocari debet sic: vt renes etiam confortentur, & expellant, & deoppilent. Deoppilatio fiat per crocum, seu liquorem croci, qui positus in fimũ equinum in vitro bene obstructo, sine vt putrescat per mẽsem vnum, pòst cùm putris factus est, adde vinum candidum in olla, & sine bullire, vt exiccetur ad consistentiã, remanet in fundo: de illo da guttas 2. in vino 3. tunc pellit vrinam: si verò lapis putrescit, tunc nõ potest facere, sed instrumentis res agi debet. Interdum propter exulcerationem exire non potest. Interdum, quòd lapis excalescit, & siccus attrahit à renibus humores tanquam spongia, ac in vrina parum discedit, quod vehementer vrit: & quum tantus sit ardor, tum cogita, gipseum lapidem esse, siue grossum gipsum, & adeo calceum, vt omnem humiditatem ad se trahat. Tales lapides quum excinduntur, & ponuntur in vrinam, tunc omnia attrahunt tanquam spongia, & ipsi tum vtuntur raphani semine, &c. quæ vrinã cient, quod non fit bene, quia veram vri

nam non curant,solus crocus facit. Nota,crocus orientalis extinguit calcem lapidis.Alterũ quod prouocat vrinã sunt cantharides:sed non est laudabile medicamẽ,& valet vbi oppilatio est,penetrat mordendo,& sufficit vna gutta: semper adde crocum,quia extinguit calorem lapidis:valent etiã balnea ex rapis,quia extingunt calorem lapilli,sicut aqua ignis extinguitur vrina se habet rectè, & cura est,&c.Quum verò putrescit,pertinet ad chirurgum:& vbi lapis est,ibi perpetui dolores,per balnea quidem (sic curantur credo)exulcerationes:Quia sæpe fit, vt vrina rodendo penetret quinq; vel sex locis:ac mors tunc inuadit. Quia quum vulneratur,vrinam tunc non recipit, minus quàm pulmo. Quoties autem scinditur,tunc caro quæ adhæret in superiori parte concrescit,sed vesica non.Putrefactio est,quando illa materia venit ex coagulo,& tum lapidem generare non potest,illam tollunt trochisci alkakengiæ,& trochisci ex thure.

Additio ad descriptionẽ trochiscorũ alkakengiæ.

Recipe seminis lactucæ,ʒ.1.

Terpentinæ destillatæ ʒ.ß.

Addi-

Additio ad trochiſcos de thure.

Recipe mumiæ ℨ.ij.

De lacca rubea.ℨ.ij.

De ſpermate ceti ſcrupul.ij.ſs.

Tollunt hæc putrefactionem, aliquando etiam exulcerationes curant, ſed difficulter. nã in exulceratione ſolùm hoc agendum eſt, vt mũdificetur, non vt cõſolidetur. Si poſſibile eſſet lapidem perfringi, per has deſcriptiones ſequentes fieri deberet: ſi adhibes, & in tribus vel quatuor diebus nihil profeceris, ceſſa & tenta aliud: propterea terna ſæpe medicamina adhibenda illis, quia & communiter etiam alij morbi adſunt & con currunt cum lapide.

Saxifragium lapilli ex bolo.

Recipe corallorum alborum. ℥.i,

Magnetis drachmam mediam,

Emathitis ad pondus omniũ. Fiat puluis. Doſis ſcrupuli duo in vino bono albo. Obſeruandum in hac medicina, ſi quis calculo laborat, tunc puluerem pone in mediam vini menſuram ad ſex dies, & da ad bibendum. Etiam hoc obſeruandum, quando das ad bibẽdum, tunc vrinam quam vrinant de-

bes aliquandiu quietam relinquere: si tunc in fundo est puluis, medicina functa est suo officio, & bene res se habet: sin nihil pulueris inuenis, medicina non inuasit calculum. Color quoque obseruandus: si albus est puluis, tunc ex vesica est, quæ & bene se habet. Vidi etiam vbi hæc medicina ministrata est, quæ postea per vrinam circiter nouem semuncias expulit, dolor cessabat, sed patiēti in collo vesicæ calculus adhærebat: ideo coactus sum excindere. Propterea vbi sic per medicinam attenuatur lapis, parum fit vt moueatur in collum vesicæ, & instrumentis sit pellendus.

Aliud saxifragium in cura lapilli ex gemma resoluta.

R. citrini ℥.1.
Carabæ vtriusq; ana ʒ.iij.
Reubarbaræ scrup.ss.

Non hîc est, quod laxet, sed vt ducat ad vesicam, quia arcanum habet in arena & vesica, & si eius vis laxatiua auferri posset, optimum arcanum esset in lapillo. Citrinus lapis est medius inter cristallum & berillum flauum. Fiat ex hi[s] liquor in modum alcoli. Dosis scrupu- lum

lum ſemis in vino bono.

Saxifragium in cura lapilli ex viſco mucilaginoſo.

Recipe Viſci quercini ℥.iij.
Seminis citoniorum,
De perſicis amaris ana ℥.ij.
Florum aquilegij ſcrup.iij.
Sanguinis draconis ℥.ij.
Mellis roſati quātū ſufficit pro incorporatione. Doſis ℥.ß. Itaque ille medicinę curant, ſi fieri poteſt vt lapis attenuetur: & eſt ruſticus, qui perſicis cum agallia pellit omnes lapides, qui ſunt ex viſco & bolo reſoluto, mucilaginoſo &c. ſed ex gemma, ſi ſit, nō pellit, verùm ex bolo mucilaginoſo. Succus agalliæ pellit, & exit cum vrina, rurſus redit ad primam materiam, & fit lapis.

Aliud ſaxifragium in cura calculi duriſſimi.

Recipe liquores de cantharidibus ℥.1.
De radicibus aquilegij ℥.ij.
Agalliæ ℥.vj. Fiat mixtura cum terpentina lota. Agalliam ſumūt pro aquilegia, ſed non eſt. Agallia verò ſunt caules vnius palmi maioris, multis ſpinis, in ſuperiori parte flores habet punicei coloris.

LIBER QVINTVS DE ICTERITIA.

Caput I.

ICTeritia(vt vulgo vocant) nequaquam à natura originem ducit, sed ex re composita: nec putes naturæ ac corpori humano inesse essentialē colorē citrinū, sed multò amplius mutuatur illum ex cōmistione triplicis salis, non aliter quàm atramentum, quod est compositum, nigredinem suam à tribus accipit, videlicet à vitriolo puro, sale myseo, & sulphure liquido: ita sal entalicum, sal vitriolatum, & liquor sulphuris resoluti, cum ista in vnū simul coeunt, faciunt icteritiæ principium & colorem nouum. Vnde expedit medico, scire huiusmodi summæ cutis defœdationes & discolorationes, non deriuare ex natura secundum localem sensum. Neque enim sperma ipsum, seu prima hominis constitutio, tale quid produxit essentialiter. Neque etiam in partem

partem humani corporis colores aſciuit: non quòd negem, quin omnis generis colores in humano corpore contineantur, ſed non admittimus ita diffuſos, vt viſibiliter in ſua ſubſtantia appareant, ſed potius hinc inde per vniuerſum corpus diſpergi dicimus, illa vt in diſperſione nullus deſideretur nõ ſecus quàm cum glaucus & viridis color ambit apoſtemata. Nam & ijs ſuus color ex commiſtione ſpecierum ſeu accidentium coſtat. Idcirco audactet hìc reclamamus eorum opinioni, qui felli hũc morbum acceptum ferunt, & qui æditis libris, felli tantùm ineſſe virtus, vt hominem decoloratum reddat aſſerere non dubitant: ſatis enim ex ſuperioribus liquet, ex felle, neque colores, neque ægritudines conſiſtere, ſed multò magis cauſam eſſe ex compoſitione trium ſpecierum, quæ colorem corpori ſuffundunt, & hoc iuxta ſubtilitatem coloris ſingulorum. Fit & morbus Diaphanus vel ſubtilis aer, flauus vel candidus, & ſic de reliquis coloribus iudicandum. In ſumma igitur obſeruabis colores à tranſmutatione pẽdere, & in hoc tranſ-

mutatio illa ſpagyrorum artificiũ imitatur: idem enim vtrobiq; proceſſus, & artificialis tinctura, ſecundum naturæ diſpoſitionem. Nunc ſciendum ex quibus coloribus ſit ićteritia. Citrina conſtat ex vitriolo entalico & ſulphure liquido. Nigra ex myſio, vitriolo & ſulphure diſſoluto. Viridis, ex ſex prædictis. Pallida verò, ex ſciſſo, mercurialibus liquoribus, & vitriolo albo. Poſtremò credimus, & de potentia naturæ eſt, etiam ex vna ſpecie per vires tranſmutationis poſſe fieri colores: ſcimus enim mirabilia naturæ in ſua induſtria & artificio innata.

Notabile.

Ićteritia non purgetur: quia mineralia purgationibus non tolluntur.

Cura ićteritiæ, in principio cum eſt localis.

Accipe centaureæ ℥.iij.

Croci orientalis ʒ.I. (hæc colorem ad ſe trahunt.)

Myrrhæ ʒ.iij.

Alcool vini ℥.xv.

Reduc in eſſentiam. Doſis à drachma ad tres vſque.

Præcipitatus ex metallo primas tenet in

in icteritia, sed purgationibus alijs nihil aut planè parum præstatur.

Aliud.

Accipe succi chelidoniæ lib.1.
Succi viticellæ lib.iij.
Succi hypericonis lib.mediam.
Aquæ puræ quantum sufficit. Fiat balneum: hoc extrahit citreitatem, sed morbum non tollit.

Balneum in Geppingen, aufert quoque colores, sed cura non est.

Aliud.

Recipe chelidoniæ,
Verbenæ,
Abrotani ana lib.1.
Succi attriplicis lib.mediam.
Succi de Iassa ℥.vj.
Aquæ quantū sufficit, fiat lauamētū particulare, & curabit vnū membrū in colore, hoc est valet ad vnum membrum, ceu ad pedem vel brachium.

Aliud ad colorem extrahēdum sed non morbū.

Accipe florum chelidoniæ.
Meliloti,
Croci orientalis ana ℥.1.
Olei myrtillorum ℥.xv. Fiat mixtura per destillationē solis, eo liquore inū-

ge membrum tinctum aut morbosum, & decident squamæ citrini coloris.

De loco & centro. Caput II.

PRoinde quod restat de salibus ictèritię dicendũ obseruabis, quòd quęlibet corporis pars queat icteritiam concinnare in hanc sententiã. Sępe vsuenit sanguinis icteritia, videlicet cum, vt dictum est, huiusmodi generatio, tã tum in sanguine contingeret: atquę hęc commodissimè corrigitur phlebotomia, sanguisugis, & id genus aliĳs remedĳs. Sic si carnis pars infestetur ita, scias icteritiam carnis conflatam, & ad id requiri medicamenta, carni adpropriata. Similiter sentiendum de reliquis membris principalioribus. Nam quodcunq; horum icteritiam, vel signis, vel accidẽtibus præ se tulerit, eidem membro inest. In his omnibus hoc opus, hic labor est, cùm locum, tum centrum morbi exactè cognoscere: siquidem si sanguinis icteritia fuerit, primum erit, quòd locũ tum centrum morbi exactè cognoscere: siquidem si sanguinis icteritia fuerit,

primum

primum erit quòd locum & centrum eius ſtatim inquiras. nimirum cum ſanguis per vniuerſum corpus abundet, aduertendum erit, an ſimul omnes venæ, aut aliquæ ſolummodo morbum contraxerint, vpote per hæc ſigna, ſi ſecata vena, ſanguis cum impetu erũpit, ad flauum tendens colorem, ſpumoſus, totus ſpongioſus & ampullas in ſuperficie præ ſe ferens, cum aqua crocea. Item quòd languens in loco originis vexatur punctionibus, grauitate, & reliquis hoc genus moleſtijs. In ſanguine quidẽ carnes haud difficulter ex colore cognoſcitur affectio, ſed cum hæc membrum aliquod infeſtat, puta cor, alia ſigna ſunt, nempe thoracis & ſtomachi compreſſio.

Additio.

Multifaria eſt icteritia carnis, ſcilicet ſanguinis, oſſium, medullarum, ligamẽtorum &c. & omnium mẽbrorum principalium.

Prȩcipitatio & ſuffocatio matricis nihil aliud eſt quàm icteritia matricis.

Si eſt vſtio ſtomachi, erit icteritia fellis.

Icteritia hepatis non tingit corpus:

ſunt punctiones in lateribus, & facie pallor eſt,& ſitis.

Icteritia renum,efficit coxendicũ dolores & ſpinæ dorſi.

Mulieres ſi cholica non laborauere & contrahuntur, ex icteritia erit, item ſi habeant dolores dorſi,& menſtrua ceſſent.

Icteritia cordis quoque in ſtomacho vrit,tumet & tremit cor.

Icteritia cerebri ſi ex naribus effluit aqua citrina.item ſi lauant caput & aqua tingatur.

Icteritia pulmonis ſi difficilis eſt, anhelitus,fœtor oris, tuſſis, ſputum ſpongioſum,acre,citrinum.

Icterítia ſplenis latus leuum dolet,& fiunt punctiones.

Icteritia ſanguinis facit venam particularem ſudare, eĳcit ſudorem citrinũ, & ſanguis habet maculas flauas.

Icteritia carnis tingit corpus.

Icteritia oſſium, fiunt punctiones oſſium,& patiens conqueritur eſſe in oſſibus dolores, quaſi glacies congelata in ipſis hinc inde moueatur: hæc nonnunquam penetrat carnem.

Si sit icteritia ligamentorum tunc recte iuxta longitudinem eorum applica Basiliconem, quæ efficiet, vt in superficiem sese ostendat, &c.

Descriptio ad icteritiam cerebri.

Accipe antheræ hermodactilorum,
Antheræ liliorum alborum,
Antheræ pedis canis ana ʒ.1.
Aquæ betonicæ libram mediam.

Reduc in essentiam, tonde prius caput, & madefac ex eo pannum, quem superpone capiti, panno exiccato, durescit: deinde reiterandum.

Ad icteritiam cordis, quò tumor non abit, sed dolor.

℞. Antheræ croci orientalis,
Antheratum rosmarini ana ʒ.ij.
Olei angelicæ ℥.iiij.

Reduc in formam essatam, ex ea inungas locum læsum.

Ad icteritiam splenis & hepatis.

℞. Olei de thamarisco ℥.iij.
Olei de spica ʒ.1. Fiat mixtura.

Ad icteretiam renum.

℞. Antherarum de flammula iuniperi,
Calictæ ana ℥.ss.

Fiat mixtura secundum solem, impona-

tur dolori panno ex ea liquefacto.

Ad pulmonis icterum

Recipe reuponticæ,
Iringi,
Enulæ, singulorum quantum sufficit, reduc in liquorem. Dosis scrupulus, & aliquando adde medium: detur mane in potu, donec sputum emendetur.

Contra fellis icteritiam.

Cape antherarum centaureæ,
Chelidoniæ ana vnciam semis,
Ligni quaiaci præparati ad pondus omnium. Dosis drachmam semis, da quandiu dolores durant.

Notabilia.

Oleum angelicæ: si angelica per balneum maris destillatur bene tusa.

Flammula iuniperis est spongia citrina adhærens iuniperi fruticæ.

De icteritia rubea, nigra, citrina, glauca. doloribus spinæ, doloribus membrorum principalium Caput III.

Signa icteritiæ rubeæ.

Irruit in hominem velut pestis, infestat horroribus, frigoribus & caloribus.

Est e-

Eſt enim paroxiſmus valde ſimilis febri peſtilentiali,quem nonnumquam concomitatur tumor & rubedo: hinc euenit,vt eadem medicina quæ probatur cõtra peſtem,illum ipſum paroxiſmum icteritiæ rubeæ auferat.

Cautela.

Fugias in paroxiſmo tuſionem venarum,vndas frigidas, candida vnguenta, corrodentia,lac virginis, & omnia quæ calorem tollunt & non morbum,ſuffumigationes & olea,niſi arcana ſint in ijs.

Cura

Extractio coloris in icteritia rubea.

Accipe liquoris thuris & myrrhæ ana vnciam.

Aceti roſarum libram,

Fiat decoctio vſque ad conſumptionem quartæ partis:madefac in illa pannum linteum,& actum calidè ſuperpone toties,donec tumor & rubedo abeant.

Cura icteritiæ nigræ.

Hæc principiũ habet icteritiæ rubeę)
Accipe alcool vini correcti vnciam,
De liquoribus myrrhæ,

Thuris ana ʒ.I.
Succi ſaluiæ,
Thymi,
Epithymi ana ʒ,I.ſs..

Commiſceantur. Doſis à drachmis tribus vſque ad quinque.

Alia deſcriptio.

Accipe ſucci Titimalli,
Eſulæ, ana grana quatuor
Thuris,
Myrrhæ ana ℥.ſs.
Theriacæ bonæ quantum ſufficit pro bolis.

Doſis à drachma vna vſque ad ſeſquidrachmas ante paroxiſmum, aut ſub paroxiſmo.

Extractio coloris ab extra.

Cape geniſten,
Antheram flammulæ ana ℥.ſs.
Seij,
Succi centaureæ, ſingulorum ʒ.iij.
Vini & aceti quantum ſatis eſt pro decoctione. Procede quemadmodum in icteritia rubea.

Præſeruatiuum in icteritia rubea.

Accipe laudani puri ſcrup.I.ſs.
Aquarum corallorum rubeorum.

Spodij

Spodíj ana ʒ.ſs.

Liquoris mirrhæ,

Thuris, ana ʒ.iíj.

Macis quantum ſatis eſt.fiat maſſa pillularum. Doſis grana quatuor aut quinque.

Aliud præſeruatiuum.

Accipe aloepatici, ſuccotrini,

Thuris,

Maſticis, ana ʒ.iíj.

Alcool vini,

Aceti roſati,

Liquoris de florlbus tapſi, ſingulorum vncias duas.

Reduc ad formam. Scrupulus vnus, & vnus cum ſemiſſe eſt doſis.

Quinque aut ſex dies vtere ſic, poſt curatam ſemel ictеritiam ſæpius: ſed vltra annum præſeruari non poteſt.

Notanda.

Paraliſis libenter ſequitur, item ſpaſmus & tetanus, ſi ſit phlebotomia in icteritia: nam morbus ille ſanguinem amat. Eriſipela ex icteritia rubea fieri poteſt, & æſtiomenum vlcus.

Præſeruatiuum icteritiæ nigræ.

Cape lapidis lazuli,

Succi ſileris montani ana ʒ.
Laudani ſcrupulos quatuor,
Olei de nuce muſcata quantum ſufficit pro incorporatione. Doſis à drachmis duabus vſque ad tres.

Aliud.

Accipe ſanguinis draconis,
Terræ ſigillatæ ana drachmas ij.
Thuris,
Myrrhæ ana ʒ.i.ſs.
Aceti deſtillati drachmas ſex.
Fiat hauſtus poſt paroxiſmum, vtemur poſt curam.

Medicina generalis ad icteritiam rubeam & nigram.

R.Thaſſorum, (Thaſſus hoc eſt lumbricus terreſtris) ſcrup.iiij.
Antheræ croci ſcrupulum,
Antheræ centaureæ ſcrupulum vnum & medium,
Olei de nuce muſcata drachmas iij
Fiat hauſtus.

Præſeruatiuum generale.

Accipe liquoris myrrhæ,
Thuris ſingulorum ʒ iij.
Laudani extracti,

Olei

Olei nucis muſcatæ quantum ſufficit. Fiat bolus. Doſis à ſcrupulo vno vſque ad vnum & medium,

Deſcriptio in icteritia citrina.

Recipe locuſtarum populi,
Piri,
Botin, ana libram.
Reduc in viſcum aceto & vino.
Eius recipe vncias decem,
Antheræ de croco,
Centaureę ana drachmas duas,
Miſceantur. Doſis drachmę tres aut quatuor cum aqua chelidoniæ, indies ter quoad & dolor & color abeat.

Deſcriptio de chelidonia contra icteritiam citrinam.

Accipe chelidoniæ cum radicibus, & Anthera,
Croci orientalis,
Florum praſſij ana.
Reduc in liquorem per deſtillationem incluſam.
Recipe huius liquoris vncias iiij.
Aſſalionum (Aſſaliæ ſunt vermes ij qui inter aſſeres plerunque naſcuntur) numero quindecim. Commiſceantur.
Doſis, ad tertiam partem. Detur ter,

partem mane, partem altero die mane, tertiam tertio mane.

Accipe thaſſorum vnciam,

Reubarbaræ electæ ȝ.1.ſs.

Vitellorum ouorum numero ſeptem. Fiat mixtura & emplaſtrum ſuper locum pectoris.

Reubarbarum habet arcanum in ictericia, ſed ſit correctum. Corrigitur ſic, ſi tundatur, & cum oleo amigdalarum amararum imbibatur, & bolus fiat, is ponatur in vino ad ſolem, tunc fit oleum citrinum, poſtea ſubnigrum, deinde exprimitur. Doſis reubarbari eſt ſcrupulus id ſingulis dieb. ad tres, aut quatuor dies.

In ictericiam glaucam.

Accipe antimonij libram,

Tartari de vino albo librã mediã,

Aceti deſtillati libras ſex.

Deſtilla in balneo maris per horas ſex vel ſeptem. Doſis vncia vna: vnciæ tres ad dies quatuordecim vacuo ſtomacho, & ſi non curat in diebus quatuordecim, erit incurabilis. quod præſtò eſt lepra.

Medicina in ictericia membrorum principalium.

Cape taſſorum,

Aſſalio-

Aſſaliorum ana ʒ.iij.

Liquoris rhabarbaræ drachmam mediam,

Liquoris de anthera centaureæ ʒ. ij. & mediam,

Aquæ chelidoniæ drachmæ quatuor aut quinque. Fiat hauſtus, cooperiat ſe in lecto ad prouocandum ſudorē, ſi verò ſudor nullus ſentitur, addenda erit vncia media theriacæ optimæ.

In omnibus icteritijs & febribus araneam incluſam teſta nucis, ſuſpenſam collo ſupra locum, qui vulgariter orificium ſtomachi appellatur, teneas, quandiu morbus hæret aut aranea viuat, quo per araneæ attractum, venenum eijcias: moritur autem arena quinto, ſexto, ſeptimo aut nono die. Aut lacertam citrini coloris viuam & inuolutā linteo panno, obducto cera araneæ vice in prædictum locum poſitam, vtile eſt.

De icteritia partium externarum.

Signa.

Dolor cordis, nulla inuitat orexis, aduſtio ſentitur ſtomachi, ſunt iectigationes in membris, & contracturę. ibi vtendum recepto icteritiæ citrinæ.

Descriptio Vnguenti in contractura icteritiæ.
Accipe olei myrtillorum libram,
Galbani libram mediam,
Gummi hederæ ℥.I.
Resinæ de botin ad pōdus omniũ.
Destilla per alembicum in balsamũ artificiale, vngantur mane & sero.
Alia pro confortatione membrorum.
Cape masticis,
Pinguedinis humanæ,
Vitellorum ouorum ana ℥.vij.
Olei de lauro ℥.x.
Destilla per alembicum secundum artẽ vngatur hoc mane & sero.

Item recipe, quod in cōtractura cholicæ describitur: hîc quoque vtile est.
Alia.
Recipe Pinguedinis taxi lib. mediam,
Vulpis lib.ij.
Masticis ℥.I.
Euphorbij ℥.mediam,
Vtriusq; piperis ℥.ij.& mediam,
Vini boni mensuras iiij.
Fiat decoctio iuxta artem, vngatur & illo, prodest & in contractura cholicę.
Icteritia dorsi.
Spina dorsi dolet, si non sit ex tartaro.
Recipe

Recipe aſſaliorum lib.1.
Deſtilla per alembicum, poſtea recipe
Olei de myrtillis,
Anethini ana ℥.iij.
Miſceantur in modum vnguēti ſine cera, vngantur per ſpinam dorſi,

De ſepti & octaua ſpecie icteritiæ.

De ſuffocatione matricis.

Signa.

Caput IIII.

Singultus creber, preſſio oris ſtomachi ſchiæ & lumborum dolor, mouetur flatus circiter vmbilicū ac ſi eſſent prægnantes, profluuium adeſt, torquentur os & oculi: poſtea paroxiſmus epilepticus cum ſpuma & aqua crocea.

Nota, liquores omnium membrorū principalium & aliorum in matrice cōfluunt.

Arcana icteritiæ quoq; adhibeantur ſuffocationibus matricis.

Deſcriptio in ſuffocatione matricis.

Accipe granorum Actis, hoc eſt ſambuci libram vnam, farinæ ſiliginis libras tres, norç ℥.iiij. fiat decoctio peumonia: ſicuti piſtio panis. Doſis ab vncia vſq; ad vnam & mediam.

Alia.

Accipe radicum noræ numero vij.
Assæ fœtidæ grana quatuor,
Florum cheiri,
Terdinæ, id est, valerianæ ana scrupulum. Fiat suffumigatio per orificium matricis.

De præcipitatione.

Signa.

Dolor dorsi, retentio matricis, menstruum album, sterilitas, torsio ventris, & cordis compressio, cholicæ dolor, cōtractura membrorum.

Cura.

Recipe liquoris de carabe,
Lacca,
Manna ana ℥.1.
Tetrapharmacum ℥. madiam,
Fac mixturam in bolum. Dosis, à drachma vsque ad sex aut septem. Detur mane & sero.

Alia descriptio.

Accipe liquoris de xiloaloe drachmam mediam.
Cinnamomi,
Granorum actis ana ʒ. ij.
Seminis peoniæ,

Rutæ

Rutę ana ℥.i.

Fiat compositum. Dosis à scrupulo vno vsque ad vnum & medium.

Descriptio in contractura.

Accipe olei de granis iuniperi,

Quaiaci ana ℥.vi.

Medullæ bouis,

Pinguedinis de mumia, ana librã mediam,

Vnguentis de vulpibus lib.i.

Fac vnguentum.

Descriptio generalis in suffocatione matricis & præcipitatione.

Accipe alcool vini ℥.vi.

Margaritarum non perforatarum vnciam mediam,

Corallorum rubeorum ℥.i.

Liquoris de colcothar scrup.ij.

Fiat mixtura. Dosis sit scrupulus cum semisse.

Notatu dignum.

Liquor cinoglossę in præcipitatione matricis arcanum habet. Item aqua melissæ, & melissa vmbilico supraposita.

FINIS.

INDEX BREVIS IN LIbros de Tartarro Paracelsi.

Arcana

Signa

FINIS.

~~MEDICO-~~
~~RVM AC PHILOSO-~~
~~PHORVM FACILE PRINCIPIS~~

Theophrasti Paracelsi Eremitæ libri v. de Vita longa, incognitarum rerum, & hucusque à nemine tractatarum refertissimi,

VNA CVM COMMENDATORIA *Valentij de Retijs, & Adami à Bodenstein, dedicatoria Epistola, quibus Theophrasti singularis & excellens eruditio commendatur.*

Ἀνέχου καὶ ἀπέχου.

BASILEAE,
Apud Petrum Pernam.

GENERE, DOCTRINA AC PRVDENTIA AMPLISſimo uiro, Illuſtriſsimi Principis Caroli, Marchionis in Baden & Hochperg, etc. à conſilijs: Et Præfecto in Badenuueyler Ludouico Vuolphango ab Hapſperg Domino & Fratri obſeruando, uitam proſperam & longam precatur Theophraſti deditiſsimus Adam à Bodenſtein.



ATVRA PRESTANtior, præſtantiſsime uir, euidenter nos docet, ſemper publica bona anteponenda eſſe priuatis: nam IEHOVA omnibus creaturis ſimul benefacit: Solem communicat bonis & malis, iubetq́ nos aliorum ſalutem æquè quærere quàm noſtram: Ac recta ratio commoda latè patentia, pluribus uitalia & maiora, anguſtioribus, proprijs ac minoribus ſuadet præferenda, quòd uniuerſi potius

sit habenda cura, quàm unius partis. Vnde præclarè scriptum est à Platone (ait Cicero) Non nobis solum nati sumus, sed ortus nostri partem patria uendicat, partem amici, atque (ut placet Stoicis) Quæ in terris gignuntur ad usum hominũ omnia creari, HOMINES AVTEM HOMINVM CAVSA ESSE GENERATOS, ut ipsi inter se alij alijs prodesse possint. In hoc naturam ducem debemus sequi, & communes utilitates in medium adferre mutatione officiorum, dando accipiẽdoque, tum artibus, tum opera, tum facultatibus deuincire hominum inter homines societatẽ: Dissoluuntur enim ac intereunt cito infirma & malè cohærẽtia: concordiæ uero, & constanti firmæque partium cohærẽtiæ stabilitas & immortalitas coniunctæ sunt, quod præ-

prestantiss. doctor Theophrastus Paracelsus lumine diuino miris modis prælucente, semper in animo uoluit, ac obseruauit, qui talentum sibi à Domino traditum, non tanquã inutilis minister terra subhumauit, uerùm summa diligentia, ut frugi hominem decet, ad usuram elocauit, ac Domino lucratus est innumeros homines: quos non solùm conseruauit, ne sæuo traderentur orco, sed etiam occultiori quadam medicina diuinitùs ipsi in hunc usum data, tum corpora, tum animos, firmiora, agiliora & puriora effecit, eaq; in diuinam quasi naturam transformauit. Artem suã omnibus obtulit, quam pauci recẽperunt, quòd tempus nondum foret, quemadmodum propria eius scripta testantur. Nunc uerò multis & uarijs libris manifestissimè

explicata in lucem prodit. Quanuis nonnulli qui in stercoribus oparantur, & in ipsis tanquam galli suesq; gaudentes conabuntur eam impedire ac supprimere, tamen istorum conatus erunt frustranei & uani, præterquam apud eos, in quibus peccatum siue confusio nimis prædominatur, quæ lucem odit: nam æterna lux uult medicinam animę & corporis cunctis hominibus offerri, quo uniuersis succurratur, ne peccatum præualeat gratiæ. Hoc ut perficiatur, & ego excitatus, sum qui hoc tempore nullam rem uideo, qua melius publica commoda posim promouere, quàm si libros Theophrasti, ingentes thesauros, omnibus communicem: artem factis exprimem, quam certisimam & uersimam esse, ab ipsoq; Deo traditam in usus hominum

num quotidie experior. Spero etiam paulatim magis ac magis animos mortalium expurgatum iri, ac illuminatum, ut obijs ulnis hoc bonũ amplectantur, suisq; rebus bene consulant, ac peccati effectus imminuant, cuius rei argumentum certum est, quòd passim multi docti & synceriores iudicij homines ualde flagrent cognitione eius medicinæ, quam Thephrastus docet, eáque maxima admiratione utantur felicissimé. Sunt insuper alij complures, qui libentissimè nostrum Paracelsum sequerentur, si non difficultates & labores obstarent, quasi ignaui & ociosi trophæa debeant erigere, & non amplius dij sua uendant bona sudore, sed ocio, uerbis, gestibus, ornatu uestiũ, applausu populi, & cognitione externa accidentium. Si quid laboris

ſuſcipiendum eſt, confugiunt actutum ad coquum, quo teſtantur labores ad ſe non pertinere, medicinam eſſe ſpeculationẽ abſq; experientia, ſcientiam operatione carentem, nõ artem, contra ſuorum præceptorum ſententias. Hinc fit, ut ſimplicia adulterina in compoſitiones medicamentorum transferantur: imò ſæpiuſculè cõſilium ægroto auxiliũ imploranti datur: & neſcit medicus ſimplicia, quanuis ea oculis uideat, ac manibus tangat, quænam ſint. Quomodo igitur errores corrigent, aut alios ignota, quod officium doctoris exiſtit, docebunt? Naturam noctes atq; dies ubique ſedulò laborantem, quæ in hac arte præſtantiſsima magiſtra eſt, negligũt, ac minimè ipſam imitantur, cùm ſint ipſius ignari. Phyſica, mathematica, & ſpagyrica, in

quibus

quibus hęc ars tota consistit, aut penitus ignorant, uel tanquam canes Nilum degustarunt. Quæ non intelligunt, ea uituperãt quasi omnia scirent, nõ considerantes artes nullos habere aduersarios, prætérquã negligentes, & ignorantes. Asserunt Theophr. noua principia, ipsaq; falsa, statuere, se uerò Aristotelis, totiusq; naturæ uerisima habere, per aliquot millia annorum comprobata. Quantum ad prima naturæ principia attinet, uerisimũ est, ipsum hominibus noua nõ naturæ tradere, quæ cunctis diligentius eam considerantibus demonstrat. principia Theophrasti esse certisima, & Aristotelis hominum arbitrio constituta, & leui iudicio probata constat. Aristoteles quidem tria constituit: totidem & Parascelsus. Aristoteles tres ipsis ascri

pſit proprietates, ſcilicet ante omnia eſſe, omnia ex ipſis oriri, ac ex ſe inuicem non naſci, quas Theophraſtus ueras eſſe comprobat. Quid ergo eſt diſcriminis? Dicam & quàm breuiſsimis potero. Ariſtoteles ait principia eſſe materiã, formam & priuationem: Theophraſtus uerò, ſulphur, Mercuriũ & ſalem. Ariſtoteles enim inquit, Neceſſarió unum aliquod eſſe omnium rerum materiam, ſubiectũ & fulcrum, ex quo cunctæ res oriantur primò, & in quod reſoluantur ultimò, fiantq; in ipſo ſimplicium corporum tranſmutationes. Deinde duo oportere contraria inhærere materiæ: nullam enim rem ſui ipſius appetere interitum, nec ſe ipſam lędere, quatenus una exiſtit, ac tranſmutationes fieri ex contrarijs in contraria, manifeſtiſsimè conſta-

conſtare: ergo duo cõtraria ſaltem inſunt materiæ, hoc eſt, forma & priuatio: quare illa informat rudẽ, & omni qualitate carentem materiam: hæc uerò eſt nouæ formæ abſentia, defectus & deſiderium: quæ tria (ut ſæpius aſſerit Ariſtoteles) nullo ſenſu deprehendi poſſunt, ſed proportione corporũ propoſitorum inueniũtur, & diſtinguuntur. Theophraſtus autem longè manifeſtius principia inueſtigauit ac plurimis docet libris, quę ſenſus deprehendunt, & ratio cõmoſtrat, Deusq́ꝫ creauit: nam in quæcunqꝫ omnia corpora diſſoluuntur ultimò, ex ijſdem quoque componuntur, & in ſulphur, Mercurium & ſalem omnia corpora ultimò reſoluuntur, quod experientia manifeſtiſsimè demonſtrat. Quicunque enim corpus aliquod cõpoſitum

diligentiſsimè in partes ſpagyricia arte diſſoluit, uel obſeruet diſſolutionem abſq; hominum opera fieri, ſemper inuenit iſta tria paulatim tendere ad ſua prima, nec plura, nec pauciora. Sulphur autem eſt omne id quod incēditur, nec quicquam concipit flammam, niſi ratione ſulphuris, quod exiccat, & conſumit humidum in corporibus cōpoſitis. Mercurius ſiue liquor, eſt omne fumoſum & humidū in quouis corpore, nec ulla res in fumum conuertitur, niſi ratione Mercurij: nec in altum tendit abſque eo, qui ſulphur & ſalem ſæpe rapit ſecum. Quicquid in cinerem ſiue calcem redigitur, eſt ſal, nec ullus fit cinis, niſi ratione ſalis qui purgat, abſtergit, ac putrefactiones arcet, ut in ligno ſulphur ardet, Mercurius exhalat, ac fugit cum parte ſulphuris:

ris: unde facilè fugiens etiam incenditur: cinis est ipsum sal, ex quo præstantissimum, ac bene purgatũ extrahitur alkali, nostris corporibus aptissimum. Hæc tria in quouis corpore inueniuntur, licet plurimum tegantur: dissolutio enim docet constructionis methodum. Ad materiam primam adeò informem, ut omni careat qualitate ac quantitate, formam occultissimè informantem materiam, ac priuationem imaginatione constitutam nemo unquam perueniet, nec compositione, nec dissolutione, multò minus aliquis usus in mistis osten di potest, quòd fictæ res non sint rerum naturalium partes, nec ipsius naturę: nulla etiam methodo ἀναλύσεως, nec συνθέσεως, unquam possunt ipsorum progressus demonstrari. Nostra autem magno homi

num commodo ſemper in quouis corpore oſtendi poſſunt, & quodnam præualeat. Ac quantò magis componuntur, tantò magis tegun tur, & à prima ſimplicitate diſcedunt: et uiciſsim quò magis con creta diſſoluuntur, eo ſimpliciora apparent, quod intelligendum eſt geometrica proportione nō arithmetica in corporibus miſtis, ut calor ignis congregans homogenea, & diſgregans heterogenea pulcherrimè probat. Cæterùm for ma, materia & priuatio, ut principia rerū, nuſpiam ne ſubtiliſsimo philoſopho apparent, & nihilominus uolunt quidam ea eſſe principia naturæ, quæ ſua agit, ac facit re uera, & corporibus non imaginatione aut mentis operatione, alioquin Platonis & Pythagoræ prin cipia longè forent meliora Ariſt. Gi-

Gignit enim natura CORPORA EX CORPORIBVS, quocirca nec alia agnoſcit principia ꝙ̃ corpora. Secundò, omnia principia, ex quib. diſciplinæ demonſtrantur ac res prodeunt, priora, notiora, ſimpliciora & certiora eſſe debent ipſo effectu, quod & ipſe Ariſtoteles, multiq́; Philoſophi uno fatentur ore. at iſta tria imaginatione cõſtituta, non ſunt compoſitis notiora, nec certiora, quòd nec ratio, nec ſenſus ea apprehendat. Nam res genitæ ſentiuntur: ac ratio colligit per ſenſus eas eſſe in certo ſtatu, ut Socratem uideo, tango, olfacio, & audio. Deinde ratio colligit ipſum non alium eſſe hominẽ quàm ipſũ certum, & indicat non eſſe brutũ, multò minus plantam, metallum, aut aliquid quoduis corpus. Materiam uerò, formam, ac priuationẽ

principia, nec ratio,nec ſenſus capere poteſt,ſi etiam Socratē in mille diuideres partes, easq́ꝫ componeres diuideresq́ꝫ pro animi arbitrio. Analogia ſiue proportio, inquit Ariſt. docet iſta principia. Cernimus enim in omnibus compoſitis eſſe quandam materiam, quæ exiſtit ſubiectum cōtrariorum in mutatione,ac tandem reſolutione ultima unum duntaxat eſſe ſubiectum omnibus rebus commune colligimus: in quo nihil contrarij per ſe eſt, ſed cōtraria ipſi inhærent. Hæc quidem dicuntur à quamplurimis qui ſummam naturæ ſcientiam ſibi aſcribunt, probatio autem nulla adeſt,quòd captum humanum, & naturæ ordinem excedant. Si proportio ſola nos ducat in cognitionem principiorū, cogimur certè nolētes ſiue uolentes fateri, accidentia

dentia omnia quæ naturalibus corporibus inhærent, sensibusq́ obiecta sunt, & sua habere propria principia. Cur enim potius substantia haberet sua principia atq́ colores, sonus, sapores, odores, lumina, aliæq́ res huius generis innumeræ? Ex materia sanè informi & inani non prodeunt, quòd omni accidente careat, alioquin certi aliquid denotaret: nec ex forma, quæ necessariò aut est substantia, aut accidens: si essentia (ut pleriq́ affirmant) non fiunt ex ipsa accidentia, quòd sit simplicissima & incorporea, quemadmodum nec ex accidentibus ulla fit substantia: si autem dixeris accidens esse, nil certi potest significari quod sit transcendens, & nullius certæ categoriæ: nam qualitas solùm esse nequit, quòd ex qualitate & substantia omnis corporis

expertè nõ posſit gigni quantitas; ſic nec ex quantitate, nec huiuſmodi ſubſtantia qualitas oritur. Eadem eſt ratio quoque de reliquis categorijs. Ex priuatione quæ nihil (teſte Ariſtotele) per ſe exiſtit, multò minus ulla res naturalis fieri poteſt: Quo modo itaq; ratio noſtra huiuſmodi principia cognoſcet? proportio quidem falſa præſcribitùr, quæ eam ſolicitè inquirẽdo ſeducit, indicatq; fundamentũ ultra limites naturæ, quod unquã inueſtigari poteſt. Quantò enim ſingula diligentius examinat, principiaq; inquirit, tantò magis ratiocinando aberrat, cernitq; totius philoſophiæ fundamentum, fragile, inconſtans, & fictum eſſe. Quia ordine ſingula inquirens, hoc modo miſerè fallitur, nec tamen commodiorem rationem Ariſtoteles

cum

cum tota sua secta præscribit, nec ratio inueniri potest: prima materia, aut est substantia, aut est accidens. Respondent sectatores Aristotelis, substantiam esse quę necessariò uel est corporeā, uel corporis expers. Si corporeā dixeris ipsam esse, continuò sequitur contra Aristotelicos, elementa nō esse simplicissima corpora, nisi cum Empedocle asserere uolueris, omnium materiam primū esse quatuor elementa, quam opinionem Aristoteles, ac pleriq; Philosophi, ut falsam cōfutarunt, & proprijs qualitatibus quæ sub sensum cadunt esse præditam: siquidem corpus naturale est substantia, quæ prædita qualitatibus sentiri potest. Sin uerò affirmaueris expertem corporis, longè magis animus admiratur, qui cor pus nascatur ex substāntia incorpo

rea, quæ omni qualitate, magnitudine ac pondere caret, & unde tam ingens mundi sit machina orta. Quòd si respondeas, concursu materiæ, ac formæ: interrogat iterum, illa forma, est ne substantia, uel accidens? Substantia esse nequit, quod nec expers sit corporis, nec eius particeps: si enim corpus foret, eadem absurda sequerētur, quę suprà diximus materiam consequi, & corpora mista fierent ex forma, non solū materia: ex quouis enim corpore aliud fieri potest. incorporea neque esse: cùm duæ substantiæ omnis corporis expertes nullo modo efficiant corpus, quod & ipsi fatentur dum inquiunt: Composita sunt eiusdem naturæ cum ipsis ex quibus componuntur, ex lignis, ligna, ex metallis metallica, ex elementis, elementata, &c. dicemus ne hūc mū

dum

dum esse incorporeum? nequaquam: Cedò ergo, unde tam amplum corpus totus hic mundus originẽ duxit? Respondes denuò, ex materia, ex forma. At ex substantia incorporea, & informi, nihil est nisi incorporeum: da cõtradictionem, & ostende quando, ubi, & quomodo natura incorporea tantum opus genuerit, ac gignat. Explica simul, qui poterit incorporea substantia alterius esse subiectum, uel alteram informare, & quomodo sit finita, qui sint termini, siue limites eius: & materia cùm sit omnis qualitatis expers, demonstra quibus rationibus corpora prima, siue elementa sint primò ex materia & forma distinctè nata. Profectò uolens nolens contra omnes Philosophicas rationes cogeris fateri hunc mundum temerè, ac fortuitò

natum esse. Cur obsecro incorporea substantia potius corpus efficit leuissimum, tenuissimum, calidissimum & siccum, quod elementum ignis uocatis, quàm humidũ frigidum & graue, quod aquam appellatis? Naturaliter talis distinctio si facta sit, aut adhuc fiat, necessariò causa existit aliqua. Si uolueris hoc fieri ratione formæ, oportet ipsam formam huiusmodi aliquid antea fuisse, & quatuor simplicium corporum distinctas naturas continuisse, atq; adhuc continere, sicq; nõ erit substantia incorporea, nec accidens, sed corpus. Deinde cùm natura rudis (quam Plato inane aut uacuum appellat) alias ac alias appetat, & suscipiat formas, quarũ absentia est priuatio, & priores necessariò intereant, quo modo rursum nascuntur? aut qua ratione fiunt

unt nouæ: & nihilominus priores non precedant posterioribus cum sit unum & idem principium: forma succedit priuationi, & priuatio formæ: sed unde iterum prodeunt, & quò abeunt quæritur. Hæc forma si substantia est, oportet ut intereat substãtia, nisi transeat in materiam, quod tamen nolunt, quia nec ex alijs, nec ex se inuicem fiunt, & suscipit accidentia: quòd omnis substantia suscipiat accidentia præter Deum. Priuationem interire & ipse Aristoteles asserit, soli materiæ immortalitatem uidetur ascribere: inquit enim in fine lib. primi, primo Phisicorum de materia quam sæpe priuationem & potentiam uocat. φθείρεται δὲ καὶ γίνεται ἔστι μὲν ὥς, ἔστι δ' ὡς οὔ, ὡς μὲν γὰρ τὸ ἐν ᾧ, κατ' αὐτὸ φθείρεται, τὸ γὰρ φθειρόμενον ἐν τούτῳ ἐστὶν ἡ στέρησις, ὡς δὲ κατὰ δύναμιν, οὐ κατ' αὐτό, ἀλλ' ἄφθαρτον, καὶ ἀγέννητον ἀνάγκη αὐτὴν εἶναι.

Hæc certè sententia de principijs seipsam cõfundit, & euertit ex Aristotelis uerbis: quem tamen uidemus docere, formam primam non esse substantiam, ut complures interpretes, sed qualitates primas: nam libro primo Physicorum ait, materiam esse quodammodo substantiam, formam spectare ad primam sapientiam, & duo principia cõtraria inhærere materiæ. postea cap. primo libri secundi, de Ortu ac interitu suam sententiã planius explicans dicit: Nos autem dicimus corporum quæ sensu percipiuntur materiã quandam esse, eamque nõ separabilem, sed repugnantiæ semper coniunctam, ex qua elementa oriuntur. Et paulò pòst cõcludit: Itaque primò quidem sensile corpus principium est: deinde contraria calor & frigus: tertiò simul

mul aqua & ignis, alia'que eiusdem generis. Materiam uocat corpus potentia sensile: quia quòd sit uera essentia & ex ipsa corpus uoluerit gigni. Formam, contraria quæ materiæ insunt, ex quibus tertiò fiunt corpora simplicia. Hanc sententiã Galenus libro primo Elementorum, his ferè explicat uerbis: Fatentur omnes Philosophi, materiam quandam omnibus elementis subiectam esse, quę omni caret qualitate, ac in ea summum calorem ignis esse principium: præterea eandem materiam, nec unquam oriri, nec interire: qualitates uerò in ea interire ac gigni. Deinde in eodem lib. sequitur: Cùm enim materiæ summus accedit calor, tunc uniuersum illud est elementum. Eodem modo etiam, quoties summum frigus, humor, aut siccitas materię coniun-

gitur elementum existit, nec ex ullis alijs qualitatibus iudicatur elementum, quàm hísce quatuor: Solæ nanque hæ quatuor materiã subiectam commutando, causæ sunt elementorum. Hæc non quòd ea sicuti uera & utilia probemus, ascripsimus, sed ut partim studiosi iudicent, quantum pleriq; interpretes ab Aristotelis sententia discedant, quæ magis ad ueritatem accedit, quàm ipsorum figmenta omní ueritate carentia. Cęterum quomodo forma mera qualitas, materiæ substantiæ incorporeæ misceatur, nuspiam ab Aristotele nec interpretibus docetur, nec potest uera misturęratio tradi quòd non fiat talis cõpositio in rerum natura, qualem ipsi præscribunt. Qua enim ratione substantia incorporea & qualitates concurrant, ac tam immensa

cor-

corpora cōſtituant cū omni quan titate, ac corpore careant, omnem excedit ratione᷉ ac fidem. Quomo do hic tantus mundus conſiſtit, ac ſuffulcitur ſubſtantia omnis corpo ris experte & qualitatibus. Fruſtra hîc laborat quæq; anima, inquiren do talia uana fundamenta. Eſt & ſubſtantia prior accidentibus, er go principium alterum ſequitur al terum. Si uerò ab æterno dixeris fuiſſe, quis intelliget, quomodo res mutabiles ſint ex æternis & im mutabilibus ortæ? cùm qualitas nō minutum temporis exiſtat abſ que ſubiecto, quod tamen uolunt cum ea corpus conſtituere. Quis obteſtor ſanæ mentis contra ſan ctiſſimam, ac firmiſsimam ueritatem credet, materiam & formam ab omni æternitate fuiſſe? Deus e nim IEHOVA in principio crea

uit cœlum & terram, aliaq; prima corpora, ex quibus cũcta iuxta formas suas sex dieb. produxit, nõ igitur solũ talia falsa ac absurda, qualia uera ratio nunq; percipere potest, sed & impia, quibus bona adolescentum ingenia obruuntur, & corrumpuntur in scholis, ac passim à Deo ad uarias hæreses abducuntur. Maxima est Dei laus omnia posse, ac ex nihilo omnia creasse, quæ isti turpissimè nituntur negare, aut perperam obscurare huiusmodi principiis, de quibus tot ferè extant opiniones, quot scriptores. Valeant itaq; huiusmodi opiniones quę Dei gloriam tollere student. Sic Galenus libro xi. capite xiiii. de Vsu partium iniquissimè reprehendit Mosen sanctissimum Prophetam, quòd asserat Deum omnia posse, & mundum ex nihilo

lo creasse, unde dicit: Certè Moyses quidem ita de natura ratiocinabatur, cuius ratio quam Epicuri uidetur mihi probabilior: optimum tamē est neutrius rationem sequi, sed potius generationis principiū quod à creatore ducitur. Et paulò pòst: Neq; enim si lapidem repente (Deus) uelit efficere hominem, id poterit. Atq; in hoc ratio nostra ac Platonis, tū aliorum, qui apud Græcos de rerum natura rectè conscripserunt, à Mose differt: satis enim ipse in rebus efficiendis uoluntatem Dei esse: siquidem omnia Deum facere posse arbitratur: si etiam ex cineribus equum aut bouē facere uelit. Nos uerò non sic sentimus, sed confirmamus quædam naturam efficere non posse, eaq; Deū ne aggredi quidem omnino, sed ex ipsis quæ facere potest, id quod

melius est, eligere. Lactantius lib. ij. capit. xi. multis agit argumentis contra eos, qui putabant materiam primam semper fuisse, ac Deum ex ipsa fecisse uniuersa. Idem & alij patres tractant, qui impium esse cum sancto spiritu iudicãt, falsa in scholis Christianorum docere. Qua de causa bene loquitur Tertullianus in libro contra Hermogenem, Philosophos esse Hæreticorum patriarchas, uarijs cũ probet argumentis in quinto contra Marcionem, tum hoc toto libro: quoniam Hermogenes autumauit, materiam ab æterno fuisse, & semper futurã, totumq; mundum ex ea factum esse: quia Deus, ait, aut ex nihilo, aut seipso, aut aliquo, fecit omnia, ex nihilo non potuit, quòd Deus summum bonum & perfectißimũ sua uoluntate nil nißi bonum sibi simile

se creasset, sed plurima cũ sint mala, non possunt ex summo bono originem habere, sed ex materia prima. Deinde semper Deus fuit Dominus alicuius subiecti, quod est materia prima. Ex seipso nõ fecit: alioquin omnia forent diuina, & partes mundi imperfectę & ipse Deus mutilus, quòd partes ipsius essent dispersæ. Aut omnes res unus deus, nec res amplius fierẽt, sed essent. Ergo concludit hunc mundum ex materia prima, quę semper fuit, genitum esse, quæ Tertul. eruditè lib. toto. contra Hermoge. confutat, et multis uarijs que argumentis probat hunc mundum nõ esse productum ex ulla materia, sed creatum ex nihilo. Quum itaq; principia rerum naturaliũ neque antè esse substantię corporis expertes, multò minus accidentia, quæ

non per se existunt, sed substantiæ ut puriori, solidiori, & constantio ri inhærent, nec ex utrisq; composi ta, quòd inter se conuenire nō pos-sint, necessariò corpora erunt: quę, aut sunt simplicia & prima, aut ex simplicibus & primis composita. At ex principijs omnia fiunt, & i-psa ex nullis alijs, nec ullum cor-pus ipsis prius, uel simplicius exi-stit, nec per alia sunt, aut constant, sed alia per ipsa. Præterea Deus omnia creauit diuina eius uolunta te per Iesum Christum omnis bo-ni ueram causam, sine qua nihil fa-ctum est: principia etiam sunt ple nè in principio mundi creata, cùm sint perfecta corpora omnium mi-storum, fulcra, materia & funda menta, quæ primò in plærisq; fue-re nudiora & simpliciora, ut & ho-die, sed paulatim magis, ac magis
ipso

ipſo concurſu tecta & recõdita, ſic aqua mercurialis produxit iuſſu Domini omnia ſua in quibus longè plus ſalis & ſulphuris reperitur; quàm pura aqua. Contrà in animalibus plus mercurij eſt, quàm terra quæ ea genuit. Tertiò, principia non intereunt, nec oriuntur. à cõdito enim mũdo ad finem eius permanent, unde perpetua eſſe oportet, quamuis geometrica proportione miſceantur, adeò ut nullum ſit omnino ſimplex. Quartò, natura neceſſariò in tranſmutationib. ex ipſis ſolis omnia componit corpora, & in ea ultimò reſoluit, non imaginatione, ſed reuera, & quanto diſſolutio diſcedit à propoſito, tantò magis oſtendit natura & ars ſimplicia. Quæ ultra hæc finguntur, nec ratio, nec natura agnoſcit: ergo principia ſunt corpora prima

& ſimpliciſsima, creata, perpetua per ſe conſiſtentia, ex quorum miſtione omnia fiunt, & in quæ ultimò reſoluuntur. Vana falſaq́ eſt horum imaginatio, qui aſſerunt in omnib. tranſmutationib. corporũ diſſolutionẽ fieri in materiam primã Ariſtotelis, quæ eſt ſubſtantia incorporea: ac terminũ diſſolutionis, in quo incipit cõpoſitio, fingũt minuto fieri temporis, quod nullo modo rationi eſt conſentaneum: ſiquidem granum aqua diſſolutum in pauimento, uel aſſere, interit, ac producit primò candidã aut flauam herbam, deinde uirentem, quæ naſcitur ex corpore grani non ſubſtantia incorporea, ut quiuis cernere poteſt. Ita ex grano ſinapeos naſcitur frutex, ex hordeo hordeum, ex ouo generatur pullus, nõ canis, id eſt ſignum euidens

dens ista non transire in materiam primam: quia si fieret materia prima, nulla foret causa per quam potius nasceretur ex ouo pullus, quā planta, aut metallum, lapis, homū culus, aut quiduis aliud: quòd materia prima omnibus caret qualitatibus, & nullā habet inclinationē ad hanc, uel illam rem, & forma perit, euanesceretq; oui aliorumq; natura, ut nihil corporis appareret, quod contra euidentissimam experientiam dicitur, sine qua ratio nihil constituere debet. Inspiciamus hunc amplissimum mundū, eiusq; uarias partes, & uidebimus absq; longa inutilíque disputatione tria principia à Theophr. descripta esse uerissima (Vulcani opera id optimè fit). Quòd uerò elemēta nō sint corpora simplicia, sed matrices ortæ ex primis tribus, nec requirāt

materiam primam in ſuorū tranſmutationibus, aliaq́ue nonnulla, in epiſtola quadam quam pręfigimus libris Theophraſti, præceptoris noſtri fideliſſimi, & monarchæ totius medicę religionis unici, breuiſſimis uerbis commonſtrabimus. Hæc etenim omnia ſi hîc tractaremus, epiſtola nimis creſceret, lectoriq́ue moleſta foret. Nec quiſqam ſibi perſuadeat, nos hæc docere propterea quòd aut Theophraſtum arbitremur quicquam omiſiſſe, aut nos melius ipſo poſſe id negotium explicare, ſed cupimus bonarū diſciplinarum ſtudioſis uiam ſternere ad eius Paracelſi præclariſsima, ac utiliſſima ſcripta intelligenda, in quibus hæc aliaq́ue multa copioſiſsimè manifeſtiſsimeq́ue exponuntur: & calumniatores eſſe probantur, qui affirmant Theophraſtū eſ

se duntaxat Empiricum, ac omnia confusè docere: ubiq; enim causas propinquiores, ueriores & interiores inquirit, ac docet, ex quibus postea totam methodū pulcherrimè deducit, sed hoc nō est mirum, nec nouum: solent nanq; furore rapti circunsepti'que mendacijs ea haud difficilè reprehendere quæ non intelligunt. Legunt nonnulli aliquē librum Theophrasti, quem si non capiunt, arbitrantur id nō sua, sed authoris culpa fieri, quasi omnia confundat, & methodi sit imperitus, & isti omnium rerum sint gnari, nihil'q; eos lateat. Quibus ego si respōdere conarer, integrum, id'q; maximum uolumen foret conscribendum, in quo singulorum librorum Theophrasti doctrinā & methodum, qui meas in manus peruenerunt unquam ostenderem. Le-

gant, ac relegant ipſimet libros Paracelſi, depoſitis animi perturbationibus, falſisq́ contumelijs quæ homines nimiũ à ueritate in tenebras abducunt, & dubio procul cernent Theophraſtũ methodicè docere, præcipuè ſi adhibuerint diligẽter manum aratro, hoc eſt, laborarint, eaq́ confecerint quæ ipſe præſcribit. Nec opus eſt ut longè exempla petamus: nam ueræ methodi cùm ubiq; exempla proponat, tum in hoc libro propoſitũ nobis omniũ eſt commodiſsimum. Hoc autem quò melius appareat, paulò altius totius negotij cardinem repetam, quòd cõſtet, multos clamitare methodum deeſſe, qui ignorant quæ ſit uera hiſtoria methodi, quam natura & recta ratio præſcribũt. Methodus eſt breuis ratio, ac uia rectè docẽdi: docemus autem rectè per

notiora

notiora,aut nobis,aut naturæ. No bis ſunt notiores effectus, fines,res ſingulares,totæ & cõfuſæ,per quæ argumẽtamur ratiocinationib. & enthymematis. Ab huiuſmodi no tioribus doctrina quoties fit, dicitur methodus diſſolutionis, Grecè ἀνάλυσις uel μέθοδος ἀναλυτική. Altera huic prorſus contraria fit per cauſas, generalia, & partes. argumenta mur uerò inductionibus & exemplis, fitq; progreſsio à ſenſibus ad intelligentiam, illic contrà. Latinis appellatur cõſtructio, aut compoſitio, Græcis σύνθεσις uel μέθοδος συνθετική. Has duas quouis tempore natura nos docet ſua corpora componendo, ac diſſoluendo: & ratio humana non difficulter eas obſeruat, ac uſurpat in diuerſis negotijs, licet pauci animaduertant. Tertia utriuſque particeps non incommodè

ipsis annumeratur, qua totum partibus certis proponitur, quæ singulatim ordine explicantur, id fit, aut diuisione, aut definitione, propterea & ipsa methodus dicitur diuisionis & definitionis, cùm tamen re uera totum si spectes negotiũ prorsus una & eadem sit: quòd totũ semper proponatur, idq; partibus explicetur, definitio sit idem quod res definita, & partes omnes simul iunctæ idẽ quod res definita: priores duæ sunt naturæ ac rationis, hæc solius rationis, qua utitur suis in negotijs, quoties neutra priorũ commodè uti potest. Ex fine inuestigatur methodus: nam is si totum fuerit aliquod, docẽdus est per causas constructione, uel partes definitione, siue diuisione: sin autẽ pars, dissolutione. In libris uerò conscriptis optimé discimus methodum

ex

ex ordine progressionis. Harum rationem docendi semper una est præcipua in quouis opere, cui & reliquæ miscentur & inseruiunt. Quô autem methodus huius libri manifestior fiat, ordinem ac summam totius operis primò referemus, ex quibus postea eliciemus methodum. Totum opus quinque absoluit libris: quorum in primo docet, duplicem esse uitã, quid uita longa, quibus medijs comparetur, hominem constare duobus corporibus, quorum alterum naturale est conflatum ex uarijs partibus, similaribus & dissimilaribus: alterum est cœleste præter naturam, physico mistum corpori: unde uita duplex existit, naturalis & cœlestis, in partium concentu longam uitam consistere asserit. Hæc quo manifestè & uera doceat me-

thodo causas diligenter explicat, primò, duo cũ sint corpora mista quæ unum corpus cõstituunt, modum indicat cognoscendi & iudicandi partes naturalis corporis, uitam, ualetudinem & mortem, atq; quibus ex causis prodeant. Postea inquirit fontes uitæ longæ per suas causas, certaq; principia more mathematico, ac inuenit, eam non effici hoc mortali corpore & uita eius fluxa, sed cœlesti uita & corpore quod non uidetur: quæ duo cõiuncta & mista corpori naturali, perfectæ causæ sunt uitæ longæ. sic homo quatuor causis siue parentibus fit: nam duo corpora ueluti matres diuersæ, hoc est, naturale & cœleste cõcurrunt, & duæ uitæ, hoc est formæ quasi patres, naturalis & cœlestis unà gignunt filiũ unicum, qui est mas, id est uita, & fœmina, id

est corpus. Duplex medicina ipsi adhibenda, altera, ut cõseruẽt, altera, ut restituant amissa. Praxis similiter duplex, altera physica, altera uitæ longæ, utraq; ex fine iudicanda est: uita aũt lõga duob. quia in corporibus existit tanquã materia, & duab. formis causæ efficientes sunt inquirẽdæ, & cõsiderãdæ, quas præcipuas sex esse docet. prima est magia diuina, per reuelationes Dei hominibus tradita, quæ ex diuinis æternisq; corporibus influit in hoc mistum corpus, & conseruat illud: qua primi parentes edocti, noningentos annos uiuendo transgressi sunt. Secunda est causa naturalis, qua ex mineris subtilissima separatur essentia uirtute ignis, quæ corpus senectute confectum pristinæ iuuentutæ accuratè restituit, ac ab omni ægritudine liberũ reddit. Ter

tia est magia, non à Deo immediatè, sed à supercœlestibus corporibus influens in hoc mistũ corpus quod etiam regit. Hac usus est Mahometus, ac sibi nomen comparauit quasi immortale: huius periti fuerunt & magi tres Christũ quærentes. Quarta imitatur falsò præcedentem propter naturę ignorantiam: quia transmutat corpus naturale nimium in phantasticũ, quod diu oberrat, imò etiam ad extremũ iudicij diem, non uerè uiuens, quare uita longa ibi falsò existit. Quinta, impressio deltica, siue imaginatio, qua alter alterius uires accipit: huc spectãt signa, characteres, figuræ & orationes. Sexta, astrorum influentia, quæ aut certis medijs corpus humanum donat longa uita interdum accedente quoq; imaginatione, corpora mortalia efficit im-

immortalia, qualia in terris & aquis uersantur. In secundo lib. exponit primò rationem methodi, et quæcunque in primo lib. generatim sunt tradita, eadem particulatim ibi interpretatur, præsertim corpus morbis afflictum, quomodo curari & cõseruari debeat per arcana & balsamum. Ordo morborũ hic est, podagra, gutta, lepra, epilepsia, febres, apostemata, hydropisis, dissoluta, uermes, cancer, syrones, pustulæ, ulcera & uulnera. In tertio persequitur rationem medendi, uitamque producendi certis medijs, sed alia ratione quàm in secundo, ubi tractatur corpus infirmum, hîc uerò ad conseruandum & tuendum illud, parantur arcana ex auro, gemmis, herbis, anthimonio, sulphure, mercurio, uino, mũmia, satyrione, & primo metallo.

In quarto iterum ad generaliora rẽdit, primò tractans de quadam uirtute inuiſibili quæ ualde multum præſtat corpori, uocat eam balſamum, omnem corporis naturam excedentem, qui duo corpora coniunctione conſeruat, & cœleſte corpus unà cũ quatuor elementis ſuſtentat: ineſt autem duob. modis, uel caſu, & clàm agit, uel artib. certisq́; medijs comparatur, ut herbis, metallis, quintis eſſentijs, alijsq́; rebus uitæ longæ certos præſcribit terminos: non quòd omnis uita poſsit extendi, ſed ut homo cõſideret ipſum terminum qui promoueri poteſt: duplex enim eſt terminus, alter naturalis uitæ fixus, quẽ homo Microcoſmus ſuperare nequit. Alterum certis medijs tranſgredi poteſt. Iliaſtrum triplicem diſtinguit, ac medico diligenter conſiderandum

ſiderandum admonet, ne pugnantia coniungat: quorum primus ex elementis originem, ſecundus ex magnalibus, tertius ex proprijs ſpecificis ducit. Primus aliquando addit decem annos, interdum uiginti, nōnunquam plures, morbos tamen non tollit. Formæ ipſius tot exiſtunt, quot ſunt homines. Secūdò tradit ſeparationem atq; purgationem noſtri corporis, qua paulatim aſcendit ad cœleſtem naturam, non tamen relicto corpore phyſico, ſed omnes partes purgantur, ac figuntur lucidiſſimo reflexionis calore, quo frigida, immūda & obſcura à calidis & ſplendidiſſimis diſiunguntur. Sic primus Iliaſter non ualet per ſe, niſi quòd arceat interitum per arcana, ſed omnia aguntur auxilio reliquorū. Ergo Mummia uitam longam efficiens, ex tri-

bus anatomijs cōponi debet, quō sit res arcana, in qua latitant res cœlestes. Diligenter itaq; consideran dæ sunt exaltationes rerum, ac gra datim ad immortalia fixaq; pergen dum: singula nanq; habent sua æterna, ac firma in eodem ordine, ut noster Maius fluxos, tēporaneos & fugaces flores producit: alius ue rò perpetuos & immortales. In 5. lib. rursus indicat suā methodū, & asserit ea se absoluturū quæ in primo cœpit docere, ostendit duas esse uires, siue formas in hominū po testate, naturalem & aeream. De il la dictum est: hanc uerò quę omnis corporis est expers hoc lib. tractat. Vitæ longæ terminus est mille an ni, & minimus sexcētesimus: sequū tur postea canones & conditiones uitæ longæ, quæ in aerea consistit uirtute, quę, aut est sanitas fixa, aut ægritu

ægritudo constans & firma qua æger diu uiuit. Postremò concludit nos uitam longam cœlesti uirtute, ac arte consequi. Ex his omnibus manifestum est methodū esse con structionē, quia proposuit uitam langam, quam pulcherrimè causis necessarijs ac proximis demōstrat. Imò in secundo & tertio libro exponuntur generalia per partes & exempla, ne sint obscura, causæq́ melius appareant, ac finem lectori ostendant, quod in huiusmodi methodo requiritur: hinc ultimò con clusionem ex causis & partibus urget. Hæc omnia uir generosissime multis & uarijs de causis tibi dedicare, ac sub tuo nomine in lucē pro dire uolui, nostræ ut amicitiæ reb. honestis ante complures annos initæ, quam cupio sanctam & firmam permanere, dum tuis meisq́

corporibus uita duplex cohæreat, ac meæ gratitudinis erga te bene meritum, extet perpetua memoria. Deinde rara tua eruditio, linguarũ præclara cognitio, & eximia prudentia iam nõ solum apud illustrissimum principem Marchionem Badensem & Phorcensem sæpissime cõprobatam, sed etiam multis Imperij sacræ Comitijs, iudicium præclarum & acutum in huiusmodi rebus, & arduis negotijs iudicandis, bellicæ singularis peritia, honestarum disciplinarum ueritatisque Euangelicæ promotio & amor flagrans, quæ cum genere clarissimo plurimum te omnibus bonis commendant, ac illustrant, merenturq; uitam longam, quam hisce quinq; libris tãto ingenio ac industria uir nobilis Theophrast. docet, ut nulli his sint cõparandi, quod causas

primàs, ueras ac proprias tradat, cũ alij remotas & minimè sufficientes docuerint, ac pro ueris obtruserint, quorum ex numero doctissimus Marsilius Ficinus præclarissima utilissimaq; uidetur in lucem edidisse, praxim uerò exiguam, leuem & ieiunam addidit; quanuis semina producẽdæ uitæ obiter sparserit, cuius radices ueràque fundamenta hîc adeò manifestè ac methodicè oculis subijciuntur, ut nunquam à cõdito mundo hoc tam luculenter in lucem prodijt. Nos quidem anno 1560. quatuor libros de uita longa typis mandauimus, sed adhuc imperfectos: quia liber quartus totus defuit, ac multa capita primi & tertij lib. utilissima; nunc autem perfectos, ac ex ore Paracelsi diligenter exceptos & recognitos publicamus, quos spero ubi

grauiſsimos, ac utiliſsimos fore in uita longa producenda, qui pro æ-tate ſortitus es à domino Deo corpus bonū & cōmodum, quod arte uera in debita harmonia conſeruari poteſt. Si aliqua tibi uideantur obſcura, libentiſsimè ac manifeſte explicabo. Vale feliciter cum tuis duobus corporibus, duabus uitis & ſpiritu uno. Ex Muſæo noſtro 1562. die Viſitationis Mariæ.

VALENTINVS DE RETijs pio Lectori S.

THEOPHRASTVS Paracelsus ex Nobili Prosapia Suedigena, apud Eremitas Heluetiæ natus, à Stoicis Paracelsus magnus uocatus, 200 & 30. in philosophia conscripsit lib. & 46. in medica solẽnitate edidit, & 12. de Republica emendauit, & 7. in mathematica construxit arte, & tria opera simul in unum composuit lib. qui Theophrastia nuncupatur, & 66. lib. de Occultioribus & abstrusis cõdidit. primum opus de Archidoxis dictum, in quo declarat extractiones & separationes uirtutum ab inualido, secundũ Parasarchum dictum, in quo de summo bono tractat in æternitate, Tertium Carboantes dictum, in quo transmutationes declarat in forma

& esse. Scripsit Gellius Zemeus de isto Theophrasto Germano philosopho ad Passephallum Ceueũ, Apud Germanos nunc uir adolescens existit, cui par orbis non fert, qui adeò excellẽter in philosophia, medica, & mathematica in arte, atque de Republica & iustitia scripsit, quòd credo aut mira influentia in eo sit natalis, aut maior spiritus sancti gratia in eo, aut immensa dæmonum existentia: nam inhumanum hoc est perscrutari, quod ipse uilipendit saltem, doctiorem me legisse memor non sum: Quare tu Lector syncero animo eius Theophrasti scripta faustè accipe, lege & relege sæpe. Vale.

THEOPHRASTI EX HOHENHEIM VTRIVSQVE MEdicinæ Doctoris, de Vita longa, Liber primus.

CAPVT I



SI DE VITA LONga Theophrastum philosophari fas est, Necessarium primò, scituque dignum, quid uita sit, existimo, maximè uerò immortalis: quem locum Prisci prorsus integrum reliquerunt, credo, incognitum, aut non satis intellectum. Hinc est cur alteri solùm, mortali scilicet, consultum voluerint hactenus. Verùm vt tandem quid vita sit, definiam: Nihil mehercle vita est aliud, nisi Mummia quædam Balsamita, conseruans mortale corpus à mortalibus vermibus & æstphara, cum impressa liquoris sallium commistura. Præterea vita nostra, vita nempe longa est, quam nec spiritus, nec lu-

men naturæ breuem esse aiunt. Ignorantium verò breuis, cũ arte longa. Breuius arte quid? vita verò quid longius, inter mortales saltē non superstitiosos? Porrò diutius, sanius, viuaciùsque quid Balsamo? Velocius, debilius, mortalius corpore physico quid? Temperamentum quippe est breue à longo, & à breui rursus longum. Cur longa igitur vita & cur breuis? Veruntamen ea vita quæ supercœlestis physica, apud nos canones non habet, nostre authoritatis pompa, mortale solùm corpus indicat, ac regulatur (vt sic dixerim) ab arte in tertiũ vsq; terminum, imò quartum etiam & quintum. Hæc de viuo. Quid inde de morte? Mors nanq; quid est? Nihil certè aliud, quã Balsami dominium, Mummiæ interitus, salium vltima materia. Quibus ex immortalibus separatis à mortalibus, mortalium membrorum transiturum inducit regressum. Hæc itaque est vita lõga ab exordio dicta. Hæc etiam est vita breuis, de morte videlicet dicta. Mors apud nos mors est, non vita. Longior verò hac morte ars. Hæ res vitæ, dissolutiones, digestæ quoq; separationes

rationes puri, longæ & sanæ, cúm mortalis, tum immortalis, quam dies natalis coniungit, ac copulat, idq; ab vtrisque corporibus. Nam omnis coniunctio rerum mortalium, maximè diuersarum, adfert secum dissolutionem. Quemadmodum omnem cõiunctionem rerum naturalium, & earum quæ præter naturam sunt, sequitur dissolutio. Sic vitæ quæ cõiuncta est, comes est dissolutio. Mortis enim causa bellum empiricum est, non aliud ferè, nisi duellum quoddam, ductum à mortalibus & immortalibus. Atque hoc est planè quod dicitur, Pugnat quisq; pro patria. Morbus verò quasi iaculum, & Anthos belli lorica, præter lites in his, quid aliud? Hinc est huius mali fons & origo, generatio morbi, quam cõtinuò insequitur mors. Ex quibus facilè colligere licet, quid vita sit tum mortalis, tum immortalis,

Qua ratione vtraque conseruari debeat, id quod infrà etiam in fine physici corporis latius patebit.

CAP. II.

SVpradicta omnia vt clarius innotescant, principio de Physico corpore dicendum esse existimo. Omnium quippe quæ tractantur per nostra argumenta sustentatio physici corporis causa est. Atqui generalis quidem praxis in physico corpore in hunc fieri modum oportet. Principiò considerantur partes eius, & hæ ex locali anatomia per locum totius physici corporis cum intellectu medullarum, conditionum, vsus ligamẽtorum, formarum ossium & cartilaginis, neruorum, carnis proprietatum, septemq́ principalium membrorum virtutum, idq́ vniuersum, vt quid acturus sis in physico, teipsum intelligas ad hanc regulam. Principiò oportet probè cognitam habeamus vniuersam rationem atq; naturam, cùm physici corporis, tum physicę vitæ. Corpus siquidem vitaq́ physici mortales. Ex mortali verò nihil potest elici, quod pariat vitã longam, sed ea quæ possunt haberi ex his, sanum reddunt corpus, & sic neque corpus, neque vita mortalis,

in

in hac nostra monarchia debent considerari pro sententia Arcani, vel Elixir. Extra nanque corpus est vita longa, & à corpore conseruatur, corpusque inferius ab ea. Præterea interueniente corpore, exoritur dissolutio vitæ vtriusque. Vbicunque enim mortalitas nō est coniuncta immortalitati, illic dissolutio esse nequit. Hoc loco plurimum laborauit em perica musa, & sophistæ Medici, spagyrorúmque, qua scilicet ratione corpus tanquam balsamum conseruarent, ne causarent mortem, cúm balsamū sit vitæ Mummia, nō corporis. haud memores interim in vita mortem non esse. Nihil enim aliud vitæ mors est, nisi dissolutio quædam ab immortali, quę vbi accidit, tum demū moritur corpus. Atqui huc omnia sua excerpta retulit Hippocrates, corpusculumque illud præ manibus sumere, tanquam subiectum longę vitæ, & mortale mortali conseruare decreuit: cum in eo nulla vnquam fuerit vita, quæ ex illius fonte manarit. Corpus enim creatura est, at non vita, nihilque minus mortis filia. Igitur ex Archaea descendit, quæ est immortalis. Non

prorſus referenda eſt, inquies, Hippocratica muſa, ad mortalitatem. Eſto, at multò faciliorem viam ad ſanitatem inuenias, quandoquidem è ſuperis deſcendit magnale iſtud. Nihil enim præter ea, quæ creaturæ ſunt, Hippocrati tribuit Deus, imò nec ei ea plenè, quæ creaturæ ſunt, inſignia myſteria dedit: ſed ad rem. Huic corpori Deus adiunxit aliud quoddã, puta cœleſte, id quod in corpore vitæ exiſtit: de quo Theophraſtus ego: Hoc opus hic labor eſt ne in diſſolutionem quę mortalium eſt, & huic ſoli adiuncta, erumpat. Et ſi in corpore iſto caduco accidere poteſt diſſolutio, atq; adeo colligi ex ea amiſsio cœlici corporis, tamen vitæ longæ obeſſe nequit, propter reſtaurationem, quæ ſubinde fieri debet, vt prorſus omni defectu careat corpus. Sicut enim ignis tantiſper, dum ligna adſunt, viuit: ſic vita longa dum adeſt corpus ex archa, quòd corpus vt corpus conſeruandum eſt, interueniente corpore, quod extrinſecus conualeſcit. Inde enim conſeruari poteſt. Nihil enim aliud eſt corpus, niſi ſubiectum, in quo longa vita corporis æterni gliſcit.

CAP. III.

HActenus de physico corpore: nūc qua ratione materiam huius ab omni corruptione cōseruari oporteat dicendū. Principio, quicquid in seipso corpus corrūpit, idē alieno corpore est recuperandum, ita, vt monarchia Spagyrorum non admittat peruulgarem balsami naturam, qua corpus conseruare laborat. Sicut enim fieri nequit quin lingū absumatur igni, ita fieri non potest quin corpus aliquando corrumpatur vita. Quare minus admittendi sunt essentialium rerum periti, qui longam vitam balsamo cōparari autumāt, Cùm potius hæc sit natura balsami, ut corpus à corruptione eiusdem conseruet, ne in corpore vacuū insit. Nam omne vacuum eius locis morbus est, siue ægritudo in corpore, & quasi atrophia quædam vitæ longæ. In perfecto enim corpore locum habet vita longa: In imperfecto in continuum defectum ad mortem vsq; dissoluitur. Scimus enim physicū corpus sustentari posse à morte, & illud ipsum ex vi suæ mummiæ ine-

ne-

natæ. Hæc ad vitam sanam, nō longam; quia terminus pro physico est corpore: Operęprecium autem est antequam vitam longam declaramus, sanā vitam exhibeamus ac pręstemus. Sunt autem illa quæ à morbis defendunt. Vt in Persico igne perit membrum non citra dispendiū vitæ, quandoquidem iste morbus membri est mors, deinceps causa vitæ cordis, & hoc ab accidente, potest tamen & per physicum balsamum tolli. In mola & Hermia euelatur vita longa tantisper dum desinit idem humor. Similiter in carbūculo, & sapphiro plus æquo gliscit. Obseruandum igitur corruptionem à corpore auferendam & quod in vita longa exarsit, in refrigeriū denuò redigendum. Quare hoc loco specifica naturæ, quæ in hoc sunt adornata, corpus vndecunque morbo confectum, muniant necesse est, id quod medicorum esse dicit. In vita autem londa nihil eiusmodi requiritur. Leonina enim ad vitam longam, ex æquo cū eo, qui à morbis alienus est, potest reduci. Similiter Lithyasis & Tympanites: sed hæc de vita longa. Nunc ad breuem vitam,

tam,

tam, testalem scilicet. Quicquid in Hyposarcha sustinet corpus interueniente percipiolo administrandum. Rusten na Enea in epilepsia. Perla grandis in gutta. Sardiniana in matrice & in id genus aliis. Thesrana in Thyra. Thuttia in ophthalmia. Perstitella in Erisipyla externa. Hypericon in aliis offensionibus. Hæc atq; alia, quanuis probè confecta & absoluta, nihil tamen prorsus ad longam vitam faciunt, sed in hoc solùm adhibentur, vt conualeat corpus. Parui enim refert, quo ad longam vitam attinet. Consulatur febribus necne, Ephimeræ, Causoni, Phthisi, Ecthicæ, & id genus aliis. Tantisper enim dum spiritus naturæ manet, corpus cœleste seruat, manetque vita longa vnà cum cruciatu morborum. Hîc non præstò est mors. Quatenus enim corpus in tutelam medico committitur, mors est, at non cœleste corpus. Ex corpore aũt diffluit venenũ in vitam quam adeò accendit, vt prorsus in [a] æstpharã erũpat, quandoquidẽ à corrosiuis mors ducit originẽ, & arsenicale in vniuersũ quod dam realgar est, ideò nec desinit à na-

tura veneni, quousq; satisfaciat suæ naturæ, donec & reddat consumptum corpus, idq; tandiu, vsq; in æscpharam incineratum conuertat, nec post finem cessabit à sua malitia in ea. Quare duplex praxis aggrediunda est. Hæc, vt vitam conserues, alia vt reprimas corpus, ac places, & idipsum in dies propter corruptionem, quæ quotidie accidit.

[a] *Mors originem ducit à corrodentibus.*
[b] *Duplex praxis medicinæ.*

CAP. IIII.

CVm pro natura creationis corpus & eius physica vita tanquam vna pars in compositionẽ formę transit, & quia physicũ corpus dimidiũ est, cũ cœleste totũ: plus igitur medico cõsiderandũ, vnde & ex quibus maior homo conseruandus sit. In maiore siquidem vita consistit vita longa. At in minore, mortalitatis subiectum, & hoc inseritur iuxta prædestinationem, cũ corpus, tum vita cœlestis physico corpori, quæ velut indiuiduus comes sequitur hanc coniunctionem. Ex qua quidem

de prædestinatione sciendũ, quòd quę innumera sunt, aliud coniunctio, aliud oportet, aliud rerũ esse, aliud vita, aliud mors, omnia tamen illa absq; prædestinato termino, vel pũcto deputato, quãdoquidem sub manu hunc priuilegiata tenere cõditor decreuit, vt statutum apud se habeat, possitq; absq; reuocato iudicio liberè, quod vult, quodq; visum est, disponere. Porrò redacta cõiunctione alia harum duarum formarum, naturalis videlicet, & eius quæ præter naturam est, in formam naturę, idq; omnino in cella matricis elicitur, genitores duos filium vnum, genitrices etiam duas, filiam, has quatuor personas gignere. Parit hoc semen cœleste cum mortali id animal, quod genitum apparet, elementale semen & supercœleste simul. Nam hoc loco verè operatur corporale semen, id quod in præseruatione ductus naturalis conseruari oportet. Ea autem quæ præter naturam est forma, in primis considerari debet, ita vt per illã etiã quæ præter naturam sunt, seruetur. Sic duplicium bonorum hæres inscribitur puer, naturæ & essentiæ quæ à natura

existit, iuxta præsciptum creationis quę simul oborit̃, idq́ ab eo, qui præter naturam est parente, qui corpus regit ac gubernat. Ex duobus quippe his parentibus superius sequitur matrimonij cõiunctio diuinitus. Nam Adamus neque ex creatione est aliquid adsequutus, neque ascendentibus signis, neque alijs rebus obnoxius factus: nihil igitur ex astris quatuor cum homine participes. Indiuisa sunt.n.astra & homuncula, sed ex eo, quod præter naturam est, vitam longam accepit. Verùm vt habeat medicus quod vsurpet, neq; passim sequatur imperitorum nugamenta, qui frigidissimè hac de re scripserunt, principiò admonendus medicus, vt plus ad ea quæ præter naturam sunt, quàm ad ea quæ secundum naturam fiunt, animum adiungat: Deinde vt prædestinationẽ pulchrè calleat. Ex hac enim tanquam ex fonte potius scaturit ea monarchia, quæ præter naturã est, quàm specificũ & qualificatum. Atque hinc est peruulgatus ille error, quo non pauci inducti, sic statuunt consulere corpori, vt multò plura corpori, quã quę corporis sunt, tribuant

tribuant. Hæc vt clarius innotescant, similitudinem hanc cape. Videmus in eo quem somnus oppresit, vitam naturæ duntaxat inesse, fatumq́ spirituum cum eo colludere vnà. Vbicunq; igitur præsens vita existit, non plenè, atq; adeò citra vim existit. Ea quanuis mortua sit, quia non operatur, tamen corpori insita est. Item in eo qui iugulũ gladio præbet, ictus vitam longam aufert. Quicquid porro in corpore subsultat viuum adhuc, ingenita vita naturæ est. Hæc prorsus non est obseruanda, sed ea qua corpus reuiuiscit. Preterea vita longa tã quam homo existit nobis, vt ignis ligno insitus, quo redintegrascit homo.

CAP. V.

SEd vt magis dilucidè appareant ea quæ de parente diximus, qui præter naturam est, & naturali iuxta præfinitum insitus. Quæ causa est duplicis vitæ, ac corporis, naturalis, & eius, qui præter naturam est, parentis. Ex quibus facilè liquet hominem duplici semine nasci. De his omnibus sic breuiter habeto. Iam inde ab Adamo immutata est

complexio vnà cum natura generatio-
num in carne, propter importunas & in
tempestiuas operationes personarũ in
earum natura cõtraria. Palàm enim est,
neq; melancholiam principiò nobis in-
genitam, neq; sanguineum, neq; chole-
ricum, neque phlegamaticum fuisse. Ex
melancholia enim & cholera, similiter
ex alijs, nulla vnquam orta est plena cõ
plexio. Nam semine cõtrario semel con
fuso perijt vnà natiua complexio : adeò
vt nemo cholericus plenè ac perfectè
dici posſit. Quòd si sola & in gradu suo
permansisset, porrò etiã apud nos præ-
celleret cholera. Quare medicus pror-
sus de quatuor complexionibus nihil
sentire debet. In Adam enim non fue-
runt, multò autem minus in eius prole,
& nec simul consistere possunt ista qua
tuor inter se diuersa. Præterea sicut in-
teruenientẽ partu intempestiuo singu-
læ complexiones corrumpunt, & id i-
psum non sine iactura liberorum (quid
enim est cõplexio? parentis natura est,
idq; sine calido vel frigido, nigro, vel al-
bo) sic etiam in eo, quod præter natu-
ram est, corpore, semen quoddã hære-
ditarium

ditarium existit. Et si duo eiusdem complexionis homines copulantur, tamen supernaturale semẽ, sub quo cũ sapientia, tum vita delitescit, nunq̃ verè coniungitur. Duplex ergo est matrimoniũ, aliud quod humana ratio persuasit, aliud quod Deus coniunxit. Illud propriè matrimoniũ non est, nisi quatenus oculi & captus naturæ sinunt. In illo, quanuis vndecunq; dispiciat homo, q̊d sibi ac pueris prætexat, spiritũ Dei qui eos copularit, requirat, honestum prætendat, nihil tamen nisi hypocrisis est. Argumento est subinde noua mutatio locorum. Hoc autem quod Deus coniunxit, proprie matrimonium existit, & ad vitam longam refertur, propter diuortiũ, quod hoc loco accidere nequit, id quod nemo nisi interuenientibus liberis, intelligit. Propterea multi, vel in vtero matris sunt sanctificati. Hi sunt, quos Deus copulauit, vt eam quæ fuit Vriæ, & Dauid, quanuis ex diametro, (sic enim sibi humana mens persuadebat) cum iusto & legitimo matrimonio pugnaret hoc. Quia temen vterq; præter id, quod naturæ erat, quasi hæredita-

rio vitam longam adeptus eſt, propter Salomonem, qui aliunde naſci non potuit, niſi ex Bethſabea, coniuncto Dauid ſemine, quanuis meretrice, coniunxit Deus. Adeo quicquid eſt preter naturam, velut naturæ theſaurus eſt Deo commiſſus, id quod apud Spagyricæ artis peritos palàm eſt, vitæq́ longæ mirũ in modum conſentaneum. Hæc pręſcribuntur in hoc, vt quæ præter naturam ſunt, phyſico plenè appareant.

CAP. VI.

Diuiſa igitur duplici praxi, alia in phyſicam, alia in longam vitam, quatenus vtriuſq; inciderit vſus ex fine indicabit phyſicus. De hac autẽ vita, quæ præter naturã eſt, qua de in præſentia loquimur, videndum num fieri poſsit, vt aliqua ratione adſequamur illam in phyſica vita, quando extra vires, quæ ſecundum naturam ſunt, exiſtit, & ſub illa longæ vitæ arcana deliteſcunt. Nam hoc loco palàm fiunt impreſsiones, quæ præter naturam ſunt, vt vt ſcilicet in ſupernaturalẽ vitã ſimul concurrunt, vt vt etiam firmamentũ in corpus quod

quod secundum naturam est, concurrit. Et si impreſsiones ſupernaturales appareant, tamen obſcura eſt illarum cognitio. Hinc eſt cur impreſsiones ab alijs dici cœperunt, ab alijs incantationes, ab alijs ſuperſtitiones, ab alijs aliter iuxta præſcriptum magicæ artis. Nam ex his fluit ea, quæ Græcis magyria eſt, ea præter impreſsiones, quas incantationes & ſuperſtitiones appellant, aliud nihil tractat, & idipſum in corpus ſupernaturale. Quare operæprecium eſt de corpore ſupernaturali in impreſsionibus ſuis loqui. Cùm totã magiã ab Aſtronomis etiam in alienum vſum torqueri videant, & perperã ab omnibus appellari ſuperſtitiones, & pharmaceutriam quandam. Quemadmodum necromantiam & nigromantiam, huc omnino retulerunt, vt vtraque idololatria quædam eſſe credatur. Quæ, niſi interueniat influentia, prorſus ſileſcũt. Quanuis enim quaquauerſum reſpondeant, aut loquantur manes, tamen non niſi ea quæ præter naturam eſt, influentia interueniat, accidit: id quod perperam impoſtura Satanæ credit, quia impoſsibile hoc ſit homini

cũ facilè aſſequi liceat, vt in exorciſmis phantaſticorum ſpirituũ fieri videmus. Nam tota Cabaliſtica magia hoc in ſe claudit, vt palàm faciat corpus, quod ſecundum naturam eſt, à corpore quod præter naturam exiſtit, & nobis velut imago inſitum, ſuſtineri & adminiſtrari, vt diuerſos & longè diſsitos ſenſus, puta Orientalem & Occidentalem æquales, cogitationesq; incognitas, cognitas abſens reddat. Quanquam difficile admodum ſit cognitu his, qui huius artis Cabaliſticæ prorſus rudes ac imperiti ſunt. Cùm ab his etiam, qui hanc artẽ apud omnes iactauerunt, lõgè erratum ſit, id quod translatio eorũ ex Hebræo & Spagyrorum canones indicant. Quare de praxi longæ uitæ concludimus in hunc modum. Ex influentia ſupernaturali non modò incantationes, uerùm etiam imagines, & gamohæas fluxiſſe. Hanc quidem philoſophaſtri in aſtra firmamenti retulerunt, & ex carbonibus cœli Martem & Iouem finxerunt, qui corpus illud quod præter naturam eſt, regerent & adminiſtrarent: cùm tamen nõ ſit ijs porrò, niſi in res mortales,

quæ

quæ prorſus nihil ad longam vitam faciunt. Quare ex ſupernaturalibus corporibu:, nō naturalibus elicienda ſunt, quibus ad longã vitã vtaris. Tota enim, vis illa ſupernaturalis magica eſt, & omnis magus influentia quæ pręter naturam eſt, vnà cum corpore ſub quo vita deliteſcit, deprehendit. Corpus, inquam, quod in ſe gerit homo, inuiſibile homini, quemadmodum de generatione habetur, &c.

CAPVT VII.

VT autem exactè intelligas ex quibus rationibus incantationes, ſiue manes ſuperſtitionũ conſideratæ ſint, & quo pacto hactenus in abuſũ uenerint, vt nec manes dici, nec ſuperſtitiones debeant: hæc eſt ratio, quia à protoplaſto primum ſe ducit exordium, qui corpus ſupercœleſte & mortale, ſimul in vitam ſuam longam coniunxit: reliqui verò, qui memorãtur, item: id quod ab alijs deinceps aliquatenus ſubintellectum eſt, iuxta veram tamen rei naturam nondum ſatis, vt oportebat, cognitum. Eandem enim quoq; artem aggreſ-

ſi ſunt, ſed quia lōgè lateq; errabant, ſiniſtro ſanè auſpicio, hac eis via penitus non ſuccesſit. Vniuerſa nanque phantaſia & imaginatio, principale eſt ac prę cipuum in corporibus ſupercœleſtib. Quemadmodum ſe corpus mortale in ſua conſeruat ſubſtantia, ſic ſupernum illud, in imaginatiua. Nam quicquid ad phātaſiā attinet, ex eo dūtaxat eſt cor pore, quin & corpus ipſum eſt. Vbi ſciendum, quòd quicunque eiuſcemodi corpus ſupercœleſte aliquò coacturus eſt, probè cognitum habeat oportet, vt imaginationi quidem reſiſtat. Quanto enim frequentior eſt ei corpori cū mor talibus cōſuetudo, tantò vertiginoſius (vt ſic dixerim) perniciusq; ea corpus comitantur. Hoc ſuperarunt planè pro toplaſti illi. Cæterùm poſteri illorum, cùm eius nullam habuerint ſolidam, ac perfectam cognitionem, ſemetipſos in fatuarunt & ſeduxerūt, proq; deliris ac ſtultis, neq; id immeritò, ſunt æſtimati. Præterea etiam corpus illud ſupercœleſte, aſtris quodammodo ex igne non vſq; quaq; diſsimile eſt: ex quibus equidem inuiſibilibus, nebula exurgit viſibi

lis

lis. Sic etiam proprietas ac natura corporum est supercœlestium, vt ex nihilo planè imaginationem constituant corporalem, quod corpus esse solidum exi stimetur. Eiusmodi est enim Ares, vt si lupum speculatio referat, lupus appàreat. Quod quidem vniuersum simile est generationibus ex quatuor elemen tis, ex quibus aliquid nascitur, quod pri mo tamen suo nequaquam æquale est, nihilo tamen ob id minus ipsum[a] Ares in se gestat. Huiusmodi quidem naturam & rei ingenium, rudes illi atq; imperiti ex peruersa artis persuasione toto errantes (quod aiunt) cœlo, cùm penitus ignorarent, & fundamenti, & ortus eius nescij, manes quasdam esse finxerunt, quas alij quidē fatum appellarunt, posteriores verò incantationes & superstitiones. Ex hisce nanq; supercœlestibus corporibus, tam nigromantia, quàm necromantia, suam ducit origi nem: similiter & geomantia quoq;, & pyromantia, hydromantia, & ipsa denique speculia. Ad hunc itaq; modū & virgulta efficiuntur: & ex hac eadē virtute se clarius quoque vertit, cribrúm-

que & eius generis, quæ de superstitio-nibus continentur, innumera alia.

[a] *Ares est natura prima rerum.*

CAP. VIII

SEd vt physicus omnia habeat plenè, ac perfectè, videamus exempla seniorum, qui in hoc in magia plurimum laborauerunt, vt adsequerentur vitam longam, & idipsum citra omnem admistionem Hermeticæ repuerascentiæ, citraq; artē[a] spagyricæ experientię quæ solius est corporis. Videamus ergo ætatem Adę & Mathusalem, qui bona pars sunt principiorum magicæ artis. Quamquam hoc vulgo persuasum est, maximam ætatem habuisse protoplastum, minimam habiturum hominē. Postremum id quod efficax argumentum est in scholis eorum, nullo tamen pacto approbari debet, quemadmodum de ætate virorum habetur. Tantæ ætatis Adami causa fuit magia, ex cuius influentia semper vixit. Miseram ergo & posteris semper deplorandā mortem Adæ, non tam propter lapsum, q̄ pro-

propter ſcientiã, quæ vnà cum illo interijt, qui ſpiritum ſummæ vitæ præter id quod naturæ erat, ſolus retinuit. Itidem de Mathuſalẽ, qui proximus Adæ fuit, iudicandum. Quanuis alij non ignobiles viri maiorũ ætatis fuerint, vt Moſes, qui centũ & viginti annos compleuit, at non pro ratione magias, ſed potius phyſicæ vitæ, cui natura quædam valida ita fuit cõiuncta, vt iſtuc ætatis nullo negotio attingeret. Iterum alij cõplures, quorum nomina hoc loco referre longum eſt, id quod etiam apud nos, vt ad noſtra tempora veniam, fieri videmus, & porrò etiam videbimus vſq; in finem mundi. Alij, qui 150. annos tranſmiſerunt, ſecundum magiam verò naturam vixerunt. Sunt etiam qui plura tranſegerint ſecula, quàm pro ratione naturæ credi par ſit: idq; adiuncta vi naturæ, quæ plenè in metallis, cæteriſq; rebus, quas mineralia vocant, exiſtit, quæ corpus ſupra complexionem & qualitatem ingenitam erigit, ac conſeruat. Cuiuſmodi eſt tinctura, & lapis philoſophorum, quod ex Antimonio elicitur. Similiter quinta eſſentia, quemadmo-

dum in eorum præparationibus habetur. Hæc atq; alia complura ſpagyricæ artis arcana reperiuntur, quæ corpus ſenectute confectum priſtinæ iuuentuti quaquauerſum reſtituunt, & ab omni ægritudine liberum reddunt, id quod huius monarchias peritis conſtat.

a Spagyricorum cognitio uera, in experientia & latet, & uerificatur.

CAP. IX.

EST inſuper alia ratio longæ vitę cõſeruandæ, quã Mahumet ſecundum magiã populo ſuo conſcripſit & multis annis donauit, neque id ipſum ex Deo, ſed ex ea quę pręter naturam eſt, influentia. Hanc praxin quia Mahumet tanquam magus imperito vulgo nõ ſibi, aliquandiu exercuit, nomen immortalitatis meruit. Atheus aliquot annos ſupra centum ſeipſum conſeruauit, id quod ſibi vitio verſum eſt, & inter idololatriam relatum. Ex ęquo enim cum tribus magis illis Sabęis, qui magica non naturali, vi equorum ad Bethleemitas venerunt, Cabaliſticæ ar-

tis peritus fuit: non solùm in eo quòd vitæ longę erat, sed eius etiã, qui pręter naturam est intellectus. Hæc omnia ex supernaturali influentia, quæ corpus regit atq; gubernat, fluunt. Hos magos postea sunt secuti, qui se falsò hoc nomine penè diuino venditarunt, inter quos fuit Hippocrates, qui filiã suam, quã maluisset in præsenti forma perpetuò permanere, extra naturalẽ influentiã in corpus ab omni natura alienũ transformauit, id q̃d euidens argumentũ incantationis esse poteſt. Eodẽ modo Ierellus longam vitã retinuit, & metamorphosi naturæ animum adiunxit. Istorum origo & scientia suis locis indicabuntur. Porrò in conseruatione eius quod præter naturam eſt, corporis plerią; fuerunt æquales Mathusalem, sed in transformationib. longè errauerunt. Nam operatio eorum in phantasticum corpus abijt, propter inscitiam rerum physicalium. Quare multi sunt, quorũ vita longa in nouissimum vsq; diem exiſtit: fiunt tamẽ eiusmodi metamorphoses citra longam vitam. Quemadmodũ in lupis marinis accidere videmus

eiuſdem vitæ cum reliquis lupis. Id genus animantia, ſi priſtinæ formæ reſtituuntur, mortalitati rurſus obnoxia fiunt. Similiter & de corpore phantaſtico iudicandum, interueniente cibo, aut hominis oſculo. Hæc omnia delticæ impreſsioni obnoxia fiunt. Priuſquam tamen in impreſsionem delticam abeunt non adeſt mors, niſi quatenus phantaſticum corpus admiſtum admittitur, id quod narcoticam formam gignit, perſeuerantem in annum ignis. Præterea vixerunt multi vitam alienam, idq́ iuxta præſcriptum delticæ naturæ inter quos fuit Styrus, qui cũ de vita laboraret, robuſti cuiuſdam adoleſcentis, qui cũ fortè aſsiſtebat, vim atq; naturam attraxiſſe dicitur, idq́ per imaginationem ſic eſt conſecutus, vt ſenſus, cogitationes, deniq; animus ipſe in alium transferretur. Per hanc imaginationem Archaſus vniuſcuiuſq; eruditi atq; prudentis hominis ſcientiam atq; prudentiam attraxiſſe dicitur. Tanta eſt vis animi in quo ſupernaturalis ille vigor exiſtit, vt aliquoties ardenti atq; adeò gliſcenti concupiſcentiæ ſatisfiat. Hinc eſt contemptus

ille

ſlle imaginũ & gamahæarum apud eos qui ad internecionem vſq; hac imagine ſunt abuſi. Hinc ſunt verba illa, characteres, ſigna, formę ac figurę manuum, imprecationes atq; orationes, quę potiſsima ſunt cauſa incantationis, atq; adeò verborum, quæ vulgò ad vulnera cæterosq; morbos adhiberi ſolent. Deniq; quicquid in hanc formam fieri poteſt, vi eius, quod præter naturã eſt, corporis nobis inſiti fit. Porrò ex his quæ prærer naturam ſunt, impreſsionibus, erumpunt etiam aſtra firmamenti, Venus & Saturnus, cæteriq; planetę, ita vt ea quæ præter naturam eſt, influentia, aſtra inferiora regat, ac gubernet. Quicquid ergo in gamahæa & imaginationibus fit, accedentibus planetis ac ſignis, totum hoc quicquid eſt, ad ſuperiora ſigna referri debet. Quare quæ caduca ſunt corpora, atq; adeò morti obnoxia, ſupernaturali illa vi, à morte liberari facilè poſſunt. Donauerunt præterea Venus & Saturnus, Mars atq; Mercurius, in ſuperiori firmamento curſum ſuum exercentes, plerosq; mortales immortalitate, & idipſum citra vllam operam

humanã, accedentibus imaginationi-bus. Ex quibus nõpauci cùm in aquis, tum etiam in terris exiſtunt viſibiles & inuiſibiles. Quorum aliqui per delticas etiam impreſsiones eò peruenerunt, neque prorſus nymphæ: quemadmodũ de generationibus animaliũ habetur. hactenus de his. Reliqua quæ hoc loco requiruntur, alibi in Archidoxis indicabimus. Nunc ad duplicem praxin longæ vitæ, in qua, quæ ad ſpagyricum attinebunt plenè dicetur.

DE VITA LONGA LIber Secundus.

CAP. I.

IN superiori volumine, quę de vita longa tractauimus in genere, hîc in specie tractabimus, puta, singularem quandam medendi[a] rationem, id quod inter uenientibus arcanis specificis, & id genus alijs fieri consueuit, & extra vitam longam, vt in apoplexia, vulneribus, & id genus alijs. Integrã enim, atq; adeo sanam vitam longæ præferas necesse est, vt innotescat fundamentum, cui omnis valetudo vitaq; longa innititur. Est igitur huius secundi libri status, ac summa, vt integra vita conseruetur, neque vnquam in corruptionẽ erumpat. Hinc est cur primo loco virtus arcani, deinde natura balsami requiratur. Nã vniuscuiusq; arcani comes est sanitas. In hanc sententiam subiectum vitæ longæ accipias oportet. Bifariam ergo distinximus librum secundum, aut enim firmum est, aut infirmum corpus. Si firmum, in eadem valetudine conseruan-

dum eſt: Sin infirmum, aut aliqua ratio ægritudinis in illo deliteſcit, ſingula genera vnà cum ſpeciebus ad inſignem aliquem canonem medicum, quem Magiſterium vocant, reducas oportet. Ea eſt ſingularis medendi ratio, quanuis multò iuſtiore nomenclatura, ſed alia ratione vniuerſalis dici poſsit, propter ſpecies, quæ ſi ſub vnum genus congeruntur, iam nõ ſingularem, ſed vniuerſalẽ curam conficiunt. Tamen communius quiddam eſt id q̃d in calce huius libelli dicetur, quòd omnia genera in vnũ complectitur, quemadmodũ particularia, ſpecies. Cuiuſmodi eſt ratio medendę febris, quę in ſe includit ſynocham, ephimerã, hecticam, cauſona, cæteraſq; ſpecies. Similiter hydropiſeos, quæ aſchiten continet, tympaniten & hypoſarcan. Item guttæ, lethargicum, torturam, paralyſin, apoplexiam. Magis vniuerſale autem in ſe claudit guttam, febrim, hydropiſin, cæteroſq; morbos vniuerſos. Eſtq; illud arcanum, q̃d in archidoxis parrhiſijs dedicauimus, Et tincturæ quæ leproſum humorẽ metallorum pellit, haud diſsimiliter operatur:

tur, fulgetq́ ad elementum redactum quaquauersum, veluti ignis, qui quicquid corripit, consumit. Neq; enim species vllę sunt, neq; genera vlla, quin igni corripiantur. Huc respexerũt spagyricæ artis professores, qui tũ demum medicamina corpori accommodanda dixerũt, in ignẽ redacta.[b] Per hoc enim elementum omnis ægritudo consumi debet à quolibet medico. Quanquam aliàs de auro potabili, similiter de 5. essentia mentio fiat, tamen hîc singula ad cheyri, & ad sapphiricum anthos referemus, id quod non paucos fefellit: inter quos est Arnoldus vnà cũ æmulis suis, qui sublunaria hoc produxerunt. Nos in hoc secundo lib. singularem medendi rationem in vtraq; medicina, adiunctis rationibus, quib. inuenias illud, circa morborum originem descripturi sumus. Ad finem sunt adiecta cheyri, balsamum, quæ peritissimum huius rei lectorem requirunt.

[a] *Medendi ratio singularis per quæ fiet.*

[b] *Ignis vt omne lignum, sic vniuersalis medicina morbos consumit cunctos.*

De Podagra. Cap. I.

TRia sunt quæ ad perfectam podagræ curam requiruntur: Purgatio, aperitio, deinde cura, in hanc sententiã. Principiò purgetur omnis podagricus plena ac perfecta purgatione, & idipsũ arcano [a] corallino, quo interueniente, eliciũtur fluxus podagræ, adeò vt ne locus porrò relinquatur podagrę. In hoc corallino quod ex essẽtia auri est, tanta vis, ac virtus inest, vt eã, nisi hac purgatione à medico deprehẽdi impossibile sit. Fiat ista purgãdi ratio sexies, aut septies pro vetustate siue duritia, siue natura podagræ. Porro si supersunt reliquiæ, aut podagricus alioqui infirmior est, quàm qui purgationẽ hanc ferre possit, aperiatur in hunc mo dum: Illic vbi centrum podagræ delitescit, aperi, & idipsum interueniẽte [b] alcali spirituũ. Sub hanc aperitionem continuò oritur tumor, subtus quem quicquid centrò inseruit, confluit, & in abiectione [c] æscharæ erumpit. Porrò vbi fluxus podagræ desijt, tum demum integram curam, atq; adeò consolidationem

nem aggredere, ſcilicet cataplaſmatis, quę ſunt ex mummia. Hęc ſunt quæ podagram medicantur. Quanquã [d] liquor ex mummia temperatus, ſi morbus recens eſt, neq; indurauit, citra aperitionem etiam curet, vi tamen natiua potius hoc fit, vt per ſpecificam naturã. Tertia ratio medendæ podagræ eſt per mũmiam, mummiam reductã in vltimam materiam alcalizatam & liquorem de mummia, in hanc ſent ẽtiam: Indies podagricos artus inunge, idq; ad vij. aut viij. hebdomadas pro ratione ac natura podagræ. Triplex iſta medendi ratio, quicquid mutilum, quicquid denique mancum eſt, priſtinæ ſanitati reſtituit. Noua hęc eſt, certò ſcio pellendi morbi ratio, maximè apud inſulſos & medicos indoctos, & contra canones eorũ, vt iſti cauillantur qui de medica profeſſione pręter inanem titulum, cæterum nihil prorſus reportauerunt.

[a] *Arcanum corallinum, eſt color corallorũ à ſubſtantia ſeparatus & abſtractus per ſpiritum uini.*

[b] *Alcali, ſal eſt excoctum à lixiuia.*

[c] *Aeſchara*, iſt ein ranſt fleiſch gedöt.

d *Liquor ex mummia est aqua, quæ post digestionem destillando erumpit ex carne hominis.*

De *Gutta Cap.* II.

AD propellēdas ægritudines quę oriuntur ex gutta & speciebus guttę, cuiusmodi sunt morbus lethargicus, paralysis linguę, membrorū, &c. apoplexia, oris tortura, & aliæ species, requirit̄ cura generalis. Nā in his omnibus, nihil aliud præter vim naturæ cōsiderari oportet. Neq; purgatio, neq; simplex confortatiua, neq; vnctio, neq; aliud quicquam, in quo tantopere laborauerunt, cùm Valescus de Taranta, tū etiam ij qui ante Valescū fuerunt. Principiò igitur obseruandum, in qua valetudine naturæ vis illa qua guttæ consul tum volumus, reperiatur. Priusquam tamen ad illa perueniamus, sciendū guttam, quòd ad quantitatem attinet, non plus scrupulum vnum in se contineri, apoplexiā ad scrupulum 1. non prorsus ascendere. Nihil igitur est quod obseruemus tam prolixos Auicennæ canones, cùm pauca admodum de substantia

tia in se habeat morbus. Neq; fieri potis est, vt illis loca atq; dolores cõprehendantur. Quare ad hunc modum adornari debet confortatiua, quæ scilicet naturam expellat, & ex sui natura vincat. Quoties enim gutta cannas in pulmone præfocat, toties apoplexia vnà cum præfocatione continuò sequitur, quam non nisi arcana tollunt. Hinc satis lique re puto, vel tantillum in re medica mysterij pluris fieri quàm vniuersas Auic. formas, quàm vniuersum myropolium, quàm vtraq; lumina & Pręposítum, vnà cum insigni experientia, quam Thesaurus præscribit, quibus hactenus penè vniuerso orbi illusum est. Sed vt redeamus ad arcana: Duplex est arcanũ, aliud vitriolatum, aliud mercurius auri, quẽ vulgus Salernensium medicorum Aurum potabile falsò apellat, adducti opinione Hermetis, quam suæ ignorãtiæ prætexunt, adeò vt horizontem pro auro potabili acciperẽt, egregij scilicet homines, qui Hermetem ex eorũ inscitia iudicant. Cætera arcana extrinsecus vsurpanda, cuiusmodi sunt, balsamum, aloes, myrobalanorum chebulo-

rum,bellíricorum,indorum, &c.in nucha ſunt adminiſtranda.Hæc ſunt quæ Arnoldini & Rupiſciſſani nunquã ſunt aſſecuti, qui in additione extractionis elementorum, quæ nulla ſunt, fruſtra ſæpius laborauerunt. Qui ergo in hac re medicus inſignis eſſe ſtudeat, animum ad ſeparationem ſpagyrorum adiungat,idq; propter extractionem myſteriorum. Alioqui fieri nequit, vt conſulatur cũ paralyſi, tum ſpeciebus quæ ſunt de gutta.In hanc ſententiã propelle contractionem. Nam vtcunque morbum vi quadam ſanari neceſſe eſt.doſis vitriolati, grana tria, doſis Horizontis, grana quatuor.

De Lepra Cap. III.

Singulæ ſpecies [a]lepræ, Leonina videlicet, Elephãtia, Alopecia, Thyra, Morphæa, & Vndimia ad eandem medendi rationem, quæ eſt per regenerationem, referuntur. Omnis enim lepra frigidior exiſtit natura, atq; præpinguior: neque fieri poteſt, vt unquam cum medicaminibus cõcilietur. Quod enim eſt oleum ad aquam, hoc idem

idem eſt medicina ad leprã: quare plenam atq; perfectam curã aggrediamur oportet, propter præparationem regenerationis, & idipſum iuxta præſcriptũ ſpagyricæ tincturę, in hunc modũ: Principio mundanda ſunt metalla leproſorum interueniente tinctura, in qua duplex tinctura, & duplex lepra deliteſcit, rubea ſcilicet & alba, hanc lunarẽ, illam ſolarem appellant ſpagyrici: prior ex tinctura ſolis, poſterior ex tinctura lunæ accipitur. Hîc non puto operæprecium eſſe obſeruari ea quæ veteres de origine lepræ ſcripſerunt, cùm eadem praxis adferat. Quare hoc loco[b] ſpagyricè agendũ eſt, neq; prorſus obſeruandum, quæ de origine lepræ à veteribus ſcripta ſunt. Porrò qui velit ſpagyricè cõſulere lepræ, videat ne cũ his qui mercurium ſolis, quẽ pleriq; ſpagirycorum primã materiã appellant, aurũ potabile falſò crediderũt, aberret. Quibus impoſuit euentus, quemadmodũ Archelaus habet: nos aũt hoc loco aſſerimus rubeã leprã à mercurio ſolis, albã à merc. lunę ſanari. Hoc opus, hic labor eſt, vt mercuriũ exactè cõficias, Poſtremò & ſi mer

curius ad tingenda metalla non prorsus sufficeret: valeret tamen in corpore, vt illud sanitati restitueret. Sunt praeterea alia quaedam arcana,[c] quorum alibi de vita longa fit mentio, quae lepram ex aequo tollunt.

[a] *Lepra curatur per regenerationem.*
[b] *Spagyrus est, qui effectus inquirit, cōmonstrat & ex his rationem.*
[c] *Lib 3. cap. 6.*

De Epilepsia *Cap.* IIII.

PLena atq; adeò perfecta medendae epilepsiae ratio, bifariā fit; neq; ipsum sine pertissimo huius rei viro propter arcana & praxin chirurgicā, quae epilepsiae inseruiunt. Principiò deprehenduntur arduae quaedam, atque adeò supernaturales essentiae, idq; per praeparationem, vt in vitriolo, camphora, spodio, monocerote, & id genus alijs, quae citra hunc captum subtiliter nullo pactò eò redigi possunt: Maximè verò bona pars in narcoticis, & quaedā alia, quae extra naturam & essentiam supra naturalem influentiam in paroxysmo

ſmo epileptico vim ſuam exercēt,ac ha
bent:cuiuſmodi eſſe poteſt pęonia,ſan
guis vnà cum membris in quibus oritur
morbus. Hæc omnia, vt vt ſunt, curan-
tur ad hunc modum, partim iuxta phy-
ſicam rationem, partim iuxta chirurgi-
cam,neq; idipſum ſine ſubtili captu ſpa
gyrorum. Quod ad chirurgiā attinet,
duplex oratio eſt,prior ad præparandū
emunctoriū caducum,poſterior ad eli-
ciendum humorem epilepticum perti-
net in hanc ſententiam: Aperi cranium
idoneis ad id inſtrumentis: Deinde ar
gentea canna ſuo loco impoſitum con-
ſolida,vitæq; priſtinæ reſtitue.Iam om-
nis morbus caducus eiuſmodi emun-
ctorio adornatus in paroxyſmum abire
nequit.Hæc de priore via. Nunc ad po
ſteriorem. Reſolue membrū epilepſia
corruptum,aut ſuperiorem partē mem
bri,puta,ligamenta,arterias in circuitu,
idq; corroſiuo narcotico,ſale corroden
te citra dolorem vſque ad oſſa. Deinde
rurſus conſolida:naſcuntur continuò li
gamenta narcotica,arterię,denique ca-
ro ipſa,quæ porrò non ſinunt morbum
in paroxyſmum erumpi, Hactenus de

ratione chirurgica. Nunc ad physicam: Recipe oleũ vitrioli correctum & aurificatum, vel per phlegma forma circulari temperatum, vel per oleum rubeum, siue viride, quod sub[a] colcothar delitescit: vtrunque liberat à morbo caduco, idq; præter eam ætatem, quam Hippocrates præscribit. Atquę hinc colligitur Hippocrat. vnà cum interpretibus suis non satis intellexisse ea quæ epilepsiã pellunt. Porrò inuncta pars mercurialis balsamo, quod est de hederibus, idq; post paroxysmum, similiter morbũ pellit. Præterea inunctum occiput balsamo eleni, & idipsum in vehementissimo paroxysmo, morbum ex æquo sanat. Sunt insuper alia, quæ huic morbo non parum conferunt, vt arcanum sanguinis, cæteraq; membra. Sed illa, quia quædam sunt quæ desiderantur, præteribimus, & in his solùm, quæ prima ac optima sunt, immorabimur.

[a] *Colcothar uitriolum est calcinatum rubeum.*

De Febribus Cap. V.

DE febribus breuiter sic habeto, Principiò fiat purgatio febrilis: dein-

deinde cura ſpecifica,& minutio cauſalis, ita vt diaceltateſſon præcedat ſecundum medicamen. Nam hac purgatione pellitur omnis febris in materia peccante. Porrò ſi non dilatat̃ morbus, iam neq; cura, neq; minutio requiritur. Plerunq; enim diaceltateſſon, integram curam complectitur. Sin in membra ſpargitur, ſequitur continuò opopyron Laudani, id quod febrim vnà cum dilatatione propellit. Minutio autem ſiue ſaluatellæ, ſiue cephalicæ, ſiue ea quæ per ſpinam dorſi fieri conſueuit, materiam peccantem in ſanguine, idq; intra cutem & carnem tollit: quare hoc loco tria ſunt, quæ ſub vnam medendi rationem claudũtur, ſingula per ſe perfecta. Poſtremò ne plus minúſue, quàm par eſt, adhibeat medicus, diligenter obſeruet quid dilatatum, quid non ſit dilatatum. Nolim quenquã hoc loco deterreant canones medicorum, qui à nobis diſſentiunt: neq; enim id permagni referre arbritor. Et quotum quenq; reperias eruditum medicum, qui his canonibus immoritur?

De Apostematibus Cap. VI.

PRincipiò de Apostematib. obseruabis duplicia esse apparata. Quædã sũt quæ vnà cũ paroxysmo mortem inducunt. In his plurimũ laborarunt medici, dum imponerent hominibus. Miseram ac credulam nationem mortalium, tam apertis nugamentis, quæ de epidemijs, & id genus alijs apparatibus annotata sũt, passa est se circunueniri. Alia sunt quæ paroxysmum citra mortem adferunt, ea medicinę subijcimus. Vtraqꝫ in Anthrace concurrunt. similiter in sapphiro, in carbunculo, in pleuresi, in peste, in bubone, & alijs cõpluribus. In quibusdam nulla mors inest: Vt in cancere & id genus alijs apostematis, quæ in mammis mulierũ sunt. In his omnibus sequitur cura in hãc sententiã: Preter Sonath, cui virtus expulsiua inest, ceterum nihil recipe. Huius enim virtute ac vi, singula aperta pellũtur. Hoc resoluit, mitigat, deniqꝫ expellit aperta ex corde. Vnà ergo adsit oportet chirurgica praxis, interuenientib. maturatiuis, quibus in [a] emunctorium

erdi-

redigas apoſtema. Maturatiua autẽ cũ attractiuis ita ſint coniuncta, vt expulſiuum attractiuum ſequatur. Directo igitur Sonath in virtutem ſuam expulſiuam ſequitur thyriaca, ſub qua deliteſcit arcanum in omni veneno propter virtutem vſurpandum. Reliqua experimenta vndecunque corroſa relegamus ad eos, qui ſeſe paſsim apud omnes homines venditant, & in hoc ſolũ incumbunt, vt gloriolam aliquam per fas & nefas ſibi aucupentur.

[a] *Emunctorium appellat locum, in quo centrum morbi deliteſcit.*

De Hydropiſi Cap. VIII.

DVo ſunt quæ ad curandam hydropiſim requiruntur: Specifica purgationis, & ſpecifica tumoris. Elice principiò eſſentiã ex Alandahal, vnà cũ cõpoſito: Deinde cõfunde cũ aquila præcipitata, porrò adminiſtra purgationem pro ratione morbi, & idipſum tantiſper dum abit morbi origo. Interim adminiſtra etiam indies eſſentiam, tartari, vitrioli, & diacubebe. Sub

hęc adorna cataplasma ex rebis columbarum in aceto rosaceo. Deinde impone, dum prorsus consumatur morbus. Post hęc insequitur summũ specificũ, spiritus vitæ ex auro extractus, quo aliquandiu etiã vti licebit. Energia enim atq; adeò vi naturę sanari vult hydrops, quæ tum demum inquiritur, cùm iam causa morbi desijt. Varia ac multa sunt huius morbi specifica, quorũ maxima pars hoc loco à nobis est annotata. quę super hac re empirici in medium adferunt, credo nemini non esse manifestũ.

a *Aquila præcipitata fit ex auro.*

De Dissolutis Cap. VIII.

IN dissolutis verò summũ atq; adeò excellentissimum medicamen in auro est, & in laudano perlato. Primum verò ac summum notabile apud medicos veros puto, de cõfortatiuis esse debet. His enim indiget natura in hoc morbo, quibus porrò sequatur constrictiuum. Nam per hunc modum eiuscemodi morbus, siue hyposarcha, icteritia, seu asclite, expellitur. Descriptionẽ autem

autem in cōfortatiuis talem habeto. Ex auro non planato fit, nec permisto re alia incongrua, fitq́ per athanar & rubellam cum administratione rubeæ essentię. Dosis ex tribus guttis componitur, vel secundum dispositionem subiecti. Ex hoc auro omnes disenteriæ species, ictericię, & diarrhœę, atq; alij fluxus vẽtris, vel mineralium iuxta ritum medicũ optimè curantur. Sed cura ex constrictiuis talis est: Recipe olei martis ex croco drachmam vnam, laudani scrupulũ semis, thyriacę drachmam vnam semis, mummię scrupulus I. s. fiat bolus. drachma semis est dosis. Hanc obserua regulã in omnibus dissolutis cõfortatiuum esse administrandũ: Quia in principijs & cacetia summa deliberatio, alias per constrectiua in secundam generationem alterius morbi abit.

b *Laudanum Theophrasti curans dissolutos & desperatos, sequetur in libris Paragraphorum.*

De Vermibus Cap. IX.

Genera quoq; vermium quocunq; modo nata, vel ex spermate infu-

so,vel alieno,siue spermatis resoluti, siue putrefacti,seu trãsuersi in suis regionibus,aut ex re minerali putrefacta, vel chimo,aut eiusmodi, etiam qui vermes de matricis natura sunt. Omnium horũ cura, res debet esse specifica, nequaquã naturalis,idq; in hunc modum: Recipe [a] porosi, madennæ ana manipulum, liquefacito in bitumine, & super fundum emũctorij huius generationis applica: pellit enim vermes tam deorsum, quàm sursum, nempe iuxta orificium emunctorij illius. Quòd si autem emunctorium pro egresione non foret aptum,aut locus cõpressus, vermes neca cum spongijs syluanis, & putrefactum pelle per centauream,vel per pessarium propter matricem, vel clysteriũ propter intestina inferiora, vel per os propter stomachum & intestina superiora.Optima verò est centaurea cũ porosa commista,cum additionibus iuxta processum medicum ex collodio, vel ellenio adiuncto.

[a] *Expulsio uermium.*

De Cancro Cap. X.

Porrò cācri medela sic se habet: Primū est rei renouatio, id est venarū separatio ab impuris. Huius separationis medicamē est tale. Accipe expurgati althoi à minera plumbi vnc. I. parthenionis succi vncias sex, plantaginis vncias decem, commisceantur cū modico alcohol vini, adiministra de sexta in sextam. Madefacito periculum panno, vel spongia ex aqua parthenionis superposita: his peractis post triduum applica oppodeltoch ex pręparatis simplicibus confectis in cerotum mellinū absq; alumine rocho, donec in mansuetum dolorem abit, & declinet à rubedine. Tandem commune nostrum oppodeltoch super locum applica à duodecim horis in sequentes vsq;. Porrò si lasciuum æstiomenū occurreret, cum liquoribus assignatis expelle, reitera processum à centro in vlceris perditionē. Hæc curæ descriptio, fistularum, cancris ex hæmorrhoidibus, ex mammillis, prauę tentiginis, æstiomenæ prauitatis vera medicina est.

f Alcol, siue alcacol, est uinum ardens rectificatum

De Syronibus Cap. XI.

SYronis cura ex hac fit sententia. [c]Sperimiolæ liquefactæ cape cum mucilagine lumbricorum de nitris, & oleo squamino: facito ex his viscum in loco frigido, vtere sic: Inunge locũ & cataplasma eius desuper impone ad triduum, dehinc abserge locum, cataplasma cutẽ, & syrones depone, ac oppodeltoch [f] meloũ administra ab occasu in auroram, quo facto, aduoca morbum in balneũ albugineum, toties, donec album illud membrum fixumq́ʒ appareat. Hæc cura in syronibus, cicatricibus, speciebus morpheæ, cutis leprosę, summa ac perfectissima est, quin & totam vngulam, pruritum, scabies, & primæ species alopeciæ tollit, pellitq́ʒ rosaceam guttam.

c Spermiola est sperma ranarum.

d Meloes sunt schvartze käferli im summer, vermanns terirt, sunt suauis odoris.

De

De Pustulis Cap. XII.

IN speciebus Gallici morbi, tria obser uabis, purgationem, curam, & conseruationē. De quibus hæc paucula notato. Purga principiò pustulosū cenio temio, quo pellitur causa morbi, vnà cum materia peccante. Cauendum autem ne interim à dosi & quantitate huius purgationis longius, quā par est, aberres. Porrò si pustulæ adhæserint cuti extrinsecus, aut alioquin dolor iun cturarum altius insederit corpori, inunge oleo quod est ex realgare, & conualescet ęgrotus. De vlceribus autem, nodis, tuberibus, siue extra corpus, siue in corpore, quæ inde exoriūtur, iuxta præscriptum praxeos, quę de vlceribus est, agito.

De Vlceribus Cap. XIII.

PRincipiò quicquid est fluxuū, aut humorum, si ad emunctoriū erūpit, ad candē medendi formā redigitur in hanc sententiam: Mortifica primùm, deinde mundifica, postremò cō solida. De mortificatione sic habe: Reci

pe alcali quod est ex realgare. Hoc quic quid in corpore corruptum est ac man cum, mortifica. Mortificatum ab[a] æsto phara libera gummi, liberatum pristine sanitati restitue, & idipsũ interueniente[b] mummia, quanquã sunt vlcera quædam, quæ prorsus non indigent mortifi catione. Alia, vt æstiomena mortifi cationem vehementius etiam desiderant. Tamen hæc omnia, vt vt sunt, chirurgico existimanda relinquimus. Sunt insuper alia innumera medicorum recepta, quibus, quia non semel hominibus imposuerunt, suisq; inuentis perierunt ij, qui hæc commenti sunt, non video cur vtaris. Hæc de vlceribus. Purgationem quæ propter conseruationem cor poris iure prima esse debet, prudenti medico cõmitto in eam sententiã quã suprà de pustulis præscripsimus.

[a] אשטפרע, *id est ignea ui nudatum.*
[b] *Mummiam est ipsa caro humana.*

De Vulneribus Cap. XIIII.

TRiplex est ratio sanandorum vulnerum. Naturalis, vt balsami: Specifica,

cifica, vt brasſidellia, characteriſtica, vt magorreo. Priuſquam tamẽ ad illa perueniamus: principiò, quæ miraculi vice erunt his qui harũ rerum imperiti ſunt, indicabimus, neq; genus, neque locum vllum in vulneribus eſſe obſeruandũ, id quod veteres diſputatione admodũ prolixa diſſeruerunt: Num videlicet ea ſint ſananda necne, quæ ſunt cerebri inteſtinorum, item veſicæ, & idipſum hac ratione, quia videmus cũ confoſſa, tum alio modo confecta vulnera, illic vbi vitæ locus eſſe nequit, nihilominus tamẽ conſequi mortem. Quare de mortiferis vulneribus, nihil prorſus dicemus in præſentia, cùm ſua ſponte ſeſe offerunt illa. Porrò hæc prima cautio eſt, ne chirurgicus ex eo, quod medicabile vulnus eſt, immedicabile atq; adeò mortiferum faciat. Hoc igitur opus, hic labor eſt, vt probè agnoſcas triplicem hanc ſanandorum vulnerum rationem, longè ſaluberrimam, neque interim audias eos, qui alicunde rogant, neſcio quæ vaniſsima commenta, imò precibus etiã à barbitonſoribus mediaſtynis, cæteriſque id genus hominibus leuiſsimis, cõ

tendunt, inter quos sunt, Landfrancus, Pet. de Argilato, qui multa ac varia, vel nuce non æstimanda, de Vulneribus in vnũ congesserunt. O verè pileatos doctorculos, qui preter pileolũ subrubrũ, & titulum, cæterũ nihil insigne geritis, qui ex pumice Nilum exundantẽ petitis. Cæcus sequitur cæcum, & cascus cascam. Hinc est, cur ij, qui montẽ Pessulanum sunt secuti, triplicẽ hanc medicinã quæ est de Vulneribus, in alienũ vsum verterint. Naturalẽ scilicet, quę balsami est, in putrefactionem præpostere. Specificum ad ea loca, quibus minimè competit, non sine periculo torserunt. Characteribus ita sunt abusi circunforanei, vt in contemptũ prorsus abierint. Nos autem quę de his verè habentur, apertè trademus in hanc sententiã. Balsamum naturale potionis vice administratum, aut alioqui vulneribus infusum, nihil aliud est, nisi hypericõ, centaurea, & prunella, quę nõ modò ea quę extrinsecus, sed etiã quę intrinsecus sunt, vulnera curat, & hoc propter virtutẽ, quæ in balsamo existit. Quicquid aũt est de specifico, multis partib. superat balsami naturam. Nã collatenna sub potione admi

niſtrata, cũ externa, tũ interna vulnera ſanat,propter virtutem quę adeò firma atq; adeò fixa ineſſe ſolet,&tantiſper operatur,dum vulnus eſt apertũ. Braſſatella, ſi modò attigerit vulnus,neq; porrò opus habet aliq̃ medicamine. Sunt præterea alia cõplura ſpecifica, quæ ad eundẽ modũ operant̃: neq; idipſum ad xij,aut xxiiij.horas.Horum tanta vis eſt vt fixũ,atq; adeò perpetuũ medicamentum ſubminiſtrẽt,vel ſemel vſurpata,& idipſum in finẽ vſq; vulneris.Hoc loco experimenta ſpecifica recenſenda erãt, de quib.quia in Archid. mentionẽ fecimus,pretereundũ cenſeo De characteri b.quę tertia forma eſt,ſic habeto.Characteres, benedictiones, cęteraq; id genus, vulnerib.præſens,abſens, adiũcta, ſingula vulnera ſanant,& idipſum citra omnẽ ſynoniam.Sunt etiã quę ſynoniã albã ſiſtunt,cuiuſmodi eſt ſtaraphaxat: alia ſanguinẽ, vt kiſt & kiſs, & id genus alia innumera,quæ alibi in Archid. recẽſentur.Hæc ſunt vel ſola,quę medicum nobilitãt. Quare in hac triplici ſanandorũ vulnerũ ratione generalẽ curã, iuxta p̃ſciptũ adhiberi oportet,neq; interim eos q vniuerſo orbi impoſuerũt,audire,

DE VITA LONGA LIber Tertius.

CAP. I.



OSTQVAM DE particularibus arcanis, quæ corpus morbis confectum priſtinæ ſanitati reſtituunt, diximus, inde vbi ſuperiora deſierint, auſpicabimur. Vt ea quæ in ſuperioribus libris tradita ſunt, tandem à nobis abſoluantur, & corpus phyſicum tanquam balſamum conſeruetur, & ſi particularia arcana, & huius 3. libri materies ad idē corpus referūtur: Porrò etiam vna, eademq; præparatio exiſtit: tamen praxis in hoc tertio elixiro alia eſt à ſingulari illa medendi ratione. Quare in hoc tertio libro primas obtinent, flos cheyri, & anthos. In hoc enim abſoluitur elixiridum arcanum, & idipſum vi, atq; adeò virtute totius quintę eſſentiæ. Principiò igitur, vt ſingula clarius innoteſcāt, quid quinta eſſentia ſit, paucis indicabo in hanc ſententiā: Qua

tuor elementa procreat natura, ex quibus temperata quædam essentia conficitur à spagyro, quemadmodum flos cheyri exprimit. Hoc loco parui referre arbitror, quę super hac re ars Lullij habeat, cùm plus sedecim pedibus, vt dici solet, ab vniuersa monarchia, quam archidoxa præscribunt, aberret. Aliud.n. est extractio, aliud confortatio, aliud melioratio, vt istorum hominũ vocabulis vtar, quorum Raimundus in eo libello qui inscribitur, Ars Lullij, meminit, & ex his falsò quintam essentiam æstimauit. Hæc quia magis sunt argutiæ, quàm vera, silentio præteribimus. Flos auri autem, flos amethisti, deniq; quicquid est diaphineæ naturæ, margaritharum, sulphurearum, cachymiarum, postremò etiam quicquid est aluminosorum zerebothinorum, & id genus aliorum, quę aqua gignit, carabarum, corallorum. Hæc, inquam, omnia quintæ essentiæ sunt obnoxia, pro ratione temperationis, quæ intercueniẽte corruptione elementorũ à spagyro fieri cõsueuit.

* *Spagyrus est qui non authoritate, sed propria experientia rerum naturas habet.*

Cap

CAP. II.

PОrrò totius rei summa in hoc est, (quando ea quæ hoc lib. de elixiro dicuntur, singula ad uitam longam sunt referenda) ut uniuersa natura redigatur in spagyricam misturam, seu temperationem, quæ nihil aliud est, præter naturæ bonitatem, cui nihil quod corruptibile est, nihil deniq; aduersi inest. Et si alia ratione, ac varia eadem naturę bonitas deprehenditur in tinctura iuxta præsciptum naturæ, quæ in lapide physicorum existit: in antimonio secũdum corui naturam, in sulphure iuxta Lunariæ effectum, & in id genus aliјs, Tamen in his omnib. est vna eademq; temperatio, quæ inter metalla sub Mercurio delitescit: (Mercurium dico, qui omnib. metallis inest) inter gẽmas, sub crystallo: inter lapides, sub zeloto: inter liquores, sub carabe: inter herbas, sub valeriana: inter radices, sub peucedano: inter amara, sub vitriolo: inter silices, sub antimonio. Porrò sicut merc. metallis inest singulis, sic antimoniũ silicib. vitriolũ sali, melissa herbis. Hæc sũt nominia

elixiri temperati. Obseruandum igitur in elixiris insequentibus sulphur eorũ, quę isti mineralia vocant, quintã essentiam esse, mercuriũ metallorum, ex quibus elicitur natura corporis. Nam cheyri Veneri pręstat, anthos Marti: quorũ vis ac natura est, nõ tam vt morbos pellant, quàm vt corpus illud vitæ longæ quæ inferiori influentiæ obnoxia est, reseruent. In hanc sententiam elixira longę vitę, multis ac varijs nominibus cõprehendi volumus, cum vna eademq́; vis sit eorũ: Nobis autem (si forsan miraris, hãc tractandi rationem) visum est interim ludere in vocabulis.

CAP. III.

EX vniuersis elixiris summũ ac potentissimũ est aurum. De hoc igitur principiò tractabimus: Nam huius rationem si noueris, aliorum quę à corpore separãtur noueris. Reliqua quæ à corpore non separantur, infrà vbi de vino mentionẽ faciemus, indicabuntur. De elixiro igitur auri, quod ad praxin attinet, sic habeto: Resolue au-

rum

tum vnà cum omni ſubſtantia auri corroſiuo, & idipſum tantiſper, dum fiat idem cum corroſiuo. Neq; interim abhorreat animus ab iſta tractandi ratione: Auro enim quatenus aurum eſt, corroſiuum præſtat, & citra corroſiuũ mortuum eſt. Quare quintam eſſentiã auri, citra corroſium inutilem eſſe aſſerimus. Sequitur ergo, reſolutionem denuò per putrefactionem eſſe remouendam, & ſi corroſiuũ tenacius etiam adhæreat: nam ſi tanta uis auri eſt, ut corpus ſeruet, ac liberum reddat ab omni ægritudine, neque id corumpi ſinat, quantò magis ſeipſum, idque citra omnem infectionem: Corrigit enim, ac emendat quicquid non eſt ſyncerum. Corroſiuum igitur in auro nullo pacto corroſiuum appellari debet: Vis enim arcani ſuperat omne uenenũ: Nam omne realgar morit in elixiro auri, & in tincturam abit medicinæ præſtantem. Atqui in hunc modum gignitur, aurum potabile poſt putrefactionem. Hanc doſim, ſeu mauis harmoniam quãdam præſcribit peruulgata ſpagyrorum praxis. Poſtremò obſeruabis de elixiro,

Cuicunq; confertur elixir, idē ita transmutat, vt haud dissimiliter sibi fixū porrò maneat.

De Perlis Cap. IIII.

SEd vt ea quæ de quinta essentia diximus, clarius elucescāt, obseruandum, nihil magis esse auro propinquum perlis. Quatuor igitur elementa, quæ perlis insunt eadē ratione cū auro in tēperationem redigas, oportet id, qd vere existit quinta essentia citra amissionem substantiarum. Porrò si iuxta præscriptum perlas in quintam essentiam transmutare velis, pro ratione quintę essentiæ age, necq; quicquam immuta prçter principiū, in quo vltimam materiam quæ in cōficienda quinta essentia solis, prima materia existit, adiungi necesse est. Ea ex eiusmodi recepto elicitur. Principio redige limonem in liquorē, denuo reclinatum, in quo perlę calcinationem arripiunt, exicatæ resoluuntur, quæ resolutio in elementum, cui prorsus nulla complexio inest, erumpit. est enim huius vis vniuersa, similis quintæ essentiæ. Nolim hoc loco admittas ra-

tionem

tionem extractionis, quam Archelaus præſcribit, neq; id genus aliasſeparatiónes ſpagyricas: Nam ſuperior tranſmutatio non modò ea membra quæ debilia ſunt priſtinæ valetudini reſtituit, ſed ea etiam quæ valida ſunt, ac robuſta, in eodem vigore conſeruat. Hinc eſt cur perlæ pluris, q̄ reliqua ſpermata fiant: inter quas longè pręſtantiſsimas oſtrearum eſſe affirmo. Quanquam hoc loco non minimas partes ferat, quemadmodum Archidoxa habent. Homunculus quem necromantici Alreonam, philoſophi naturales mandragorā vulgò appellāt: tamen non niſi in communem errorem abijt, propter chaos illud, quo iſti obfucauerunt verum homunculi vſum. Origo quidem ſpermatis eſt: per maximam enim digeſtitionē quę in ventre equino fit, generatur homunculus, ſimilis ei per omnia, corpore & ſanguine, principalibus, & minus principalib. mēbris à quo prodijt. Quare hoc loco præteribimus huius virtutes, quandoquidem non vt perlæ, apud huius rei peritos, innotuit.

De Extractione quintæ essentiæ ex herbis. Caput. V.

SVprà mentionem fecimus quintæ essentiæ, quæ citra vllam extractionem fieri debeat, id quod in hanc sententiam accipias oportet. In Elixiro, quo de in præsentia mentionem facimus, quinta essentia nullo pacto elici potest ex herbis citra extractionẽ, propter diuersitatem essentiarum, quæ vni substantiæ insunt. Hæc ita sunt segreganda, vt herba maneat herba, & quinta essentia maneat quinta essentia. Etsi in qualibet herba sunt quatuor elemẽta duplata: quinta tamen essentia nõ adest duplata, sed altera pars solùm. Alteram quę est subistantię relegamus ad eas artes quę particulares sunt, & quod elixiri est tractabimus: id quod exẽplo melissæ clarius innotescet. Digere melissam philosophico mẽse in [a] athanar, deinde ita separa, vt duplata elemẽta seorsum appareant, cõtinuò elucescet quinta essentia, quæ elixir est vitæ. Similiter vino generoso, & idipsum variè, in nepita acerba, in lollio, lutea: in Tincio, nigricans:

gricans:in lupulo, tenuis ac alba:in cuscuta, austera: in alijs similiter iudicandum, iuxta experientiæ pręscriptum. Porrò extracto spiritu isto, & ab altero separato, Ecce vinũ salutis, in quo philosophi aliquot secula obnixè laborauerunt, nihil tamen vnquam sunt assecuti. Et bona pars eorum qui Raimundum sunt secuti, aliquot dolia releuarunt, dũ elicerent quintam essentiam vini, nihil prorsus deprehenderunt pręter vinum adustum, quo perperam pro spiritu vini vsi sunt. Quæ hoc loco requiruntur, alibi in philosophia de generationibus repeiruntur. Sufficit enim admonuisse spagyrum qua ratione herbis quinta essentia insit, deniq; quæ in his sunt inuestiganda.

Athanar est furnellus.

De Antimonio Cap. VI.

SIcut antimonium finit aurum, sic eadem ratione, ac forma finit corpus:in illo enim est essentia, quæ nihil impuri cum puro confundi finit. Neque quisquam spagyricæ artis peritus, deprehendere potis est vim atq; adeò

virtutem antimonij. Nam in principio rerum eò deuenit antimonium, & inter metalla, quæ aquæ sunt, sic est relatum, vt porrò etiam diluuio exacto vis huius genuina, atq; edeò virtus permanserit, ita vt sese ex influentia semper dirigat, neq; aliquid de vi, ac virtute natiua vnquam decesserit. Meritò igitur omnia quæ mineralium sunt, quorũ summum, ac potissimum arcanũ in se claudit antimoniũ, huic vni tribuimus. Mundat seipsum vnà cum reliquis, quæ immunda sunt. Porrò si nihil omninò sani adest, immundum corpus in mundũ transformat. Quemadmodũ in expositione lepræ habetur: quæ omnia palàm declarat, ac indicat spagyrica praxis. Sed ne longius quàm par est digrediamur, & tandem ad præparandam antimonij virtutem (cuius vel apex vnus, aut iota omnibus codicib. qui in nostra professione sunt, præstat) perueniamus, sic habe: Principiò vide ne corrumpatur antimonium, sed totũ hoc, quantum est, ac integrum maneat, citra vllam amisionẽ formæ. Sub hac enim delitescit antimonij arcanũ, id quod per retortũ impelli de-
bet

bet sine omni capite mortuo, ac denuò in tertiũ cohop tertiam naturã reduci. Tum demum erumpit dosis eius gr. iiij. quintæ essentiæ melissæ administrata. Huic præterea nihil tribuit[a] Archeus terræ.

[a] *Archeus est dispositio naturæ.*

De Sulphure Cap. VII.

PRincipiò ardua res est, & multis nominib. celebranda, tantã in esse vim atq; naturã terræ, quæ balsamũ procreet, cuius est hæc natura, vt porrò nihil putrescere sinat. At si cõsideres resinas, quarũ pòtissima pars est sulphur, nihil est quòd superiora laudes. In sulphure balsamũ est, quo de nemo nõ variarũ artiũ studiosus meminisse debet. nam in eo sunt liquores balsami, q neq; viuũ, neq; mortuũ quicquam putrescere sinunt, sed corpus ita conseruant, vt nulla neq; influentia, neq; naturalis corruptio, vel impressa in corpore deprehendi possit. Nemo miret̃ hoc loco tantam inesse vim in resinis, terræ, neq; maiorem prædicationẽ huis, cũ quæ balsami sit super terram crescentis, & huius

vim atq; virtutem declarantis. Nam in his quę occulta sunt, multò plura deprehenduntur, quàm in his quæ manifesta sunt. Sic in sulphure multò plura deprehenduntur, quàm in cæteris resinarum partibus. De sulphure autem, vt ad tractandi rationem perueniamus, sic habe: Eleua sulphur à colcothar, spagyrico more, idq; tantisper dum non superat ignis, id quod natura colcathar sulphuri tribuit, idem spiritus fixus est balsamus terræ. De quo hoc loco paucula admodum scribimus. Huius enim virtus experientia patet; & si aliqua de gũmi, quædam etiam ex resinis, cæteraq; id genus eiusdem naturæ sunt cum balsamo, tamen inter illa primum, ac optimum esse puto sulphur, &c.

De Mercurio Cap. VIII.

ELixir ex Mercurio eadem ratione qua ad transmutãda metalla adornatur, confectum plurimũ valet ad pellendam mortem. Nam eius rubigo, quam Lullij sectatores falsò florem appellant, nil nisi mors est. Sicut enim mors consumit ac conterit coprus, sic rubigo

rubigo metallum. Quicquid ergo tinctura illa tingit, longæ vitæ plurimũ inseruit, & idipſum tantò efficacius, ac fortius, quantò altius (abſit inuidia dicto) gradũ Veneris attigerit, quantò acrius etiam, ac ſubtilius in pręparatione reiteratum fuerit. Neminem deterreant Rupiſciſſæ fabulamẽta, qui ſuo more temerè, ac frigidè ſuper hac re ſcripſit: videlicet in tinctura corporis aurum & id genus alia, quæ Mercurij ſunt: denique quicquid ex ſpiritu ſalis, aut arſenici confectum eſt, prorſus eſſe fugienda. Ad tincturã Mercurij (cuius virtus eſt ex ſubtili acrimonia, quam à natura Archei habet) propius acceſſerunt Albertus, ac Thomas: in coagulatione autem nimia & gradu reiterationis, quibus totum negotium obruerunt, falſi ſunt. Quanuis in adornanda tinctura eorum quiddam eſt, quod veræ tincturæ finitimum eſt, in hanc ſententiam: Sicut metalla tranſmutantur, ac plenè figuntur, ſic etiam corpus, ad hunc modum: Reduc Mercurium in eleuatione tantiſper, dum in fixum cryſtallum abeat: deinde in reſolutionem, ac coagulationem digere, &

cum auro coniunge, ita vt fermentum eius hoc ipsum fiat. Proinde iuxta praescriptum Hermetis age vsque in finem lapidis, cuius dosis est granum 1. Huius vis, ac virtus corpus reseruat integrum.

De Spiritu uini Cap. IX.

SVprâ vbi essentiae herbarū memini, nihil aliud nisi vinum esse ostendi, id qđ sic accipias oportet. Spiritus vini à substantia eiusdem prodit: nā huius subiectio existit vinū, sicut marrubium proprij, ac natiui vini. Quare vt spiritum vini tanquam essentiam, quae vere elixir est, habeas, sic accipe: Sicut persicariae libram 1. scrup. ij. vini emittit: Sic vini libra 1. plus scrupulo 1., non capit. Reliquū est phlegama vini, id quod ad presens elixir parum confert. Porrò inquisito huius essentiae, fiat ad hunc modum: Digere vinum pellicani infusum fimo equino, idque bimestre spatiū cōtinuò videbis adeò tenue, ac purum, vt pinguedinē quandam, quae spiritus vini est, in superficie vltrò eliciat. Porrò quicquid sub ea est, phlegma citra omnem vini naturam existit. Pinguedo au-

tem

tem sola phialæ inclusa, & per se dige-
sta, summæ energię est ad vitam longã.
Non modò autem ad vitã longam, sed
etiam ad alia praxis illa torqueri potest,
& idipsum interuenientibus cinnamo-
mo, xylobalsamo, myrobalanis, & id ge-
nus alijs in hunc modum. Confunde, ac
interueniente digestione ita coniunge,
vt elixiro, quo de hoc loco mentionem
facimus, auroq; adiuncto medicina a-
dornetur, quæ omnem conctrationem
tollit, ac membra resoluit.

Extractio Mummiæ Cap. X.

VIrtutum verò ex mummia extra-
ctio, magistraliter, vt eo verbo v-
tar, fit per commistitionẽ eius cũ
essentia vini, ex chelidonia quidẽ sum-
pti, nempe, si ad decem vsq; dies sic di-
geres, in quinq; autem distilles. Porrò
verò digeratur ex integro rursus, eò
vsque quo se mummia in liquorem ver
tat, quo facto tã superno, q; inferno, se-
paratis nempe seorsim à medio, addat
huic sedecima pars balsami de lignis,
terręq; sigillatę pauladadi pondus duo
decimũ, ac tantundẽ horizontis liquo-

ris: digerantur simul ad sui mensis spacium, quo conclusum ita sese reuerberet. Hoc enim pacto in summum vsque gradum ascendit. Quod quidem eorum omnium quæ venenis dominantur, potentissimum atque efficacissimum est.

Satyrionis extractio *Cap.* XI.

QVicquid autem ex satyrione elici debet, per separationem fiat necessũ est. Vis namque in satiryõe delitescit Saturnina, quę quidẽ clam virtutem, qua de gloriari satyriõ debebat, suffuratur ac debilitat, fitque sic eius exaltatio triginta granis minor. Quò fit, vt non raro opem vsurpatus deneget satyrion. Quare in eius separatione considerari operæpretium est, vt non forma quidem, sed virtus duntaxat separetur, id quod in hanc fit sententiam: Indigeratur in pane siliginis satyrion, idque ipsum in ventre equino ad suum nempe mẽsem: quo peracto, ipsum quidẽ è pane excipe, abiectis quippe fęcib. Deinceps sanguinem satyrionis probè digeri, despumarique finito. quo sedato, tũ demum medicinam nactus es, quæ cæte-

ras omnes quæ ad conceptionem atti-
nent, facilè post tergum relinquat.

Extractio primi metalli Cap. XII.

PEr primũ metallum summę atq; adeò præcipuæ fiunt cõseruationes corporis, neq; tamẽ ex natura propriæ suę confortationis tam est efficax, sed potius ex virtute mineralium, quæ in se continet. Nam vt vitam longam cõserues, ex principe mineralium hoc proficiscatur necessum est, quandoquidem mineralia physicũ corpus existũt. Atque hoc temperamentum illud est, quod solum atq; vnicum corrosiuis resistit, operaturq; tam per chimicum, quã archeicum ares, quin etiam robustissimum quodq; corpus cum debilssimo temperat in vno gradu. Robur siquidẽ præter roboris ares perinde est, atq; debilitas infra gradum ares roboris existens: firmiori quidem adimit, quod imbecilliori præstet, ac vtrunq; in mediũ tandem redigit diametrum, id quod in hunc modum fit: Liquorem corallinum accipito, eum nempe qui probè diaphinus existat, cui adiunge eius quidem vi-

trioli, quod est ex Venere, quintam partem: digerantur in balneo maris ad mēsem suum. Hoc enim pacto separat se vinum metalli primi in summitatem, cęterum quicquid de fęcibus vini est, vitriolum Veneris occupat. Sicq; fit primus ille metallus, perspicuum, diaphinum, ac rubinum planè vinum, cuius præcipua virtus, ac potestas in omnibus est mineralibus totius physici corporis.

* * *

DE VITA LONGA LIber Quartus.

CAP. I.



Ed ne in vita longa quicquam silẽtio prætereatur, in hoc libello obseruari conuenit, quòd intra testam, vltra etiam quintum illud esse, conclusum est aliquid, ex quo coniunctio quædam cũ corporalis, tum eius quod præter corpus est, extra quintum illud, in longam vitam corpus producit. De quo sic habe: Nihil planè esse, ac inuisibile: in ipso tamen corpore eximium, quod non microcosmico solum corpori longã vitam præstat, sed etiam ipsum Dardo in trigesimum annum vsq; integrum conseruat, ipsumq; Anthos ac insignem illum cheyri vsq; in tertiam custodit ætatem. Hoc nanq; cum Antheras, ac folia sustentet, quantò magis corpus sustentabit microcosmicum, quòd per vniuersam quatuor elementorũ anatomiam perdurare in sua conserua-

tione debet. Quocirca in hac quidem positione notandum medico est, quòd vniuersa quatuor elemenra, anatomia in vnicam microcosmi anatomiã contrahi debeat, non autẽ ex corporali, sed potius ex eo quod corporale conseruat: quod quidem supra quintum illud, cùm hoc, tum reliqua quatuor sustentat. Et si nomenclaturam ei iustam, ac veram dare oporteat, balsamũ ipsum vocare, ex quo vita cõseruatur iure possum, qui se à corporis balsamo iure sepa rat, & talis est balsamus, qui ipsam quoque naturam antecellat, idq; ipsum tamen per corporalem operationem.

CAP. II.

PОrrò eius quidẽ balsami, quo de iam dictum, qui longam exhibere vitã debet, declaratio duob. modis fit: Vno qui eiuscemodi virtus clam, & à casu accidẽs ex eo sequitur, quod plerisq; longa quidem vita tribuitur, qui tamen ipsam qualis in se est, agnoscũt minimé. Alter autem modus per artes fit, eis nempe qui illam adipisci cõiunctionem possunt, neq; tamen idipsum fieri citra

citra medium aliquod poteſt. In hoc enim planè ſita eſt rei ſumma, quòd in eo [a]Iliaſtro, cùm longa, tum breuis etiam vita reperitur. Nàm quæ herbis adiūcta eſt, terminum ſuum habet. Similter etiam ſuum habet terminum, quæ mineralium eſt aquæ, eodem modo [b]Thereniabin quoq;, nec diſsimiliter & [c]Nostoch. Præter tamen hæc omnia, talis ac tanta ipſius eſt coniunctionis vis atque poteſtas, vt omne id quodcunq; ex quatuor elementis productum fuerit, ſupra primum illum terminum ſuum conſeruetur: & is eſt terminus iliaſtri. Quo quidem etiam ſuperatum volumus, ſubtilem illum virum, qui terminū transgredi nō poſſe ait, quod quidem ſin minus fuerit, ac tranſgrediatur, fieret hoc vel in altero ſaltem. Eorum nanq; ſūt duo: quorū alter quidem tranſgredi nequit (eſt enim terminus in microcoſmi naturam poſitus) alius aūt etiā in naturā elementorum, alius verò in quintam eſſentiam quoq;, præterea & alius ex vltimo iliaſtro. Ii quippe termini in medici poteſtate conſiſtunt, qui in his mutare pro ſuo poteſt arbitrio quod vult, preter ſo

lum fixum, vbi finem vnà cum suijpsius quoq; mutatione expectare ipsum oportet.

[a] *Iliastes est prima materia, ex qua omnia ortum habent.*
[b] *Thereniabin ex aere procedit.*
[c] *Nostoch est species ignis.*
[d] *Omnia in terminum creata, & Medicus, et Medicina.*

CAP. III.

HVnc itaq; iliastrum ad eũ modũ intellige, quandoquidem hîc triplices preter quintã essentiã virtutes reperiũtur. Est enim iliaster factitus, alter verò iliaster paratetus: tertius aũt iliaster ille magnus. De priore sic accipe: Quòd factitus ille lõgam vitã praestat, idq; secundũ eius qui ipso vtitur, industriam: alter verò idipsum dispensat iuxta fauorem. Sed tertius illæsus, citraque noxam in vita longa consistit. Hinc igitur iliastrum hoc in loco comprehensum expende, quód primus, secundus, & tertius simul omnes microcosmo subditi sunt, ita vt in vnum eos gamonynum redigere posit. Alter verò cogitur nequaquam, sed quemadmodum fauo-

tori cõuenit, acquiritur. In tertio perinde habet, vt in Enochdianis ac Heliezatis, non secus, atq; de aquastro patet. Primum itaq; ex elementis suã ducit originem, veluti testa concludit, ipsisq; arcanis supra quintũ esse attribuitur. Secunda verò magnalibus ascribit. Et tertius ex proprijs specificis suis. Ex quo sequitur terrelatos nymphidicas, aerdados, soladinos longã vitã suã accipere singulos in aliena essentia. Illius.n. tertij iliastri mors est, & tempus, & arbitriũ: isq; est, qui spicæ vltra, quàm ipsa quoq; per se natura ferat, tribuit, quin & myrrhæ fragrantiam roburq; in leris. Atqui vtut sese hæc habeant, considerandũ medico est, vt eiuscemodi coniunctio non dissimili modo contingat in corpore, nempe quemadmodum arbor maris, semel fixa, atq; adeò sui iuris ab illo facta est, fususq; cheyri probatus ac constans: sic per eandem coniunctionem in microcosmo idem quoq; potest fieri.

Cap. IIII.

CAeterum de primo illo iliastro, q̃ pacto se habeat in hunc modum

accipe, quòd eius vltra mille sunt species:non tamen quòd aliud præcellat alio, verùm potius iuxta hoc,vt quilibet microcosmus peculiarem suam, atq; adeò perfectam coniunctionem habeat, quilibet,inquam,vtrinq; perfectam suã ac propriam virtutem. Tanta siquidem est iliastri virtus ac potentia,vt per eum corpus quidem mortuum conseruetur viuũ, in eo nempe, quo primus illo terminus transmutatur. Quæ quidem vitæ longæ conseruatio supra vires nostras existit, non autem præter vires superiorum:fitq; sustentatio eius ad hunc modum,quod vitam longam tribuit, citra tamen expulsionem morbi: vitã quidem prestat,non autem bonam valetudinem: nonnũquam verò & vtranque. Sed eiuscemodi quippe vita longa,quę ab illo proficiscitur iliastro, annuatim quidem durat,ac propagatur:vt alij quidem,in decimum vsque annum porrigitur, qui in quinto obijsse debuerat, alij in vigesimum,qui in decimo. Similiter in quinquagesimum, qui in trigesimo: nõnullis in octuagesimum,qui in quinquagesimo:alijs in centesimum, quos

in octuagesimo, vel septuagesimo vita oportuerat esse functos. Maximum autem in centesimum, ac vigesimum. Alij verò in tertium, quartum, vel quintum, & sextum (sicq; deinceps indifferenter) vsq; diem, vltra suũ terminum prolongatur: id quod vniuersum tum ex superiore, tum inferiore cõiunctionibus, perinde atque hæ duæ conueniunt, accidit.

CAP. V.

SEd de vero illo iliastro sic se res habet, quòd eiusmodi quid citra vel significationem, vel necessitatem quandam erga maiorem illũ iliastrum fieri nullo pacto potest. Quod quidem in hanc sententiam intellige, iliastrum illum eiuscemodi vitam longam iam iam producturum, præstare id minimè gentium posse illic, vbi eius vitę longæ locus nullus est. Quare obserua, tale quid non, nisi cum transmutatione tam loci, q; elementorum, fieri, sic nempe: Quemadmodum quatuor elementa in testa mortalia sunt, omni momento nouam conficientes generationem, morti eam

exhibent. Sic è regione alia quoque est in suo firmamento fixa, atq; adeò inconcussa perdurans, quæ nec morbum causatur, nec mortem. Qua de re sic philosophari licet: Quòd spiritus illi fixi nihil planè interire sinunt, quorum longa vita immobilis est ac firma vsq; in transmutationem eorundem, rursusq; in primam. Similitudo siquidem ex texta sumitur, quòd secundum fixationem (vt sic dixerim) firmamenti, longa vita in vno quidem confirmamento prolxior est, quàm in alio: tametsi ad primum solummndo terminum singula attinent. Veruntamē eiuscemodi transmutationem nonnulli quoq; comitantur incolę (sic enim vocare libet) in decimā, vel duodecimam vsq;. Quorū mors in destructionem quidem sequetur magni illius firmamenti, quando vtraq; corpora tam cœlestia, quàm terrestria cōmouebuntur, quin & supercœlestia quoq;. Quanquam hoc citra naturę discrimen fit. In prima nanq; minuta, quando eiusmodi mutationes accidunt, naturæ orditur putrefactio, fitq; superstite, ac viuente adhuc corpore proprio.

CAP. VI.

VT autem porrò id quod maximè necessariũ est in hoc processu erga iliastrũ describamus: Principiò vt impurum animatũ depuretur citra separationem elementorum, quod fit per tuam ipsius imaginationem, cùm ea in animi tui confirmamento consistit, præter omnẽ corporalẽ ac mechanicũ laborem. Quæ quidem dispositio ex eo contingit, quò sese homo gradatur in animo, vt æqualis reddatur enochdianis. Non quòd enochdianam agere vitam cupiat, animo tamen ab ea per diametrum distet. Quare microcosmum in sua interiore anatomia reuerberari oportet in supremam vsque reuerberationem. Per hanc enim reuerberationem sese impurum consumit: fixum autem, quod ab impuro destruitur, sine ferrugine permanet. Nec tamen ignis est cui salamandrina adesse possit essentia Melosinicùmue Ares, sed potius retorta quædam distillatio ex medio centri, supra omnes carbonum ignes. Facta autem eiusmodi reuerbe-

ratione in vltimo quidem termino fulmen exhibet physicum, non secus atque separant sese ab inuicem Saturni fulmẽ, & Solis. Itaque quicquid per hoc fulmen incedit vitæ longæ est, magni nimirum illius iliastri. Atque hæc quidem fulminatio, & præcedens eius reuerberatio nihil quidem ponderi adimit, sed magis turbulentiæ corporis, idque ex colorum diaphinorum ratione.

Cap. VII.

PRæterea verò ab iliastro primę potestatis eiuscemodi vita longa non est. Inferiorẽ.n. gradũ prębet. Sed is tamen est, qui eo in loco separat, & perinde vt res fixa nõ fixam seruare potest, à morte microcosmum defendit: quandoquidem eius operatio nõ est, vt separet, verùm potius, vt per arcana illa perspicua indigestum vincat, quò minus succedat eius perditio: Similis ei, qui mala bonis superat. Velut mũmia, quæ vnà cum corpore à partu procedit, ipsa quidem per se bona, corpus autem malum, ac putridum. Quancunque igitur vitam corpus viuit, ex sola viuit mummia:

mia:proprium enim eius ac natiuũ eſt, vt putreſcat, rurſusq́ in ſtercus, cuius membrum eſt, abeat, id quod continuũ eius ſtudium eſt. Cæterùm mummia non item; nequitiam enim illi ſuam frangit, atq́ ſuo ipſum proprio conſeruat arbitrio, quo minus id quod conatur aliquando efficiat. Quamobrem ſic ſonat eius receptum, quòd mummia ſupercœleſtis microcoſmũ plus, quàm propria eius mummia ſuſtentat. Quoties enim mummia, toties item alius terminus: tametſi neque tempus, neq́ numerus in huiuſmodi terminis repertus eſt: perdurat enim eò vſque quò ſecundam euitare generationem non poteſt amplius: nam in hoc peritus eſſe phyſicus debet, quòd quælibet prima materia vltimam quidem expellat. Quare generatio vermium hîc orditur, vbi vltima materia phyſici corporis ſeſe oſtendit: hũc igitur iliaſtrum obſerua, quòd vermiũ generationem non modò non deſtruit, verùm etiam cùm earum adſit materia, generationem ne impediat quidem, quam tamẽ præuenire mummia debet.

Cap VIII.

AD horum omnium cōclusionem, principiò nota, q naturalis mummia ex trib. illis anatomijs componi debet, quo peregrinus microcosmus, physicū corpus gubernet, id quod extrinsecus fieri necessū est, siue per elementum aquæ, velut per eius metalla, salia, & id genus: seu per elementū terræ, vt per eius herbas siue boletos: aut in thereniabin, vel[a] nostoch: nam hæc omnia mansiones sunt rerū supercœlestiū. Quamobrē nemo miret, quòd ingentes passim melissæ virtutes describuntur. Quando enim in hac supercœlestis cōiunctio sese vnit, quis virtutem ei quantumuis eximiam abnegete? Atque hæc quidem sunt magnalia, quæ in se Bamahemi quoq continent, atque is planè iloch est, qui ex vero compositus aniado, eidem elementato adimi nullo pacto potest, id quòd fit per exaltationes vtriusq mundi: perinde atq vrticæ exaltationes adurunt, nitetq ac splendet flammulę color. In huiusmodi tamen exaltationib. virtus eorū traduci in aliud po-

potest. Ad hunc igitur modum dignoscere exaltationes discite, quæ vrtica lōgè potiores existunt, idq; ipsum, vt in vero Maio, vbi Aniadorū exaltationes ordiuntur, easdē colligatis. Neq; enim virtutū exaltationes in [b] matricibus dūtaxat sitæ sunt, verùm etiam in supercœlestibus. Vulgaris quippe ac velut nihili Idæus is esset, qui vnā solummodo rem visui subiectam fabricare nosset, nec præter ea quæ tangi possunt, creasset maiora quædam. Enimuero aliū quendam Maium construxit, vbi se flores exaltant supercœlestes, in quo extrahi Anachmus debet, ac seruari, non secus atque muscus in pomambra, & sicut auri virtus in Laudano delitescit: cuiusmodi quidem Anachmi virtutes quando colliguntur, tum demum de longa vita letari meritò potes.

[a] *Nostoch est species igis,*
[b] *matrices, elementa.*

THEOPH. DE VITA LONga Liber Quintus.

Cap. I.



Vprà in primo libro fundamenta ieci vitæ longæ, ea hoc loco ab soluemus. Non enim video , cur ea quæ ad integram vitam, atque adeò sanam pertinent, hîc denuo repetam. Cùm in superioribus libris, secundo & tertio, de his à nobis satis abundè dictum sit: quare in hoc quinto lib. supremam manum imponam his quæ suprà in primo libro, de ea quæ præter naturam est, vita, incepimus: & idipsum pro ratione theorica. Principiò proponimus vniuersis spagyricis, cúm Adæ, tum Mathusalem ætatem, id quod in secundo capite sequenti indicabitur. Antequã tamen ad illa perueniamus, prius de vita longa quæ in manu illius maximi iliastis est, exactè dicemus, idq; pro ratione magnalium. Vbi plurima de libero arbitrio accipiẽda esse admoneo,

quàm

quàm quę nos ex elementis administrare possumus. Hæc, vt clarius ac rudius pateant, principiò oportet fingamus Enochdanos, quam influentiam, si in mente nostra, perinde ac ignẽ in ligno, non sine vulgari virtute, gesserimus, fieri potest, vt ad hanc vitã perueniamus, vel nullo negotio: id quod exemplo Iobarnetis palàm fit, cuius natura, neq; vnam ętatem solùm, neq; seculum vnum duntaxat cõprehendit. Sed in his meis paramiricis libellis præbeam calumniandi ansam his, qui scripturas variè torquent, nihil certi hoc primo capite desiniemus de vita summi iliastis: num hîc in corporalibus elementis sit, aut porrò etiam in quinto viuat, vbi nullũ corpus occurrit, vbi non modò ij, quib. de mentionẽ fecimus, viuunt, sed etiã ij, quos somno sepultos credimus. Hæc, inquã, omnia sublimioribus spiritibus tantisper existimanda relinquimus, dum infrà ad illa venerimus. Porrò si impelletur iliastes ille summus, aut aliquo saltẽ haberet opus, facilè eò, quicquid esset Enochdianum perueniret, vbi vniuersa vita nostra longa suis locis in æthere, ac

nubibus collocaretur: Sed ſemel ſaturauit ſe iliaſtes, vt porrò non careat, neque aliquo habeat opus. Quare in hoc libro vltimo ſingula pro ratione primi libri tractabimus.

Cap. II.

SEd vt tandem ad finem deducamus ea, quę de vita longa tractarė incępimus, principiò indicabimus quid vita longa ſit. Terminus vitæ longę complectitur in ſe 1000, aut 900, aut ad minimum 600 annos. De ſcaturigine autē huius, quæ præter naturam eſt, vitæ, ſic accipe. Duæ ſunt in hominis poteſtate vires, vna naturalis, qua de dictum eſt vſq; ad natiuū finem. Alia aeria, in hac enim nihil eſt corporale. Quare incorporalia hunc noſtrum libellum abſoluunt. Miſeros hoc loco mortales, quibus primum, ac optimum theſaurum (quem naturę monarchia in ſe claudit) natura recuſauit, puta, naturæ lumen. Ne porrò in hac laboremus fruſtra. In philoſophia autem, quia deſinit ac abit natura aniadum, recordabimur, necq; porrò mentionē faciemus philoſo

phiæ

phiæ. Missas igitur faciamus res natura les, missa etiam facimus quæcunque sunt ex elemẽtis, insuper etiã gesta helisimidan: denique quæcunque suprà diximus, quæ sub chao, id quod summus iliastes existit, delitescunt. Et in manus ea, quibus de mentionem in 1. lib. facere cœpi, tandem accipimus. Vt igitur ad annum Aniadin, aut etiã vltra perueniamus, ob seruandæ sunt regulæ sequentes. Neminem offendant, quæ hoc loco de Nymphidida dicturi sumus, quo loco simul indicabitur vis, ac natura guarinorum, saldinorũ, denique salamandrinorum, & quicquid est melosinæ. Porrò si quem præsens locus abalienaret, neminẽ offendat, sed potius finem huius opusculi adeat, vbi singula videbit.

Cap. III.

SEd vt simul innotescãt cùm locus, tum corpus in his rebus, quod certa quadam concordantia ordinari debet, ac disponi. Principiò obseruãnda est soli natura, qđ iliastis est: nam aliud ab 300. vsque ad 600 annos conseruat, id quod ad eos codices relegamus, qui tractant de natura elementorum.

Porrò quicquid ex sui natura simul etiã loci naturam admittit, haud dissimiliter priori seculo in vnam conclusionem cogitur. Vbicunq; verò coeunt, cùm loci, tum corporis natura simul illic vel nullo negotio peruenitur ad 600. annum: quorum aliquot, qui istuc ętatis attigerunt cõmemorare possem, nisi aliò properaret calamus. Sunt præterea qui aliquandiu clàm, atq; adeò furtim sunt seruati, idq; per vitam longam. Quorum ratio, quia nulla, nisi quatenus iliasti tribuerunt, & hoc loco prætereundũ censeo. Sic quicquid nõ est aeriæ vitæ, hoc loco tollitur. Sequũtur ergo qui vitam aeream vixerunt, quorum alij à 600. annis ad 1000. & 1100. annũ peruenerunt, id quod iuxta præscriptum magnalium quæ facilè deprehenduntur, ad hũc modum accipe: Compara[a] aniadum, idq; per solum aera, cuius vis tanta est, vt nihil cum illo commune habeat terminus vitæ. Porrò si abest iam dictus aer, erumpit extrinsecus id, quod in capsula delitescit. Iam si idem ab illo, quod denuo renouatur, fuerit refertum, ac denuo in medium perlatum, scilicet extra id, sub

quo

quo prius delitescebat, imò adhuc delitescit, iam vt res tranquilla prorsus non audiatur à re corporali, & vt solùm ania dum adech, deniq; & edochinum resonet. Porrò etiã hæc tria, & quod in hæc tria vergit, non quatuor, sed vnum sint; habebis longissimam vitam delitescentem. Hinc est natiuitas magni illius aquastri, qui præter naturam natus est. Hoc & si id quod extrinsecus erat, nequaquam deprehendere potuit: tamen hic prębuit occasionem id quod extrinsecus iliastes fuit, &c.

Cap. IIII.

RESTAT adhuc in hac monarchia, cuius nos magnus ille senio maximopere commonefacit, videlicet lõgè aliam esse vitam ab ea, quã nos plenè præscripsimus: quæ tunc alia nos perstringet, cũ singula transibũt, qui calcat, & qui calcat, nihilominus tamẽ vtraque manebunt, id qđ nõ satis intellexerunt hectenus aliani. Tum demum erit quando simul omnia desinẽt, quæ vnà mecum indagastis, iam inde à primo ad nouissimum vsque. Sed par est, vt semel e-

tiam probemus ea quæ tractare incepimus, idq; non philosophica ratione, sed essentia ipsa, quæ vel sola hoc loci cuius meminimus plurimũ valebit. Hoc loco quo de plenè loquimur, miraberis forsan, ac quæres, Num vita sana possit esse coniuncta cum vita longa. De hoc igitur hæc paucula notato. Duplicẽ esse essentiam, alteri sanitatem & fixam: alteri ægritudinem & similiter fixam inesse. Quod autem ad locum & immutationes istorum attinet, nihil prorsus immutamus. Porrò quorsum attinet frustra his immori, quæ nobis lumen naturę recusauit? Præterea ille, qui ex animi libidine nobiscum agit, indicat, ac rursus hiantes nos deserit. Quare hoc loco pręteribimus, quæ vires nostras superant, & creaturas aliquot, vitę mirabiliter lõgæ, & eas sine fato commemorare incipiemus. Inter quas sunt Laureus, Siconius, Hildonius, & alij pleriq;, quarum natiuitatem, siue mortem naturalem nemo vnquam neq; deprehendit, neque audiuit. Adde naturam & essentiam illarum. & quotumquẽq; reperias, qui vel apiculum de his scripserit? quanquam

paramy-

paramyrica ſcripta nonnihil de his habeant: tamen ſicut ſemel hoc fuit, ac rurſus deſijt, ita etiam vnà intellectus abijt. His igitur concludimus, quicquid eſt vitæ longæ, idq́ extra necrolicas, quemadmodum in ſequentibus patebit.

Cap. V.

NOn pili fecerim eum, qui ſub Lullianis artibus ſe falſò, vt necroliũ venditat, & improbat id quod in quatuor Scaiolis comprehenditur, & me vt ſummum Scaiolam predicat, ita vt pro ratione cedurinorum poſsim adoriri necrolias artes. At ego vel hydros Scaiolis vnà cum æmulis inuideo. Quid dicam hoc loco de his, quę Muſa ſagax in canonibus ſuis vnà cum narcoticis quatuor Scaiolarum complectitur, quæ vobiſcum indormiſcunt, tymporaq; in vobis Anodynica reddunt. Et ego vos etiam atq; etiam in tantum ſtuporem adduco, vt in notitiã papaueris redigamini. Sed miſſa facio illa, & in hoc ſolùm laboro, q̃d in ſuperiorib. lib. hactenus mõui, in coſmographica ſcilicet vita, vbi cũ locus tũ corpus Ieſahach

apparent. Porrò etiam quæ præſcribo, præter loci ac corporis vires, idq́ʒ ſpagyricæ prescribo, hydromanticæ, & pyrotenchans. Sed quid attinet hæc commemorare vobis omnibus, quorum ne nomina quidem noui? qui & ſi necrolios agitis, & in cyphanto nonnihil experti, tamen indormiſcunt pulſatiles. Hæc omnia ego abſolui, ea quiſquis intelligit, optimo iure ſe ſpagyrici nomine venditet, ac tum demũ quintũ cap. ediſcere laboret, in quo me plurimum offendunt Scaiolę. Nam in his nulla ineſt mortalitas. Sub hæc igitur concludo totius rei ſummam, & affirmo eum eſſe immortalem, quicunq́ʒ pro ratione Scaiolarum vixerit, id quod per enochdianos, & ſui ſequaces probo. Neque hũc locum infringet aquaſter. Porrò ſi pro ratione Necroliorum Scaiolis inſererer, eſſet quod excipiendum ducerẽ, id quod maximus ille Adech anteuertit, & propoſitum noſtrum, at non modum deducit: Quod vobis Theoricis diſcutiendum relinquo. Atq́ʒ ad hunc modũ abijt è nymphididica natura interuenientibus Scaiolis in aliam tranſ-

muta-

mutationem permanſura Meloſyne, ſi difficilis ille Adech annuiſſet, qui vtrunque exiſtit, cùm mors, tum vita Scaiolarum. Annuit præterea prima tempora, ſed ad finem ſeipſum immutat. Ex quibus colligo ſupermonica figmenta in cyphantis aperire feneſtram. Sed vt ea figantur, recuſant geſta Meloſines, quæ cuiuſmodi ſunt, miſſa facimus. Sed ad naturam nymphididicam. Ea vt in animis noſtris concipiatur, atque ita ad annum aniadin immorteles perueniamus arripimus characteres Veneris, quos & ſi vos vnâ cum aliјs cognoſcitis, minimè tamen vſurpatis. Idipſum autem abſoluimus eo quod in prioribus capitib. indicauimus, vt hanc vitam ſecurè tandem adſequamur, in qua aniadus dominatur ac regnat, & cum eo, cui ſine fine aſsiſtimus, permanet. Hæc atq; alia arcana, nulla re prorſus indigent, Et in hunc modum vitam longam concluſam relinquimus.

Theophraſti ex Hohenheim, librorum quinque de vita longa finis.

PIO LECTORI SALVTEM ADAM A BODENSTEIN Philosophiæ & Medicinæ doctor.



Andide lector, neminem latere arbitror quàm male diuinus ille philosopus, & medicorum celeberrimus Aurelius Theophrastus Paracelsus, nõ solùm apud exteros, verùm etiam suos, nempe Germanos hucusque audierit, ob peruersum imperitorum iudicium, quasi talis esset, qui multa scriberet, nihilq́ sani doceret, multàque medicamina in medium proponeret, quæ hominibus plus damni quàm commodi inferrent. Equorum numero laudanũ eius à multis hactenus quasi perniciosum & planè exitiale medicamẽ minus dextrè dif famatum est. Proinde ad liberandùm ipsum Theophrastum & eius laudanũ, summa laude dignissimũ,ab hac calumnia,vt omnes sani iudicij videant, ac intelligant illud ex veris fontibus arcanorum naturæ & medicinæ productum, his

his Theophrasti de vita longa libris annectere formulam eius volui, quo bonis medicis sit frugi, insipientibus verò, probro & admonitioni, vt in posterum quod non intelligant, vituperare desinant. Addidissem sanè certissimū summumq́ remedium contra omnia venenorum genera, non solùm vegetabiliū, verùm etiam animalium, mineralium, metallorum, & microcosmi, sed eam ob causam distuli, vt videam quàm gratū te erga Theophrastum nostrum sis ostensurus.

Descriptio Laudani, quo usus est in deploratis dissolutisq; morbis, ita habet.

Accipie orizei foliati vnciam,
margaritarum non perforatarum vnciam semis,
florum antimonij,
asphalti, singulorum drachmam,
croci orientalis drachmas tres,
myrrhæ Romanæ,
aloes succotrini ana ad pondus omnium, reduc ad formam.
Dosis à granis quatuor, vel septem ad decem vsq;.

Est & aliud Laudanum contra febres præstantißimum quod accipit.

Antimonij præparati libram, sacchari candidi libram medicinalem,

Fiat puluis subtilis, Destilletur in arena aut balneo iuxta artem. Huius olei accipe vncias duas,

aloe succotrini vnciam,
ambræ vnciam semis,
croci selectissimi drachmas sex,

Reducantur successiue in massam, fiãt pilulæ paruæ, dentur tria cum conserua boraginis ante accessionem febris, inducaturq́ sudor, si fieri potest.

His lætare, fruere in laudem Iesu Christi, &
Vale.